PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI
PROFESSOR.

EDITIO SECUNDA.

LIBER III.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
MDCCCXCII.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI.

LIBER III.

St. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

8429

Decretalium Gregorii IX.

Liber III.

Titulus I.

De vita et honestate Clericorum.

1. Duplicem in republica christiana dari statum personarum clericorum nempe et laicorum nequit in dubium revocari. Divina enim institutione factum est, ut cœtus quidam personarum a reliquis fidelibus distingueretur, quæ cum in sortem Domini vocentur, idest ad divina ministeria obeunda deputentur, *clerici* appellantur. Liber tertius, de *Clericis*, eorum statu, obligationibus et juribus præsertim agit, et ejus primus titulus *de vita et honestate clericorum* inscribitur.

2. Clerici in sensu proprio et communi acceptione sunt personæ, quæ specialiter Deo et ejus cultui per ordinem, vel saltem per primam tonsuram mancipantur. Verum in legibus pœnalibus, eo quia materiam odiosam constituunt, in genere sub appellatione clericorum non veniunt Episcopi aliique in superiori dignitate constituti. *Cap. 4. De sententia excomm. in 6°.* Exceptio tamen a Doctoribus fit quoad pœnam excommunicationis latæ sententiæ. Hæc enim omnes etiam superiores clericos et religiosos comprehendit, quemadmodum doctores inferunt ex *cit. cap. 4. De sent. excomm.* Hinc Episcopus etiam subjicitur excommunicationi inflictæ percussoribus Clericorum. *Can. Si quis . . . 29. Caus. 17. q. 4.* Sublata ista exceptione, in reliquis legibus pœnalibus sub appellatione generali *clericorum* non veniunt personæ ecclesiasticæ in superioribus dignitatibus constitutæ. Quamvis enim personæ hujusmodi inter clericos numerentur, tamen speciale, seu proprium nomen habent in jure, quo a communibus et minoribus clericis secernuntur. Optime ergo ex *regula 49. juris in 6°.* *'In pœnis*

benignior interpretatio est facienda', clerici dignitate majores, qui proprium nomen habent, non comprehenduntur in legibus pœnalibus, in quibus mentio de clericis simpliciter efficitur. Conf. *Fagnanus* ad *cap.: Sedes 15. De Rescr. n. 12.*

3. In favorabilibus autem nomen *clerici* in ampla significatione accipitur, comprehenditque tum minores, tum superiores clericos, tum etiam religiosos. Quare privilegia status clericalis hisce omnibus competunt. Quod de privilegiis dicitur, dicatur etiam de honestate vitæ, idest de obligationibus status clericalis. Cum enim sermo est de hujusmodi obligationibus, vox *clericus* sensu lato accipitur. Congruum enim est, ut ii omnes qui privilegiis clericalibus fruuntur, clericalibus etiam obligationibus subjiciantur, quæ ad tuendum honorem status clericalis ab Ecclesia constitutæ sunt. Quare cum titulus, de quo agimus, status clericalis obligationes exhibeat, clerici in sensu tituli sunt ii omnes, qui per aliquem ordinem, vel saltem per primam tonsuram divino cultui mancipantur.

4. Immo cum aliis etiam modis ab Ecclesia receptis fideles statum ecclesiasticum ingrediantur, et divino servitio publice consecrentur; alii etiam præter proprie dictos clericos, privilegiis clericalibus fruuntur, et obligationibus clericalibus subjacent. Nomine ergo clericorum in sensu tituli præsentis veniunt etiam regulares omnes, sive professi, sive tirones qui habitum religiosum susceperunt, immo et moniales, dummodo hi omnes ad Religionem pertineant, quæ fuerit ab Ecclesia recepta.

5. Quæstio fit de Eremitis, utrum ad statum clericalem pertineant vel non. Dicendum est, inter Clericos recensendos esse Eremitas illos, qui de manu Episcopi habitum eremiticum suscipiunt, et ab eodem destinantur servitio alicujus Ecclesiæ vel Oratorii, ut in eodem sub Ordinarii dependentia vivant. Per hoc enim haberi possunt ceu totidem ecclesiasticæ personæ. Ita DD. post gloss. *in can. Qui vere c. 16. q. 1. v. vere.*

6. Hisce explicatis, exponendum est quid veniat sub appellatione honestatis vitæ clericorum. Quamvis fideles omnes ad honestam vitam servandam teneantur, tamen clerici qui in sortem Domini vocantur, sanctioris vitæ obligatione tenentur. De qua sanctitate *Trid. sess. 22. c. 1. de Ref.* docet, vitam clericorum ita esse conformandam, *ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ*

se ferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

7. Renovat inde S. Synodus sanctiones omnes sacrorum canonum, quæ de honestate vitæ clericorum latæ fuerunt; et dum Episcopis inculcat vigilantiam ut observentur, non obstante quacumque consuetudine, statuit, Episcoporum decreta circa correctionem clericorum, appellatione interposita, non suspendi. *(Conf. Sess. 14. in Proem. et sess. 23. c. 5. De Ref.)*

8. Hæc in genere dicta sint, sed ut tituli materiam intimius ingrediamur, honestatem in internam et externam dividimus. Interior honestas consistit in munditia cordis, in exercitio virtutum moralium quæ monasticæ appellari solent, et in recta intentione quoad susceptionem status clericalis, et exercitium officii proprii. Hæc honestas pertinet ad vitam privatam seu interiorem clerici, et ad perfectionem spiritus. Quare honestas hujusmodi proprie et directe non est objectum legum ecclesiasticarum; sed de illa agit Theologia moralis. Hinc canones pauca quidem tradunt de hac honestate clericorum. *(Conf. c. 35. § Ceterum. De Elect. et Electi pot. in 6°. et Sess. 23. cap. 4. de Ref. in Trid.)*

9. Exterior honestas, qua decorari debent clerici, quatuor præcipue capita complectitur. Clericus scilicet debet esse 1°. diligens in executione proprii officii; 2°. morum gravitate, seu vitæ probitate ornatus; 3°. decenti habitu indutus; 4°. a nonnullis artibus et officiis alienus.

10. Quoad 1^{um} res clara est, et explicite traditur in *c. 15. h. t.* et ratio est; quia clericus publice deputatur ad ministerium sacrum, et ejus officium bonum societatis fidelium attingit. Vocationi ergo suæ non satisfaceret clericus, nisi diligenter ministerio fungeretur. Quisque vero clericus pro qualitate sui ordinis et specialis positionis in Ecclesia tenetur officium suum adimplere. De specialibus positionibus et officiis clericorum sermo est in propriis titulis. Huc faciunt canones *29. et 30. De Consecr. Distinct. 2ª. et c. 1. h. t.* in quibus locis decernitur, sacra officia a clericis honorifice exercenda esse, et clericorum inservientium sacris ministeriis proprium et distinctum honorem apparere debere. Quare laicis et fœminis, ibidem, interdicitur, nè tempore divinorum officiorum, sacrarium seu presbyterium ingrediantur, et ad altare accedant. Quam prohibitionem renovavit Benedictus XIII. sub pœna interdicti in Conc. Romano ann. 1725. *Tit. XXVIII. De Immunitate cap. 4.*

11. Honestas clericorum externa consistit 2°. loco in gravitate morum et probitate vitæ. Ratione hujus honestatis tenentur clerici ad plura. Scilicet debent 1°. caste et caute vivere, 2°. abstinere a crapula et ebrietate, 3°. avaritiam fugere. Hac in re adest *c. 13. h. t.* in quo præcipitur ut omnes clerici studeant caste vivere, præsertim vero clerici in sacris ordinibus constituti; cui legi ni pareant, per Judicem ecclesiasticum pro qualitate culpæ puniantur. Quo in capite illud *præsertim* explicat diversitatem culpæ clericorum minorum et majorum. Nam clerici minores delinquentes peccant solummodo contra virtutem castitatis; clerici vero majores peccant simul contra virtutem religionis, cui proprium corpus consecrarunt in susceptione ordinis sacri.

12. Porro lex castitatis clericorum non solum excludit peccatum formale contra eandem virtutem, sed etiam eis interdicit ea quæ suspicionem incontinentiæ secumferunt. Est enim lex pro clericis, ut caste simul et caute vivant. Hinc evitare tenentur habitationem cum suspectis mulieribus; de qua *in tit. seq.* Tenentur etiam evitare frequens colloquium cum monialibus, nisi rationabilis et manifesta causa accedat. De hac re loquitur *c. 8. h. t.* Consonat huic capiti *cap. un. in principio De statu Regular. in 6°.* quod caput in observantiam revocavit Conc. Trid. *sess. 25. c. 5. De Regul. et monialib.* Ex hisce capitibus juris eruitur, inhiberi laicis simul et clericis tum ingressum in monasteria monialium, tum accessum et colloquium frequens cum iisdem, et Episcopum esse custodem et vindicem tum clausuræ tum frequentis accessus et colloquii cum iisdem monialibus. De clausura monialium inferius sermo erit.

13. Nunc aliquid dicendum est de frequenti accessu et colloquio clericorum cum monialibus absque violatione legis clausuræ. In cit. cap. 8. Clerici præsumentes sine manifesta et rationabili causa frequentare monasteria mulierum, arcentur ab Episcopo, et si non destiterint, officio ecclesiastico privandi esse dicuntur. Cui Decretali inhærens S. Congregatio Concilii in pluribus causis, relatis a Giralde *comm. in cap. 8. h. t.*, resolvit posse Episcopum infligere censuras, aliasque pœnas contra clericos et laicos frequentantes monasteria monialium, ac cum illis colloquentes. Excipiuntur tamen parentes, fratres et sorores monialium, qui possunt sine licentia Episcopi colloqui cum filiabus et sororibus monialibus diebus non prohibitis, qui scilicet non sint dies adventus et quadra-

gesimæ. Porro lex quæ feratur ab Episcopo contra frequentem accessum et colloquium cum monialibus, obligat etiam Episcopos alienæ Diœceseos, Vice-Legatos, et actuales locorum Gubernatores, ceu patet ex epistola Encyclica Benedicti XIV. quæ incipit *'Gravissimo'* data die *31. Octobris 1749.* Cum vero contra aliquas ex istis personis, si legem episcopalem infringant, utpote non subditas, censuræ episcopales non exerant suam vim; hinc statuit Benedictus, invocandam esse ab Episcopo hoc in casu auctoritatem Sedis Apostolicæ, proposito recursu vel directe ad Romanum Pontificem, vel ad S. Congreg. Episcoporum et Regularium.

14. Si quæratur quandonam dici possit frequens accessus et colloquium, *Gloss. in cit. c. 8,* etiam duabus vicibus constitui posse docet frequentiam. Verum hac in re nisi lex episcopalis in concrèto determinaverit numerum accessuum et colloquiorum ad pœnam incurrendam, frequentia determinabitur prudenti arbitrio judicis. Hæc de clericis sæcularibus.

15. Regularibus vero accessus et collocutio cum monialibus etiam sine frequentia interdicitur in decreto Congreg. Episcoporum et Regul. approbato a Sixto V. nonis Maji 1590, et ab Urbano VIII. 12. kal. Decemb. 1623. Tandem in Decreto Congr. Concilii approbato a Clem. IX. die 11. Maji 1669, statuitur, Regulares quoscumque absque legitima facultate accedentes ad colloquendum etiam per quodcumque modicum tempus cum monialibus, aut aliis in clausura degentibus peccare mortaliter, et simul posse coërceri ab Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, sub pœna excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, et aliis pœnis statutis contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria Monialium. Ab hac vero excommunicationis pœna regulares non possunt absolvi a Superiore suo regulari, licet eam contraxerint ob accessum et colloquium cum monialibus proprii ordinis. Idem dicendum de monialibus colloquentibus, si Episcopus in lege prohibente etiam contra ipsas moniales pœnam excommunicationis comminatus fuerit. Utraque hæc postrema conclusio patet ex resolutione S. Congr. Conc. in causa *Viterbiensi* diei 26. Junii 1627. Quamvis ex decreto Urbani VIII. licentia Episcopi pro Regularibus ad colloquendum cum monialibus subscribenda esset etiam a proprio Superiore regulari, tamen ex resolutione S. Congr. Conc. in causa *Spoletana, Accessus diei 26. Nov. 1672,* inferunt Doctores, sufficere solam facultatem concessam ab Episcopo.

16. Porro lex quæ prohibet sive frequens colloquium clericis sæcularibus, sive quodcumque alloquium Regularibus cum Monialibus, non afficit confessarium sive ordinarium sive extraordinarium, dum actu munere confessionum excipiendarum funguntur, sive visitatorem monasterii, sive alium qui ratione officii sui in monasterio cum Abbatissa, vel cum alia moniali loqui et negotia pertractare debet. Quod vero pertinet ad confessarios extraordinarios monialium præ oculis habenda est Const. Benedicti XIV. *Pastoralis curæ* edita *nonis Augusti 1748.* In ea Const. postquam Summus Pontifex Episcopis et aliis Prælatis inculcaverit observantiam legis Tridentinæ *sess. 25. cap. 10 de Regul.* circa deputationem Confessarii extraordinarii in monasteriis Monialium bis aut ter singulis annis faciendam, prope finem § *Ac demum* hæc decernit: 'Quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui personæ in monasterio degenti concessi ac deputati fuerint, districte inhibemus sub pœnis adversus accedentes ad monasteria Monialium, et cum ipsis conversantes, præsertim regulares, a prædecessoribus nostris quandocumque statutis (quas etiam præsentium vigore confirmamus et innovamus), ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ, aut necessitatis obtentu et colore audeant aut præsumant'.

Ad intelligentiam hujus dispositionis referre placet oraculum ejusdem Pontificis prolatum mense *Januario 1749,* quod exceptum ex *Lib. Regular.* illius anni S. Congregat. Episcoporum et Regularium nobis exhibet Lucidi *De Visitat. Sacror. Limin. Vel. 2.* § *V. n. 163.* hisce verbis expressum: 'Confessarium extraordinarium regularem, finito suæ deputationis munere non posse amplius accedere ad monasterium sine licentia necessaria, quandoquidem obnoxius extat prohibitioni ac pœnis statutis contra regulares non secus ac alii regulares. Declarat autem Sanctitas sua, quod hæc prohibitio non comprehendit presbyteros sæculares, quodque hi possunt etiam expirato tempore muneris Confessarii extraordinarii accedere, ut antea, ad monasteria; siquidem hac in parte nova Constitutio *(Pastoralis curæ)* nihil innovavit circa presbyteros sæculares'.

Animadvertendum præterea est, in cit. Constitutione confessariis extraordinariis post expletum munus prohiberi quodcumque

commercium intra monasterium, et per consequens etiam commercium epistolarum. Verum vocabulum *Commercium* non actum significat, sed habitum. Quare non auderem condemnare et pœnis comminatis subjicere confessarium extraordinarium regularem, qui post munus completum unam vel ad summum duas epistolas alicui moniali scriberet.

17. Gravitas morum et probitas vitæ exigit 2°. ut clerici abstineant a crapula et ebrietate, idest ab immoderato ciborum usu, seu ab excessu in cibis, et superfluo usu potus, seu ab excessu in potu. Utrumque enim turpe vitium est, et clericali statu indignum quod vitam moresque facile corrumpit. Lex ecclesiastica utrumque vitium vehementer abhorrens, contra clericos transgressores, si admoniti, non abstineant, statuit pœnam suspensionis ab officio, vel etiam beneficio per Superiorem applicandam *c. 14. h. t.* Hæc vero pœna non latæ sed ferendæ sententiæ est. Hoc enim exprimitur per illud *ab officio vel beneficio suspendatur.*

18. Ne Clerici facile incidant in vitium crapulæ et ebrietatis, prohibentur ingredi hospitia cauponaria, idest tabernas, nisi ex necessitate in itinere. Expresse traditur id in *c. 15. h. t. in princ.* in *can. Oportet Dist. 44. et can. 53. ex Apostolicis.*

19. Animadvertendum insuper est, sacros canones conjungere prohibitionem crapulæ et ebrietatis, cum prohibitione ludorum, et chorearum, quemadmodum legitur in *can. Episcopus Dist. 35.* et in can. *Presbyteri Dist. 34.* Quare ut secundum caput concludamus, quod de gravitate morum est, et de probitate vitæ clericorum, aliquid de hac prohibitione dicendum est. Et quoad ludos, clericis interdicuntur aleæ et taxilli *c. 15. h. t.* in et genere prohibentur ludi, quorum eventus magis a fortuna quam ab industria pendent, præsertim si fiant ex fructibus beneficii et bonorum ecclesiasticorum. Delinquentes pœna excommunicationis ferendæ sententiæ plectuntur, *can. Episcopus Dist. 35.* Nec se tueri possunt clerici prætextu consuetudinis. Consuetudo enim hæc reprobatur ab Innocentio III. in *c. XI. De Excessib. Prælator.* ceu corruptela juris. Non prohibentur autem iisdem Clericis ludi, qui privata in domo, et absque scandalo fiant cum moderatione, et causa recreandi animum. Nam cit. canon *Episcopus* loquitur de Clericis, qui ebrietati et aleis deserviunt, idest ut explicat glossa *'valde serviunt'*, scilicet ex professo et habitualiter aleis dant operam.

20. Quoad vero choreas, in genere *canon His igitur 3. Dist. 23.*, clericis ,intimat, ut *a mundi voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant.* Et cit. canon *Presbyteri 19. Dist. 34,* clericis legem statuit *ne his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia, aut obscœni motus corporum choreis et saltationibus efferuntur.* Omnia hæc simul inde conjungens Conc. Trid. *in c. 1. sess. 22. De Refor.* luxum, comessationes, aleas, lusus et choreas interdicit clericis sub pœnis veterum canonum, vel etiam majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, ita ut appellatio executionem decreti episcopalis non suspendat.

21. Verum caveant Episcopi a nimio rigore in pœnis infligendis præsertim contra clericos ludentes. Hinc a S. Congr. *die 20. Decemb. 1637* probatum non fuit decretum synodale Episcopi Vosionensis, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibentur Sacerdotes ludere aleis et taxillis quocumque modo, et cum quacumque persona. Conferatur Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. X. c. II. n. 2.;* nec non Giraldi in *Expos. Juris Eccl. comm. ad cap. 15. h. t.*

22. Tertio tandem clerici ut gravitatem morum servent, avaritiam declinare tenentur. *Canone 'His igitur' Dist. 23. et can. 'Quæro ergo' c. 6. q. 1.* Quo in secundo canone avaritia comparatur hæresi. Sacrorum autem canonum intentio eo dirigitur, ut clericorum animum removeant ab amore divitiarum, eosque doceant vitam agere modestam et frugalem, juxta illud S. Pauli in *I. ad Tim. 6. Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem'.* Hinc canones prohibent quominus clerici commercia sæcularia, maxime vero inhonesta exerceant *capp. 15. et 16. h. t.* Pariter statuunt, superflua bonorum ecclesiasticorum in pios usus esse eroganda: *can. 'Quia tua' c. 12. q. 1. Can. 'Res Eccl.' ejusd. caus. et q.* — Hinc etiam hospitalitatem exercere tenentur Clerici; *c. Quoniam caus. 16. q. 1.*

23. In specie autem prohibentur clerici ferre sententias venales, non solum eas quæ turpiter venales sunt, illas scilicet, quæ feruntur in favorem illius qui pecuniam dedit ac feruntur in correspectivitatem acceptæ pecuniae; sed prohibentur etiam ferre sententias quæ aliquo modo indecenter venales dici possunt. Prohi-

bentur scilicet clerici aliquid a partibus litigantibus exigere ad officium judicis præstandum; debentque gratis causam videre *c. 10. h. t.* Sciendum enim est, aliquibus in locis consuetudinem inolevisse, ut partes collitigantes judici aliquam quantitatem pecuniæ, quæ *sportularum* nomine appellabatur, pro ejus labore et sustentatione persolverent. Sportulas vero recipere nequeunt ex lege generali ecclesiastica clerici; nam cum judices ecclesiastici sive ordinarii, sive delegati sint in dignitate constituti, ab Ecclesia habent unde honeste vivant, idest ex fructibus beneficii proprii sustentantur. Insuper nec aliquid exigere possunt judices ecclesiastici nomine assessoris quem assumere placeat.

24. Hæc valent spectato jure Decretalium Gregorii IX. expresso *in c. 10. h. t.;* accessit vero Const. Bonif. VIII. relata *in c. XI. De Rescr. in 6°.* § *Insuper,* in qua judicibus delegatis a Rom. Pontifice idem interdicitur, et solum conceditur ut possint recipere esculenta et poculenta quædam in parva quantitate, ex mera liberalitate oblata: simulque conceditur ut aliquid recipiant nomine expensarum necessariarum si extra domicilium proprium proficisci debeant. Quo in casu expensæ pro æquali a partibus persolvendae sunt. A quibus expensis persolvendis litigantes notabiliter pauperes eximuntur.

25. Possunt insuper judices delegati, si revera indigeant, sibi assumere assessorem partibus non suspectum; cui partes collitigantes mercedem a judicibus defigendam solvere debent. Præter hæc si quid a judicibus fuerit receptum, restituendum est, non obstante donantis remissione. Ita Bonifacius. Hæc dispositio, quæ de judicibus delegatis est, a Doctoribus etiam ordinariis applicatur. Conf. *Pater Thesaurus de Pœnis ecclesiasticis, verbo 'Munera'.*

26. Tertium caput honestatis externæ clericorum habitus decentiam respicit. Lex canonica cavet, ut Clerici habitum deferant et coronam seu tonsuram proprio statui congruentem *can. ult. Dist. 41. et c. 15. h. t.*

Quæstio prima proponitur de qualitate habitus clericalis. Non loquimur hic de vestibus quæ a sacra liturgia determinantur, quibus clerici utuntur in Ecclesia dum sacris ministeriis dant operam; sed loquimur de vestibus, quibus in ordinaria et publica inter cives consuetudine induuntur quæque civiles appellari possunt.

27. Quinque prioribus sæculis, ut ex epist. Cœlestini I. ad Episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis patet, vestis clericorum non discriminabatur a communi veste civium. Deinde vestis propria clericorum induci cœpit, quæ in Conciliis partialaribus appellatur *tunica*, quæ cum ad talos usque protrahi solebat, *talaris* dicta est. Verum canones generales universam respicientes Ecclesiam Concilio Trid. antiquiores nonnisi habitus clericalis decentiam et modestiam commendant. Hinc modo potius negativo lequuntur, et interdicunt luxuriosas vestes, variis vel coloribus vel ornamentis intextas; immo et rubras et virides vestes prohibent, simulque frequentem mutationem coloris et formæ. Ita Concilii generalis Lateranensis IV. sub Innocentio III. decretum relatum in *cit. c. 15. h. t.* — Ita etiam *Clem. 2. h. t.*, in qua interdicitur clericis vestis virgata vel partita.

28. Tridentina autem Synodus *in sess. 14. c. 6. de Ref.* reprobans temeritatem nonnullorum clericorum deferentium publice laicales vestes, renovat veteres constitutiones, inculcatque honestatem et modestiam vestium clericorum simulque tribuit Episcopis facultatem determinandi qualitatem et formam vestium, quæ deferri debeant a clericis in ordinibus sacris constitutis, vel qualecunque beneficium ecclesiasticum possidentibus. Huic determinationi ab Episcopo factæ, se aptare clerici tenentur; quemadmodum præter verba expressa S. Synodi *juxta Episcopi ordinationem et mandatum*, docet ex professo Bened. XIV. in *Institutionibus ecclesiasticis 21., 34. et 71.* referens decisiones S. Congreg. Concilii.

29. Accessit deinde Const. Sixti V. diei 9. Jan. 1589, quæque incipit: *Cum Sacrosanctum.* In Const. hac dispositio tridentina ad omnes prorsus clericos extenditur, clericali scilicet tonsura etiam tantummodo insignitos, et nedum ad possidentes beneficia ecclesiastica, aut ad ea jus habentes, sed etiam extenditur ad clericos minores participantes de pensionibus ecclesiasticis, aut præstimoniis vel portionibus quibuscumque fructuum bonorum ecclesiasticorum. Ac insuper in eadem Constitutione designatur qualitas vestis clericalis.

30. Præcipit scilicet Pontifex, ut Clerici talari veste utantur; quod si in talari veste et tonsura clerici non incedant, eos subjici declarat pœnis a Trident. Synodo statutis, etiam nulla prævia monitione. Rigorem hujus constitutionis temperavit idem Sixtus in alia constitutione, quæ incipit: '*Pastoralis*' *diei 31. Jan. 1589.* ex-

cipiens a comminatis pœnis in prima constitutione clericos obtinentes pensionem, vel ecclesiasticorum bonorum fructus non excedentes annua sexaginta ducata de camera, nec non familiares Papæ inferioris familiæ.

31. Verum nec quoad ceteros clericos servatur constitutionis Sixtinæ rigor habitum talarem præcipientis; nam usus et praxis etiam optimæ notæ sacerdotum induxit, ut modestæ quidem et statui clericali propriæ vestes adhiberentur, quæ tamen non talares sed breviores essent, juxta locorum exigentiam et consuetudinem. Hinc Bened. XIV. cum esset Archiepiscopus Bononiæ in *Institutionib. Eccl. 34. et 71.*, non obstante Sixtina Constitutione, quam commemorat, coarctavit obligationem deferendi vestem talarem tantummodo ad Sacerdotes, qui Ecclesiam ingrediuntur sacra mysteria operaturi. De hac eadem re idem Pontifex mentionem facit etiam in *c. 8. lib. XI. De Syn. Diœc. n. 4.* Quapropter quamvis circa qualitatem vestis clericalis modestia semper observanda sit, et quamvis sacrorum canonum intentioni vestis talaris maxime congruat; tamen ea esse potest vestis clericorum, quæ ab usu communi regionis recipitur, nisi aliter ordinatio et mandatum Episcopi caveat juxta facultatem a Tridentino Episcopis tributam.

32. Quæstio altera proponitur de pœnis contra clericos vestes clericales non gestantes comminatis. — Et primo quidem clerici in majoribus ordinibus constituti, vel clerici minores qualecumque ecclesiasticum beneficium possidentes, si notabili tempore et legitimo impedimento cessante publice deserant vestes statui clericali congruentes, et moniti ab Episcopis contumaces persistant, coërceri possunt pœna suspensionis ab ordine, officio et beneficio. Quod si hac pœna perculsi non resipiscant, et denuo in hoc delinquant, privari possunt ab officio et beneficio. Ita *c. VI. sess. XIV. De Ref. in Trid.* In Const. vero *'Cum sacrosanctum'* cit. Sixtus V. duo statuit 1°. pœnam privationis extendit etiam ad clericos simplici tonsura insignitos, et possidentes solummodo beneficia simplicia, et in genere ad omnes, qui pensionem vel præstimonium percipiunt de bonis ecclesiasticis, nisi incedant in habitu talari et tonsura clericali. 2°. Eidem pœnæ clericos aliosque subjicit ipso jure et absque ulla monitione, vel judicis decreto. Verum prior pars correcta est ab eodem Sixto V. qui in Const. *'Pastoralis'* a pœna privationis excepit clericos possidentes pensionem non excedentem annua sexaginta ducata auri de Camera, et familiares

inferioris familiæ, seu famulos, qui omnes non tenentur ex ratione officii vestes clericales deferre. Secundæ partis rigorem temperavit Benedictus XIII., qui in Const. *'Catholicæ Ecclesiæ'* diei 2. Maji 1725, decrevit, ut Episcopi contra clericos beneficia ecclesiastica possidentes, deferentes vestes laicales, procedere debeant per citationem, domi dimissa copia, vel si extra Diœcesim commorentur, adfixa citatione ad valvas Ecclesiæ, et sententiam declaratoriam privationis juris ordine servato pronunciare debeant. Beneficia autem quæ per hanc privationem vacant, reservantur Sanctæ Sedi. Statuit insuper Pontifex clericos hujusmodi, interim ante etiam admonitionem, citationem et sententiam fructus non facere suos, sed sub pœna peccati lethalis teneri ad eos restituendos ac fabricæ Ecclesiæ applicandos esse, sublata etiam facultate majori Pœnitentiario eosdem fructus condonandi clerico. Quam facultatem condonandi tribuit eidem Pœnitentiario Benedictus XIV. in casibus occultis solummodo; ceu videre est in Const. hujus Pontif. *'Pastor Bonus'* diei 13. Aprilis 1744. § 24.

33. Quod si sermo sit de clericis minoribus beneficio quolibet et pensione carentibus, clerici hujusmodi, quamvis non teneantur habitum clericalem deferre, et statum ecclesiasticum deserere libere possint; tamen si dimittant habitum clericalem et tonsuram, privilegio fori spoliantur. Etenim ut clerici minores hoc fruantur privilegio ex lege tridentina expressa in *c. 6. sess. 23. De Ref.* habitum et tonsuram clericalem deferre debent et alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inservire, et si fuerint conjugati, eorum matrimonium debet esse cum unica et virgine; *c. un. De Clericis conjugat. in 6°*. Hæc autem amissio privilegii personam Clerici ipsius non egreditur. Etenim superior ecclesiasticus potest, si velit, ad suum forum clericum delinquentem revocare, quoties ipse clericus perseveret, idest si neque a jure, neque ab homine per sententiam fuerit clericalibus privilegiis denudatus, atque ad laicam communionem redactus; quemadmodum probat Cardinalis De Luca *De Jurisd. disc. 55. n. 5.* ubi refert resolutionem S. Congr. Concilii in causa *Leodiensi* diei 12. Nov. 1630, quæ resolutio a Pontifice fuit probata. Idem decisum est in aliis causis non solum ab eadem Congr., sed etiam a S. Congr. Immunitatis, etiam pro Clerico conjugato; præsertim in caus. *Bonon. Censurarum* diei 22. Januarii 1760 (Conf. Giraldi, *Expos. etc. — Comm. ad c. 15. h. t.).* At per habitus clericalis desertionem, amisso etiam privilegio fori, non

ideo dicendum est jure tridentino amissa fuisse privilegia canonis et competentiæ, ceu responsum fuisse a S. Congr. Concilii in causa Aquensi mense Febr. 1589. et alias die 3. Decemb. 1622 refert Bened. XIV. *De Syn. lib. XII. c. 2. n. 2.*

34. Verum immutata disciplina hac in re fuit. Nam Summus Pontifex Pius IX. per organum S. Congr. Immunitatis eccles. decretum edidit, quo declaravit, clericum in sacris non constitutum, sive cœlibem sive conjugatum, quoties ob non observatam plene legem Sacrosancti Concilii Trid. *sess. 23. cap. 6. De Ref.* amittit privilegium fori, ipso jure et ipso facto privari omnibus privilegiis clericalibus, ita ut debeat considerari et tractari tamquam persona mere laicalis etiam in causis criminalibus et pro effectibus pœnalibus; quin in posterum requiratur præcedens trina monitio aut declaratio particularis supra ista amissione seu privatione privilegiorum. Hoc decretum legitur in epistola typis edita Cardinalis Barberini Præfecti S. Congregationis Immunitatis ecclesiasticæ *diei 20. Nov. 1860.*

35. Quod si clericus, qui sponte sua reliquit habitum ecclesiasticum et tonsuram, voluerit utrumque iterum sumere, poterit id agere etiam sine expressa venia Episcopi, et privilegia clericalia iterum assequitur, nisi ejus consilium ex fraude procedat; idest præsertim nisi id efficiat ad declinandum judicium vel civile, vel criminale in foro laico. Ita resolvit S. Congregatio in causa *Melit. Fori 7. Maji 1622.* Non poterit vero habitum clericalem iterum suscipere clericus sine venia Episcopi, si præcesserit decretum Episcopi, qui post trinam monitionem prohibuerit quominus idem clericus habitum iterum absque ejus venia suscipiat. Conf. Bened. XIV. *De Synodo l. 12. c. 3. n. 1.*

36. Cum ad modestiam et externum clericorum decorem simul cum vestibus capitis etiam et vultus honestas sese referat; hinc in titulo nostro de cultura comæ et barbæ lex posita est in *cap. 5.*, in quo edicitur: 'Clericus neque comam, neque barbam nutriat'. — Et merito: nam clericus sacræ militiæ adscribitur per comæ abscisionem, et *idem est clericum fieri, ac crinibus detonderi*, quo ritu significatur renunciatio seu depositio omnium temporalium. *Can. Duo sunt genera c. 12. q. 1.* Hinc immoderata cultura comæ, quæ videlicet morem lascivum et fœmineum redolet, et nimiam levitatem animi manifestat, adeo clericis indecora esse censetur, ut contumaces etiam pœna excommunicationis coërceri pos-

sint *cap. 4. h. t.*, quod ita se habet: *'Si quis clericus comam relaxaverit, anathema sit'* scilicet *excommunicetur*, ceu cum Glossa explicant Doctores. Hinc clerici nutrientes comam et barbam etiam inviti ab Archidiacono tonderi præcipiuntur *c. 7. h. t.* Quæ coërcitio, cessante hodierno jure Archidiaconi auctoritate, arbitrio Episcopi perficienda relinquitur, vigore cit. *cap. 7. h. t.*

37. Huc spectat prohibitio comæ adscititiæ seu fictitiæ. Suo alienos capillos capiti addere proprium fuit luxuriantium feminarum, quæque proinde a poetis irridentur et a SS. Patribus redarguuntur. Conf. Bened. XIV. *De Syn. Diœc. Lib. XI. cap. 8. n. 2.* Deinde mos, comas fictitias assumendi etiam adoptatus fuit a viris. — Harum comarum usus in clericis antiquitus non fuisse videtur. Etenim solummodo Synodi recentiori ævo celebratæ morem hujusmodi in clericis reprehendunt. Quæ prohibitio cum innitatur sanctioni *capitis 7. h. t.*, in quo coërcitio clericorum nutrientium comam Ordinario, uti vidimus, tribuitur, inde patet super hac prohibitione gestandi comam fictitiam ad commoditatem et non ad luxum dispensare posse Episcopum extra missæ celebrationem. Dixi *extra Missæ celebrationem*, nam cum Zacharias R. P. in Synodo Romana *c. 13. et c. 14.* legem ediderit relatam in *can. 'Nullus Episcopus' De Consecr. Dist. 1ª.* et sub pœna prohibuerit, non solum Presbyteros et Diaconos, sed etiam ipsos Episcopos Missæ sacrificium velato capite celebrare; facultatem gestandi comam fictitiam concedere Sacerdoti celebranti, vel ministro assistenti non potest Episcopus, sed auctoritas Romani Pontificis requiritur. Quemadmodum aperte etiam innotescit ex resolutione S. Congr. Rituum *31. Jan. an. 1626.* et ex declaratione Innoc. XI. ad Legatos apostolicos et episcopos, citata a *La-Croix lib. 6. part. 2. n. 401.* Qua de re conferantur, si placet Benedicti XIV. Institutiones ecclesiasticæ *XXXIV. § IV. et XCVI. n. 9.*

38. Prohibitioni de abusu in capitis et vultus ornamento, similis est prohibitio delationis annuli. In *cap. 15. h. t.* et in Concilio Romano an. 1727. *tit. XVI. cap. III.* clericis interdicitur delatio annuli, exceptis illis quibus competit. Conferri possunt in hac materia Benedictus XIV. *De Sacrificio Missæ, Append. XX. ad lib. III. § IV. v. Insuper*, et Giraldi, Comm. ad *cap. XV. h. t.*

Ex responsionibus S. R. Congregationis, relatis in hisce locis, et præsertim ex resolutione *diei 13. Febr. 1625*, ex alia diei *4. Augusti 1663* et ex alia diei *3. Martii 1674* deduci potest,

delationem annuli in celebratione Missæ esse vetitam Sacerdotibus et Abbatibus non benedictis, Protonotariis Apostolicis non participantibus, nec non doctoribus quibuscumque; Canonicos vero Cathedralis Ecclesiæ gestare posse annulum aureum sine gemma et sine aliqua effigie. Cum vero prohibitio hæc respiciat celebrationem Missæ; hinc clerici doctores quibus competit delatio annuli, illum extra Missam poterunt licite deferre: conf. etiam Ferraris *Biblioth. Canonica v. Annulus.*

39. Quartum caput honestatis externæ clericorum in eo posuimus, ut abstineant a nonnullis artibus et officiis. Et primo quidem cum clerici mancipati esse censeantur sacris ministeriis, ipsis interdicuntur artes et officia, quæ licet honesta in se sint, tamen clericos nimium distraherent ab suis functionibus ecclesiasticis, ac ad vitam laicalem pertraherent. Ex. gr. negotiatio proprie dicta, *cap. 15. h. t.* tutela, administratio alienorum bonorum. De his vero in ultimo titulo hujus libri.

40. 2°. Cum Clerici mites debeant esse, et a sanguine abhorrere, ipsis interdicitur exercitium artis physicæ, seu medicinæ et præsertim chirurgiæ in operationibus, quæ per incisionem, aut adustionem perficiuntur *c. 10. Ne Clerici vel Monachi.* Unde ad exercendam hanc artem physicam pro clericis majoribus, et pro minoribus, beneficium ecclesiasticum possidentibus requiritur apostolicum indultum. Hac in re conf. potest Bened. XIV. *De Synodo L. 13. c. 10. nn. 2. et seq.* Ob supra enunciatam lenitatis rationem in bello arma tractare, et militiam agere clerici nequeunt *can. Aliquantos et seqq. Dist. 51.* Immo clerici prohibentur arma vetita deferre, nisi ad propriam tuitionem ex. gr. in itinere in quo aggressiones prævideantur, *c. 2. h. t. et Glossa ibi.* Delinquentes vero in hac re clerici possunt excommunicari ex dispositione ejusdem capitis; Monachi vero tenentes arma intra septa Monasterii absque Superioris licentia excommunicationem incurrunt latæ sententiæ. *Clem. 1. §. quia vero. De Statu Monach.* — Animadvertimus autem hanc censuram non fuisse renovatam in Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis,* adeoque non amplius vigere. Plures deinceps pro temporum opportunitate latæ sunt a R. Pontificibus Constitutiones, quarum summam refert Giraldus in cit. opere 'Expositio Juris Pontificii' in comm. ad cit. *c. 2. h. t.*

41. 3°. Tandem artes et officia interdicuntur clericis, quæ offendunt dignitatem status clericalis. Et 1°. quidem ludi theatrales

profani in Ecclesiis perfici non possunt, neque ab ipsis clericis *c. 12. h. t.* Nam ut notat Glossa in idem caput *v. monstra*, non prohibentur fieri in Ecclesia ludi honesti simul et pii, idest piæ repræsentationes, quæ inserviant ad recolenda divina mysteria, et ad excitandam devotionem. Præ oculis autem maxime habenda est dignitas et sanctitas loci. Quare abstinendum est ab iis omnibus, quæ reverentiam loco sacro debitam lædere, et aliqualem etiam profanationem sapere possent. Insuper prohibentur clerici alibi etiam exercere artem joculatorum et histrionum seu mimorum *cap. 15. h. t.* Quam artem si per annum exercuerint, ipso jure privantur omni privilegio clericali; si autem breviori tempore et tertio moniti non resipiscant, eadem pœna mulctantur; *cap. un. h. t. in 6°*. Immo clericis interdicitur etiam interesse spectaculis publicis et pompis *can. His igitur Dist. 23.* Glossa vero in hunc canonem explicat, quænam spectacula interdicantur clericis, scilicet spectacula obscœna et turpia, in quibus depravationis periculum adesse potest. Tandem in *clem. 1. h. t.* clericis prohibetur personale exercitium officiorum, quæ vilia et indecora reputantur in societate ex. gr. officium tabernariorum etc.

Titulus II.

De cohabitatione Clericorum et Mulierum.

1. Consortia mulierum vitam clericorum suspicionis macula suffundere possunt; hinc præsens titulus primo subnectitur, in quo de honestate vitæ clericorum actum est. Cum ex dictis in 1°. titulo Clerici non solum incontinentiæ labem, sed etiam ipsam speciem et suspicionem hujus vitii a se removere, et caute vivere debeant; hinc ceu principium generale, quod tituli præsentis tractatum regit, sequens regula statuenda est. Clerici ex lege canonica cohabitare, et conversationem habitualem cum feminis quibuscumque de continentia suspectis habere nequeunt. Clare hujusmodi principium traditur initio *c. 1. h. t.*, quod desumptum est ex *can. 3°. Conc. Nannetensis*, non vero ex Concilio Moguntino, prout inscribitur in Decretalibus, et ita se habet. — *'Inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, retineat.'*

2. Hinc ex *cap. 9. h. t.* prohibitum non est clericis cohabitare cum feminis, in quibus *naturale fœdus nihil permittit sævi cri-*

minis suspicari, idest matre, sorore, amita etc. Consonat dispositio Concilii Nicæni relata a Gratiano in *can. 16. Dist. 32.* Fœminis vinculo sanguinis conjunctis addunt Doctores etiam affines, nec non extraneas maturæ ætatis et bonæ famæ. Et merito. Nam citatus canon nicænus præter matrem, sororem et amitam nominat etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones, cum quibus sinit clericos habitare. Ad evitandam vero suspicionem cum extraneis auctores tradunt mulierem saltem 40 annorum ætate esse debere, et probatæ vitæ. Quare ut determinentur mulieres cum quibus clerici cohabitare possint, respiciendum est ad vinculum sanguinis, vel affinitatis, et ad ætatem cum bonis moribus conjunctam.

3. At *capiti 9. h. t.* obstat dispositio secundæ partis *cap. 1. h. t.* in qua interdicitur clericis cohabitatio cum omnibus fœminis etiam sanguinis vinculo conjunctis, ex. gr. matre etc. . . . En verba: '*Sed neque illas (fœminas) quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem: quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur, vel etiam cum pedissequis earum*'. — Porro hæc dispositio cap. 1. cum recenseatur inter leges ecclesiasticas, dici illico nequit cum aliquibus eam fuisse per dispositionem capitis 9. abrogatam. (Canon nannetensis est referendus saltem ad annum 690, decretalis vero in cap. 9. relata, auctorem habet Innoc. III.; ideoque non est sæculo XII. antiquior.) Potius vero dicendum est cum Bened. XIV. *De Syn. L. XI. c. IV. n. 7.*, cap. 1. h. t. non referre regulam generalem, sed potius exceptionem cap. 9., atque ita componendum esse utrumque caput, ut nempe cum Innocentio III. in c. 9. generatim permittatur clericis cohabitatio cum mulieribus naturali fœdere conjunctis; quia ex regula generali juxta longam et probatam experientiam suspicio criminis cum istis fœminis non verificatur; et excipiatur cum concilio Nannetensi in *c. 1.* casus in quo etiam hujusmodi fœminæ aut earum pedissequæ afferant ex pravis moribus rationalem suspicionem criminis incontinentiæ. Et revera quamquam cap. 1. videatur exhibere regulam generalem, tamen si rite consideretur, refert indolem exceptionis. Nam fundamentum prohibitionis collocant Patres in suspicione criminis, adeo ut prohibeant in primis verbis capitis non quamcumque cohabitationem, et qualecumque consortium clericorum cum mulieribus, sed solummodo inhibeant consortium cum mulieribus de quibus suspicio esse potest. Quod si objiciatur, Patres nannetenses deinde absolutis verbis proscripsisse consortium clericorum etiam

cum matre, amita etc., responderi potest duplici modo: 1°. scilicet hæc verba absolute accipienda esse cohærenter ad priora verba, idest: cum *suspicio esse possit* ex pravis moribus matris, sororis et amitæ clerici. — Vel dicendum est 2°. Concilium edidisse dispositionem generalem pro sua Provincia. At non inde sequitur idem caput prout relatum est in corpore juris, vim habere regulæ generalis contrariæ capiti 9. Et sane Patres Concilii nannetensis fatentur, canones permittere clericis cohabitationem cum matre, sorore et amita. Jamvero quomodo potuissent Patres illi prohibere clericis id quod canones permittunt, nisi ob specialem rationem loci quia nempe scandalum ex hac cohabitatione in illa Provincia ortum fuerat. Quare canon peculiaris pro eadem Provincia confici potuit, eo quod, uti Patres Concilii innuunt, *instigante diabolo et in illis* (fœminis matre, sorore etc.) *scelus perpetratum est.* Videlicet hæc admodum rigida dispositio, prohibens clericis cohabitationem etiam cum mulieribus consanguineis, lata fuit eo quia ob mores depravatos loci, ab experientia cognitum fuit, ibi suspectam fore cohabitationem hujusmodi. Verum dispositio quæ statuta est ob peculiarem loci nequitiam non induit naturam regulæ generalis pro universa Ecclesia; sed poterit applicari aliis etiam in locis, quando eadem ratio verificetur. Gregorius IX. vero referens canonem nannetensem inter leges Ecclesiæ universalis, illum consideravit et excepit in propria sua indole et extensione, id est prout fuerat editus ob peculiares circumstantias loci et temporis; id est in indole et extensione particularis dispositionis quæ ab iisdem circumstantiis penderet. Hinc eidem canoni alium opposuit, in quo ceu regula generalis traditur, posse clericum cum fœminis vinculo sanguinis conjunctis cohabitare. Igitur canon Nannetensis Concilii, quando in corpus juris relatus est, retinuit indolem regulæ peculiaris, ita ut applicari debeat, quando locum habeat ratio suspicionis, ob quam pro Provincia Nannetensi editus fuit; ac proinde haberi debet ceu exceptio regulæ generalis propositæ in c. 9. h. t. qua permittitur clericis cohabitatio cum mulieribus naturali fœdere conjunctis. Quare concludendum est: 'Non est in genere vetita clericis cohabitatio cum mulieribus vinculo sanguinis vel affinitatis conjunctis, aut cum fœminis maturæ ætatis et bonæ vitæ. Quod si vero ob malos earundem fœminarum mores, suspicio criminis etiam cum istis mulieribus exurgat, prohibita est cum iisdem clerico cohabitatio.

De pœnis contra clericos concubinarios.

4. Clericus si contra legem canonicam cum mulieribus vivat, concubinarius dicitur, et peculiaribus subjicitur pœnis. Cum de hisce pœnis loqui debeamus, determinandum est quid veniat nomine concubinatus. Obiter animadvertimus, in veteribus canonibus aliquando appellatam fuisse concubinam uxorem legitimam, sed minus solemniter ductam in matrimonio. Ita *can. 4. Is qui Dist. 34. ex Conc. Toletano I. et can. 5. Christiano eadem Dist.* Concubinatus stricto sensu sumptus nihil aliud est nisi consortium hominis cum muliere, quam loco uxoris detineat.

5. Quoad clericos autem, et ad pœnas iisdem applicandas, concubinatus latiori significatione sumitur. Determinandum ergo est quando clericus dici possit reus criminis concubinatus. Crimen concubinatus importat vitium; hinc clericus qui semel aut iterum carnale commercium habeat cum muliere, non dicitur concubinarius. Requiritur igitur prava consuetudo ad turpe hoc crimen constituendum. Indifferens vero est utrum cum una vel cum pluribus mulieribus prava consuetudo habeatur, et an mulier suspecta domi vel alibi detineatur. Clericus ergo concubinarius in sensu Tridentini *in cap. 14. sess. 25. De Refor.* quoad effectum pœnarum, ille est, qui detineat mulierem, vel mulieres suspectas, sive domi, sive extra domum, idest habitualiter eas frequentet. Consonat huic notioni traditæ a Tridentino Concilio *cap. 2. h. t.*

6. Hisce explicatis, deveniamus ad pœnas in specie designandas, quæ a jure nostro clericis concubinariis infliguntur. Omittimus sanctionem veterum canonum, quæ præsertim contra clericos in majoribus ordinibus constitutos, videtur fuisse depositio perpetua, seu dejectio a clero. Ita Gregorius Magnus in epistola 26 ad Januarium Episcopum Calaritanum lib. 3. epistolarum. Nicolaus I. in decreto tit. *De Presbyteris et can. 2. Decernimus Dist. 28.* — Si Decretales Gregorii IX. inspiciamus, habemus *capp. 2., 3., 4., 5. et 6. h. t.* quæ Alexandro III. inscribuntur, in quibus hæc dispositio juris statuitur, ut nempe salutari admonitione Episcopus studeat ad bonam frugem clericum concubinarium revocare, resipiscere vero nolentem suspendat ab ecclesiasticis beneficiis usque ad congruam satisfactionem *c. 4. h. t.*; si autem clericus adhuc in crimine persistat, post trinam admonitionem, possit Episcopus beneficiis eum spoliare; ac tandem crescente adhuc contumacia, ab ipsa

fidelium communione arcere possit donec corrigatur. Animadvertendum insuper est, jure Decretalium Sacerdotem notorie concubinarium vitandum fuisse in missæ celebratione *capp. 7. et 10. h. t.* — Quæ pœna etiam indicta fuerat contra clericos concubinarios a Nicolao II. in Synodo Romana cujus dispositio relata est a Gratiano *in can. 5. Dist. 33.*

7. Verum hæc dispositio antiqui juris correcta est a Martino V. in *Extrav. Ad evitanda,* in qua inter personas a fidelibus vitandas Sacerdos notorie concubinarius in missæ celebratione non recensetur.

8. Hæc jure canonum antiquorum et Decretalium Gregorii IX.; nunc exponenda est disciplina juxta legem Trid. Concilii. Huc referenda sunt *cap. 14. sess. 25. De Ref.* et *cap. 6. sess. 21. De Ref.* — Ut autem rei claritati consulatur, quatuor casus distinguendi sunt. Casus primus est de clericis beneficium aut pensionem possidentibus. In *c. 14. sess. 25.* Concilium præprimis renovat pœnas veterum canonum contra concubinatum clericorum, deinde sermonem instituens de clericis beneficium aut pensionem possidentibus, statuit, clericum concubinarium monendum esse. Hæc porro admonitio debet esse specialis seu personalis, nec sufficit generalis, vel per edictum; quemadmodum ex resolutionibus S. Congregationis Concilii probat Nicolaus Garcias *'De Benef. part. XI. c. 10. n. 186.* Quod si post hanc admonitionem clericus sese non abstinuerit a consortio cum suspecta muliere, statuit S. Synodus, eum ipso facto privari tertia parte fructuum, obventionum et proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum; et hanc tertiam partem fructuum etc. . . . applicandam esse fabricæ Ecclesiæ, vel aliis piis locis arbitrio Episcopi. Deinde iterum clericus eodem modo admonendus est, et si nec post secundam admonitionem pravam deserat consuetudinem cum eadem fœmina, vel cum alia, privatur ipso facto omnibus fructibus, proventibus et pensionibus, locis piis ut supra applicandis, et insuper ab administratione ipsorum beneficiorum suspendendus est quoadusque ordinarius etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur. Suspensio autem hæc non latæ sententiæ est, sed ferendæ. Tridentinum enim utitur verbo *suspendantur.* Si vero nec ita suspensus clericus hujusmodi mulierem vel mulieres suspectas e domo expellat, aut cum ipsis conversetur, a beneficio, et officio et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis in perpetuum privatur, et inhabilis redditur ad quod-

cumque beneficium, honorem, et officium ecclesiasticum, donec manifeste mutatis in melius moribus et vita dispensationem hac in re a propriis Superioribus obtinuerit. Perseverante vero adhuc contumacia, contra clericum hujusmodi proceditur eodem modo quo proceditur contra clericos non habentes beneficium, de quibus infra. Quod si clericus dimiserit turpe consortium cum muliere suspecta, et ad illud misere redierit, sive cum eadem, sive cum aliis, statuit Concilium, clericum hujusmodi præter prædictas pœnas, etiam excommunicationis gladio plectendum esse.

9. Cognitio autem et decisio quæstionum in materia concubinatus clericorum ad Episcopum reservatur, qui procedere potest absque strepitu ut figura judicii, sed veritate facti solummodo inspecta; et pœna quæ ab Episcopo infligatur, non potest in executione ab ulla exceptione vel appellatione suspendi aut retardari. Ita Tridentinum in *cit. c. 14. sess. 25. De Ref.*

10. Qua in re animadvertimus supra expositam pœnam privationis fructuum, quæ *ipso facto* imponitur, non obligare in conscientia clericum concubinarium, nisi post sententiam declaratoriam Judicis. Omnibus enim pœnis, quæ externam executionem requirunt, subjici non tenetur reus in conscientia ante declarationem Judicis, nisi a lege aliter caveatur, arg. *c. 19. De Hæret. in 6°*. — Conf. P. Thesaurus *De pœnis cap. 4. v. Concubinatus.* — Hæc de clericis beneficium aut pensionem possidentibus.

11. *Casus secundus.* Quoad clericos beneficium aut pensionem non habentes statuit Concilium in eod. *cap. 14. sess. 25. De Refor.* eos puniendos esse ab Episcopo juxta delicti qualitatem et perseverantiam contumaciæ. Pœnæ autem sunt reclusio in carceribus, suspensio ab ordine, inhabilitas ad beneficia obtinenda, aliæque pœnæ juxta sacros canones.

12. *Casus tertius.* In eodem *cap. 14.* Conc. Tridentinum statuit, Episcopum concubinarium, quod absit, post monitionem factam a Conc. Provinciali, nisi abstineat a prava consuetudine, ipso facto suspensum esse, et perseverante contumacia, rem esse deferendam ad Rom. Pontificem.

13. *Casus quartus.* Tandem Concilium Tridentinum in *c. 6. sess. 2. De Refor.* contra Parochos turpiter et scandalose viventes statuit, eos monendos esse, deinde si perseverent in contumacia, coërcendos esse et castigandos ab Episcopo, quod si incorrigibiles

perseverent in nequitia, eos privari posse beneficio ab Episcopo, juxta canonica instituta, quavis exceptione et appellatione remota.

14. Quæri tandem potest utrum contra omnes clericos concubinarios, et quomodo procedi possit.

Profecto si concubinatus clerici sit prorsus occultus, puniri nequit canonica sanctione, sed divino judicio plectendus relinquitur *can. XI. Erubescant. Dist. 32.* — Si concubinatus sit notorius, scilicet vel per confessionem factam in jure, vel per evidentiam facti, quæ nulla tergiversatione celari possit, *c. ult. h. t.*, tunc etiam sine accusatione contra clericum reum procedi potest. Verum debet servari forma procedendi præscripta a Conc. Trid., ita ut si quoad clericos beneficium possidentes privatio illico decernatur, spreta tridentina forma, seu ordine, privatio hæc habeatur ceu spolium judiciale, sitque nullius valoris, et concedatur clerico restitutio in integrum contra sententiam.

15. Tandem si concubinatus clerici sit quasi occultus, id est si tantum gravis suspicio de clerici concubinatu enascatur, et in populo scandalum oriatur, hoc in casu clerico neganti crimen inspecto jure Decretalium intimanda esset purgatio canonica; quam purgationem nisi præstare velit, vel in ea defecerit, tunc uti convictus puniri posset. Scilicet posset contra ipsum procedi tamquam in clericum concubinarium convictum, *c. 8. h. t. et cap. 10. De purgatione canonica.* Hodie vero juxta regulam tridentinam clericus graviter suspectus de concubinatu monendus est, ut mulierem suspectam a se removeat; quod nisi monitioni paruerit, præsumptio criminis exurgit contra eum, et proinde pœnis a Tridentino statutis subjici poterit.

Tandem animadvertimus, circa modum procedendi contra clericum concubinarium præ oculis haberi posse regulas practicas statutas in Instructione S. Congregationis Episcoporum et Regularium a Summo Pontifice Leone XIII. approbata die 11. Junii 1880, quam in appendice libri II. exhibuimus.

Titulus III.

De Clericis conjugatis.

1. Non omnis cohabitatio cum mulieribus est clericis interdicta; datur enim honesta cohabitatio per legitimum matrimonium.

De hac honesta cohabitatione agit titulus noster. Quæritur 1°. an Clerici possint matrimonium contrahere.

Distinguendum est inter clericos in minoribus, et clericos in majoribus ordinibus constitutos.

Clerici minores non solum valide, sed etiam licite contrahunt matrimonium; nam eorum mancipatio statui ecclesiastico et cultui divino non est absoluta, sed conditionalis. Scilicet clerici minores considerantur potius in via ad majores ordines, quos cum susceperint, in vera, completa et perpetua statione ecclesiasticæ militiæ collocantur. Positio ergo minorum ordinum relate ad statum ecclesiasticum, cum includat conditionem, *dummodo clericus velit in sancto proposito perseverare statum ecclesiasticum definitive amplectendi,* non reddit clericum ipsum inhabilem aut quoquomodo impeditum ad matrimonium contrahendum.

2. Matrimonium vero a clericis minoribus contractum, quantum in se est, collocat eosdem in conditione aliena ab ecclesiastica. Primo autem loco consideremus matrimonium clericorum in relatione ad beneficia quæ possident. Ex lege canonica clericus minor matrimonium contrahens, ante etiam ipsam consummationem privatur beneficiis, quæ possidet. Diximus *ante consummationem*, nam ob matrimonium impliciter ratum clericus beneficio suo privatur *capp. 1., 3. et 5. h. t.*

3. Specialem expositionem promeretur caput tertium, cujus species est: Quidam clerici minores diœcesis Verulanæ beneficium ecclesiasticum assecuti, aliquid de suis patrimonialibus bonis in Ecclesiam proprii beneficii contulerant. Cum deinde matrimonium contraxissent, quæsitum est ab Alexandro III. quid sentiendum esset de beneficio, et de bonis collatis Ecclesiæ. Pontifex respondit, beneficio privandos esse clericos hujusmodi, sed collata bona eisdem esse restituenda. Hæc vero secunda dispositio, quæ in summa capitis dicitur valde notabilis et allegabilis, procedit ex eo quod bonorum suorum donatio facta a clerico Ecclesiæ propriæ, vel a monacho monasterio, præsumitur conditionata, id est præsumitur eidem donationi implicite inesse conditio, ut duret, donec perduret commoratio donantis in Ecclesia vel monasterio. Nemo enim clericus vel monachus factus præsumitur velle se absolute bonis suis exspoliare adeo, ut ad statum laicalem reversus mediis sustentationis destitui patiatur. Hinc hæc donatio consideratur et acci-

pitur in similitudinem dotis ab uxore in domum viri illatæ. Unde merito Alexander III. præcepit restitutionem bonorum collatorum. Donationes vero quæ Ecclesiis absolute fiunt, irrevocabiles sunt.

4. Quæritur a DD. utrum privatio beneficii quoad clericum contrahentem matrimonium procedat ipso jure, an ex judicis sententia fieri debeat. Quamvis nonnullis auctoribus visum fuerit, hanc privationem non procedere ipso jure, sed requiri judicis sententiam, tamen prævaluit et in praxi servatur contraria opinio, quæ a Glossa in *c. 1. h. t.* traditur. Dicendum scilicet est, clericum minorem per ipsum contractum matrimonii omni prorsus privari titulo et jure beneficii aut beneficiorum possessorum. Ratio hujus canonicæ dispositionis in *c. 3. et 5.* adsignatur, et deducitur ex conceptu notabilis distinctionis et separationis pro latina Ecclesia inter statum conjugalem et statum clericalem. Status nempe conjugalis propter sua onera et officia erga uxorem et liberos habitus est ceu incompatibilis cum statu clericali, in quo homo divino servitio mancipatur. Hanc incompatibilitatem perbelle exprimit Innocentius III. in *cap. 5. h. t.* per hæc verba: *'in quorum* (clericorum conjugatorum) *conversatione cithara cum psalterio male concordat'*, ubi per vocabulum *cithara* Pontifex intelligit sæcularia solatia, et per vocabulum *psalterio* intelligit officia clericalia, inter quæ et illud est divinas laudes canendi. Ex qua incompatibilitate illico descendit, componi non posse statum conjugalem cum legitima et juridica possessione Beneficiorum, quæ statui clericali alligantur, et conceduntur ad honestam vitam clericorum in eum scopum, ut ecclesiastica munia diligenter et rite exerceant. Hinc in titulo *De Renunciatione c. 9.* matrimonii contractus agnoscitur a jure ceu factum inducens tacitam aut præsumptam renunciationem beneficii. Nec objiciant in *capp. 3. et 5. h. t.* a Pontificibus asseri clericos minores contrahentes matrimonium *privandos esse* beneficio; nam hæc verba explicantur juxta sententiam *cap. 1. h. t.*, in quo dicitur, compellendos esse ad relinquenda beneficia ecclesiastica. Scilicet si præsumant hujusmodi clerici adhuc detinere beneficium, expellendi sunt ab ipsa materiali possessione; non vero privandi ipso Beneficii titulo et jure, quo jam carent ob initum matrimonium.

5. Quid vero si matrimonium fuerit invalidum? Quidam distinguunt casum nullitatis ex defectu consensus vel ex impedimento cognito, et casum nullitatis ex occulto impedimento, quod

clericus contrahens ignoraverit. In 1°. casu ajunt, beneficiis præhabitis clericos non privari, eo quia non præsumitur renunciare juri suo, qui scienter actum nullum ponit; in 2°. casu vero privari, ob seriam voluntatem assumendi statum incompatibilem cum beneficio; quæ seria voluntas renunciationi æquivalet. Auctores qui hanc tuentur sententiam moventur ab *arg. c. Nuper 4. De Bigamis*, ubi propter affectum idest propter intentionem etiam inefficacem cum opere tamen subsecuto quis inter bigamos recensetur etc. — Casus cit. cap. 4. est de viro, qui post mortem uxoris ordines sacros suscepit et deinde attentavit et consummavit novum matrimonium. Porro licet hoc secundum matrimonium fuerit nullum, tamen vir ille ob affectum, idest intentionem contrahendi et consummandi matrimonium consideratus est uti bigamus. Verum si attendatur ad rationem juridicæ dispositionis, tenendum est, in utroque casu privationem beneficii locum non habere saltem ipso jure. Nam privatio beneficii fuit inducta ex incompatibilitate status conjugalis cum fideli adimplemento officiorum clericalium. Quoadusque ergo revera assumptus non est status conjugalis incompatibilis, censentur perseverare jura actus clericalis. Per matrimonium vero quomodocumque invalidum status conjugalis non assumitur. Hinc si matrimonium ex qualibet causa nullum contrahat clericus minor, dicendum est ipsum non amittere ipso facto jus et titulum beneficii juxta *Reg. 52. Jur. in 6°. Non præstat impedimentum, quod jure non sortitur effectum.* Nec factum contracti matrimonii in casu nostro potest recipi pro tacita renunciatione. Nam si matrimonium est validum, tunc certe, ob acceptationem veram et realem conditionis incompatibilis, jus præsumit factam renunciationem beneficii, sed in casu invalidi matrimonii deest acceptatio status incompatibilis; deest ergo in concreto ratio præsumptæ vel tacitæ renunciationis juxta intentionem *c. 9. De Renunc.* Videlicet non præsumitur clericus voluntatem seriam habuisse renunciandi beneficio nisi in hypothesi validi contractus matrimonii, et assumpti status conjugalis. Quod si enim clericus scivisset matrimonium non valere, procul dubio præsumitur noluisse valedicere beneficio. Ergo in hypothesi matrimonii invalidi admitti nequit renunciatio, præsertim quia, excluso facto juridico, renunciatio fieri debet auctoritate Superioris eandem acceptantis. Hæc responsio firmatur auctoritate Glossæ *fin. in c. 1. h. t.* et *can. Presbyterum. penult. Dist. 28.* Ergo non vacat beneficium ipso facto.

6. Quid igitur dicendum est de beneficio clerici minoris contrahentis invalidum matrimonium? Si invalidum sit matrimonium ob impedimentum occultum et ignoratum a partibus, licet ipse unicus actus matrimonialis contractus non reddat vacans beneficium clerici, tamen perseverantia clerici in statu conjugali, declarans acceptationem seriam et stabilem, idest repetitis actibus confirmatam status laicalis, naturaliter facit beneficium esse desertum. Hinc per collationem alteri factam procul dubio prior clericus privatur beneficio.

7. Si autem clericus scienter attentavit matrimonium invalidum, quamvis ipso jure non privetur titulo beneficii, tamen ob crimen exspoliandum esse beneficio judicis auctoritate tradunt doctores.

8. Hæc quæ diximus respiciunt beneficia clerico minori collata ante contractum matrimonii; quid vero dicendum de beneficio, quod forte clerico post contractum matrimonium, et perseveranti in statu conjugali conferatur? . . . Hæc collatio ob incompatibilitatem inter utrumque statum nulla est ipso jure. Quod si scienter collatio hujusmodi ab Episcopo facta fuerit; tunc clericum conjugatum a possessione beneficii illegitima ejiciet non quidem Episcopus ille, qui beneficium contulit, sed ejus Superior *c. 5. h. t.* circa finem.

9. Verum positæ conclusioni videtur adversari *cap. 7. h. t.* in quo supponitur posse clericum conjugatum beneficium ecclesiasticum assequi et retinere pacifice. Species est: In Diœcesi Pictaviensi clericus qui acolytus fuerat, dimisso habitu, uxorem duxerat. Episcopus cogebat eum, uxore frustra obsistente, ad habitum et tonsuram clericalem deferendam. Interrogatus hac de re Innoc. III., respondit, molestiam non esse inferendam clerico illi, nec cogendum esse ad deferendam tonsuram et habitum ecclesiasticum *'dummodo tamen nullum percipiat ecclesiasticum beneficium, cujus ratione ad id teneatur'*. Ergo etc. . . .

Respondemus. Incompatibilitas inter statum conjugalem et clericalem non est absoluta et essentialis uti diximus, sed derivat ex conceptu consecrato in legislatione Ecclesiæ latinæ. Potest ergo ex dispensatione Summi Pontificis clericus conjugatus beneficium recipere. Juxta glossam et communem doctorum sententiam, ad casum pontificiæ dispensationis respicit *cap. 7. h. t.* — Neque dicatur, Innocentium mentionem non fecisse hujus dispensationis;

nam cum necessitas dispensationis notissima esset, nec de illa moveretur quæstio, non tenebatur Innocentius illam commemorare. Erat insuper extra scopum mentio dispensationis; nam Pontifex ex suo scopo debebat solummodo indicare hypothesim, in qua clericus tenebatur gestare habitum, et hanc hypothesim conditionate expressit, idest si aliquod beneficium ecclesiasticum clericus conjugatus possideret, non vero tenebatur exprimere modum, quo hypothesis illa verificari poterat, an scilicet cum dispensatione, vel absque dispensatione; an cum dispensatione Pontificis vel solum ex dispensatione Episcopi. Res enim nota erat, quod dispensatio Pontificis requirebatur.

10. Quod de beneficiis dictum est, applicari etiam debet pensionibus ecclesiasticis; scilicet clerici minores, matrimonium contrahentes privantur ipso facto pensionibus ecclesiasticis, pariterque nulla est ipso jure collatio ecclesiasticarum pensionum facta clericis conjugatis, nisi accedat dispensatio Romani Pontificis. Porro pensiones ecclesiasticæ illæ dicuntur, quæ titulo clericali conferri solent.

11. Non prohibentur vero pensiones quæ titulo civilis stipendii concedi solent pro ministerio temporali et labore tolerando ex. gr. pro pulsandis organis, pro exercenda advocatia, seu patrocinio Ecclesiæ etc. . . . Pater Thesaurus *de pœnis ecclesiasticis, cap. IV. verbo Apostasia*, cum Doctoribus ex arg. *c. X. h. t.* tradit clericum in minori assumentem statum incompatibilem cum statu clericali ex. gr. *voluntariam militiam*, ipso facto saltem vi tacitæ renunciationis privari pensione ecclesiastica et ecclesiastico beneficio. Conferatur Giraldi *Expositio Juris Pontif. Sectio 336. ad cap. 1. tit. 3. lib. III.*

Hæc dicta sint de effectu matrimonii contracti a clerico minore in relatione ad beneficia et pensiones perceptas ex bonis ecclesiasticis; nunc considerandus est effectus ejusdem matrimonii relate ad privilegia clericalia.

12. Si inspiciamus jus decretalium, habemus *c. un. h. t. in 6°*, in quo conceditur clericis minoribus conjugatis privilegium fori, et privilegium canonis dummodo binæ sequentes conditiones verificentur: 1°. ut matrimonium contraxerint cum unica et virgine, secus enim bigami essent et irregulares, omni proinde clericali privilegio destituti *cap. un. De Bigamis in 6°.*; 2°. ut vestes clericales et tonsuram deferant. Hisce conditionibus tertiam addit Conc. Tridentinum in *c. 6. sess. 23. De Ref.* pro conservando privilegio

fori, ut nempe alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio de mandato Episcopi sint addicti.

In cæteris vero clericus conjugatus habetur uti laicus, idest aliis privilegiis destituitur, quemadmodum legitur in *cit. c. un. h. t. in 6°*. — Hinc non fruitur beneficio competentiæ ex cap. *Odourd. De solutionibus.*

13. Verum *capiti un. h. t. in 6°*. adversari videtur dispositio *c. 7. h. t.* in quo Innocentius III. expresse asserit, clericum conjugatum etiam deferentem habitum et tonsuram privilegio clericali non gaudere. Ut concilientur hæ duo capita aliqui dicunt, verba illa *privilegio clericali* sumenda esse pro summa et universitate privilegiorum, quæ clerico conjugato non certe competunt; nam in *cap. un. h. t. in 6°*. duo tantum tribuuntur privilegia, fori nempe et canonis. At hæc conciliatio capitum admitti nequit. Verba enim *clericali privilegio* non solum cumulum privilegiorum indicant, sed etiam exprimunt ipsa privilegia in particulari. Innocentius ergo ipsa etiam duo denegat privilegia, quæ Bonifacius admittit. Ad repugnantiam vero horum capitum tollendam, dici potest jure antiquiori clericos conjugatos nec duo privilegia canonis et fori obtinuisse. Hinc Innocentius asserere absolute potuit, clericum conjugatum privilegio clericali non gaudere. At Bonifacius pristinum jus immutans, conjugatis clericis privilegia canonis et fori, binis conditionibus, de quibus supra, existentibus, concessit. Quod vero clerici conjugati ante Bonifacium omni privilegio reapse privarentur, et laicis hominibus æquipararentur, patet ex Honorio III. *in c. 9. h. t.* in quo Honorius ait reginam Angliæ a clericis uxoratis posse exigere absque ulla limitatione et absolute *justitias debitas et consueta servitia.* Adeoque implicite fassus est Honorius, nullam esse agnoscendam distinctionem inter clericos minores conjugatos et laicas personas.

14. De clericis majoribus in relatione ad matrimonium. Matrimonium relate ad clericos majores dupliciter considerari potest, vel nempe est contractum ante ordines majores, vel contrahendum post susceptos majores ordines. Si in secundo respectu consideretur matrimonium, certum est, in Ecclesia latina nec licite nec valide ipsum contrahi posse a clericis majoribus *can. Presbyterum. penult. Dist. 28. et capp. 1. et 4. h. t.* Sacer enim ordo, quemadmodum etiam solemne votum in approbata religione constituit impedimentum dirimens matrimonium; prouti definitum est in *Conc.*

Trid. sess. 24. De Matr. can. 9. qui ita se habet: '*Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.*' Ratio canonica hujus dispositionis reponenda est in perpetua et absoluta mancipatione hominis in eo statu qui per ordines majores assumitur, quique juxta conceptum legislationis Ecclesiæ latinæ distinctus prorsus est, et incompatibilis cum statu conjugali.

15. Si vero sermo sit de 1°. respectu, videlicet an homo Christianus post contractum matrimonium, ipsoque perseverante, ad majores ordines promoveri queat; respondemus, in Ecclesia latina virum, uxore vivente, excepto tamen casu adulterii ex parte uxoris, non posse licite ad majores ordines ascendere, nisi ex consensu uxoris, quæ ingredi Religionem debet, vel si in ætate sit in qua suspicio de ejus incontinentia oriri non possit, remanere potest in sæculo sed emittere tenetur votum perpetuæ castitatis *cap. 2. h. t. et c. 5. et c. 8. De convers. conjugatorum* . . . Diximus *excepto casu adulterii.* Nam ob adulterium uxoris potest vir mulierem pro tota vita deserere, ac proinde, ea etiam invita, potest statum incompatibilem cum matrimonio assumere, nempe sacros suscipere ordines *c. 4. et c. 15. De Divortiis.* Hæc innuisse sufficiat quoad Ecclesiam latinam; de hac enim re iterum sermo erit in cit. *tit. De conversione Conjugatorum.*

16. Si de Ecclesia græca sermo sit, pariter distinguendum est inter matrimonium contractum et matrimonium contrahendum. Clerici, qui matrimonium contraxerunt in ordinibus minoribus, possunt ad majores ordines, excepto episcopatu, promoveri, constante matrimonio, illoque uti. At ab usu matrimonii abstinere debent clerici hujusmodi quando ministerii proprii munia implere tenentur. Hæc disciplina inducta est ex *can. 13.* concilii trullani, et toleratur ab Innocentio III. in *cap. 6. h. t.* Diximus *excepto* episcopatu; nam in episcopatu nec græci admittunt usum matrimonii. Quare qui est uxoratus non promovetur ad episcopatum, nisi consentiente uxore, quæ vel religionem ingredi, vel votum emittere debet perpetuæ castitatis in sæculo, omni prorsus suspicione et periculo incontinentiæ remoto.

17. Quid vero dicendum de matrimonio in Ecclesia græca post susceptos ordines majores contrahendo? Habemus canonem sextum Synodi trullanæ, quæ etiam quini-sexta Synodus nuncupatur. Verba

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

canonis hæc sunt: '*Quoniam in apostolicis etc. . . . decernimus ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere* (matrimonium) *liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur*'.

18. Verum prohibitio contrahendi matrimonium plene et in universali Græcorum disciplina servata non est quoad Subdiaconos; in genere enim græca Ecclesia subdiaconatum in censu majorum ordinum non adscripsit. Attamen si de Italo-græcis sermo sit, qui nempe in Italia et in insulis adjacentibus fidelibus ritus latini commixti commorantur, ac Episcopis latinis subsunt, specialis data est constitutio a Benedicto XIV. *septimo Kalendas Junii ann. 1742*, quæ incipit: '*Etsi Pastoralis*' quæque legitur in 1°. tom. Bullarii ejusdem Pontificis *sub n. 57*. In hac porro constitutione *§ 7. n. 27.* prohibet Pontifex non solum Presbyteris et Diaconis, sed etiam ipsis Subdiaconis matrimonii contractum post ordinationem.

19. At si reapse a majoribus clericis fuerit initum matrimonium inter Græcos, eritne validum? Si sermo sit de Italo-græcis in Italia vel in insulis adjacentibus commorantibus, certum est, matrimonium clericorum majorum nullius esse valoris; nam Pontifex Benedictus in *cit. § 7. Const. Etsi Pastoralis* expresse ait: '*Matrimonium post recensitos ordines* (Subdiaconatus et supra) *contractum, nullum irritumque declaramus*'.

20. At si sermo sit de aliis Græcis, non eadem certitudine dici potest, matrimonium contractum a clericis majoribus nullum esse ac irritum. Sane quæstio agitata est et quidem magna contentione inter doctores et pluribus visum est, matrimonium contractum a clericis majoribus in Ecclesia orientali esse quidem illicitum, non vero invalidum. Nam canon Synodi Trullanæ supra relatus loquitur quidem expresse de prohibitione contrahendi matrimonium post susceptos majores ordines, non tamen irritum pronunciat matrimonium illud. Ergo revera pro Ecclesia græca, exceptis Italo-græcis, lex generalis irritans matrimonium clericorum majorum clara et explicita non adest. Hinc matrimonium hujusmodi nec incidit sub sanctione *can. 9. sess. 24. De Ref. matr. in Tridentino;* nam ibi nullitas matrimonii procedere dicitur ex lege ecclesiastica, vel ex voto. Supponit ergo Concilium Tridentinum legem ecclesiasticam vel votum quod matrimonium irritet. Ubi igitur desit hæc lex et desit votum, ibi matrimonium clericorum non deprehenditur esse sub lege irritante tridentina. Verum plures alii Doctores juxta

ipsam disciplinam orientalis ecclesiæ ab Imperatore Justiniano in *leg. 45. Cod. de Episc. et cler.* roboratam, tuentur omnimodam invaliditatem matrimonii quod a clericis majoribus in ecclesia orientali contrahatur. Benedictus XIV. in *Instruct. 'Eo quamvis' data die 4. Maji 1745. § 38.* horum doctorum sententiam appellat saniorem, et Congregationum Urbis menti magis conformem. Hæc Benedicti XIV. opinio documentis posterioribus et nobis coævis roboratur. Etenim præsto est Instructio data de Summi Pontificis Pii IX. s. mem. mandato a S. Congregatione de Propaganda Fide Archiepiscopo Fogarasiensi et Albæ-Juliensi ritus græci-rumeni die 24. Martii 1858, in qua satis superque innuitur, matrimonium quod contrahant clerici in majoribus ordinibus constituti, esse prorsus irritum. Etenim inter alia in hac Instructione edicitur *'Quod si aliqui (quod Deus avertat) post sacros (ordines) ut præfertur, matrimonium attentare præsumpserint, decernit Sanctitas sua, ut ad tramites sacrorum canonum severe puniantur'.* Jam vero verba *matrimonium attentare* juxta loquendi modum in re canonica matrimonii nullitatem exprimunt. Præterea cum ageretur de legitimando secundo conjugio inito a quodam sacerdote græco-rumeno Diœcesis Magni-Varadini inito cum muliere vidua, S. Congregatio Supremæ Inquisitionis *die 22. Decembris ann. 1875* sequens dedit responsum: *'Attentis peculiaribus facti adjunctis, supplicandum Sanctissimo pro gratia dispensationis super impedimento ordinis ac bigamia, ut orator Paulus Papp, prævia reductione ejus ad statum laicalem perpetuum, et gravibus ac salutaribus impositis pœnitentiis, matrimonium legitime contrahere valeat.'* Ex audientia autem eadem die a Summo Pontifice habita rescriptum prodiit: *'Sanctissimus benigne annuit pro gratia dispensationis juxta Eminentissimorum Patrum suffragia, quæ confirmat'.*

Hisce positis, licet in puncto juris, et in forma generali theoretice non sit resoluta quæstio; tamen ex mente et intentione S. Sedis taliter manifestata prior sententia hodie non amplius sustineri posse videtur.

De pœnis contra clericos majores matrimonium attentantes.

21. Juxta veterem disciplinam expressam in canonibus *2. et 9. Dist. 28.* qui canones incipiunt *'Presbyter* et *Decernimus'*, clerici majores matrimonium contrahentes deponebantur.

22. Jure autem Decretalium Greg. IX. statuta est pœna suspensionis et excommunicationis ferendæ sententiæ *cap. 1. h. t.* Accessit inde Const. Clementis V. in Conc. Viennensi in Gallia celebrato ann. 1311. relata in *c. un. De Consanguinitate et affinit. inter Clementinas,* in qua decernit Pontifex, Clericos majores matrimonium contrahentes esse ipso facto excommunicatos. Hanc excommunicationis latæ sententiæ pœnam renovavit Pius IX. in Const. *Apostolicæ Sedis, edita quarto Idus Octobris ann. 1869,* ejusque solutionem reservavit Episcopis seu Ordinariis.

23. Hæc vero pœna excommunicationis clericos majores percellit, etiamsi solummodo attentaverint matrimonium; nam si etiam illud consummare ausi fuerint, contrahunt etiam irregularitatem bigamiæ similitudinariæ ex *c. 7. De Bigamis non ordinandis.* Insuper post *can. 9. cit. sess. 24. de Ref. matrim. in Tridentino,* si clerici majores matrimonium attentaverint cum errore formali, scilicet arbitrantes matrimonium attentatum revera validum esse, considerari debent ceu hæretici, et pœnis plecti possunt contra hæreticos latis. — Hæc de clericis latinis.

24. Contra clericos majores græcos matrimonium contrahentes post ordinationem ex lege generali trullana in *cit. can. 6°.* decernitur pœna depositionis. Contra vero Italo-græcos Benedictus XIV. in *cit. § 7. Const. 'Etsi Pastoralis'* confirmat pœnam depositionis, simulque statuit excommunicationem latæ sententiæ.

Titulus IV.

De clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

1. Unum ex capitibus honestatis externæ clericorum est ut ministeriis suis rite fungantur. Quare postquam actum est de vitæ et morum probitate sive relate ad illicitam, sive relate ad honestam cohabitationem clericorum cum mulieribus, merito proponitur tractatio de residentia clericorum in loco beneficii sui; quæ residentia plurimum influit in laudabile exercitium ecclesiastici ministerii.

Residentia definiri solet: Commoratio assidua seu ferme continua in Ecclesia, seu loco beneficii servitii ecclesiastici personaliter præstandi causa. — Hinc in sensu canonum revera non residet, qui officia ecclesiastica non præstat, quamvis in regione vel urbe commoretur, ubi beneficium possidet. Immo ut adnotant doctores, residere in sensu canonum nihil aliud est, quam deservire

officiis divinis in Ecclesia, in qua quis residere debet. Hinc residentia clericorum dicitur commoratio laboriosa.

2. Hæc residentia dicitur *vera et realis;* datur autem etiam residentia *ficta,* quæ locum habet, quoties clericus cum deberet aliquo in loco commorari et Ecclesiæ inservire, ibi ex legitima causa non commoratur; attamen fictione juris censetur residere. Quare licet revera alibi commoretur clericus, nihilominus fructus sui beneficii percipit, proinde ac si officia personaliter adimpleret.

3. Ecclesiæ vox, de qua in rubrica tituli proprie, exprimit beneficium, cui adnexa est cura animarum, sive proprio nomine possideatur, sive vicario nomine, sive sit beneficium majus ex. gr. Episcopatus, sive sit minus ex. gr. Parœcia. Præbendæ autem vocabulum significat quodcumque beneficium cui adnexa non est animarum cura.

4. Inspecta beneficiorum primæva institutione, dicendum est, omnia prorsus beneficia secumtulisse personalem clerici residentiam. Nam beneficia instituta sunt ceu totidem tituli, idest ceu definitæ stationes clericorum, in quibus clerici ecclesiastica servitia exhiberent, simulque ab Ecclesia consequerentur unde honeste viverent. Quare in qualibet Ecclesia tot clerici ordinabantur, quot erant tituli. Igitur juxta juridicum conceptum, cuilibet beneficio adnexum est officium et quemadmodum docet *cap. ult. De Rescr. in 6°. beneficium datur propter officium:* Pontifex autem in *c. 13. De Præbenda* docet *singula officia exigere assiduitatem personarum.* Nec ex jure communi antiquo exiguitas beneficii ab obligatione residendi eximere poterat. Etenim ipso beneficio privari poterat clericus, qui prætextu exiguitatis officia seu servitium Ecclesiæ non præstabat *c. 6. h. t.* Verum immutatis rerum adjunctis, desinere incepit pro aliquibus beneficiis ratio obligationis servandi legem residentiæ.

5. Instituta enim sunt a fidelibus beneficia, quæ cum ex una parte non satisfaciebant honestæ clerici sustentationi procurandæ; ex altera autem parte onera adnexa habebant, quæ alibi etiam extra Ecclesiam beneficii persolvi poterant, ex. gr. onus recitationis privatæ horarum canonicarum, aut aliarum precum. Hinc ex rationabili et universali consuetudine inductum est, ut nonnulla beneficia legem residentiæ non secumferrent. Inceperunt inde distingui beneficia residentialia et non residentialia, quæ communi acceptione hodie appellari solent beneficia simplicia. De beneficiis

igitur residentialibus in titulo nostro agendum est; et primo loco de illis, quæ nomine Ecclesiæ veniunt, quibus scilicet cura animarum adnexa est.

6. Quod jure ecclesiastico ad personalem residentiam teneantur clerici, qui possident hæc beneficia, patet ex pluribus locis. Faciunt ad rem *c. 2. et 9. h. t.* et aliis omissis, *c. 1. sess. 6. et c. 1. sess. 23. de Ref. in Tridentino.* Quæstio potius a Doctoribus proponitur, utrum hæc personalis residentia a clericis curam animarum exercentibus exigatur etiam *jure divino.* Hæc quæstio agitata fuit in ipso Concilio Tridentino *sess. 23.* et patres in binas sententias divisi sunt. Res autem ita composita est, prout refertur in *c. 1. cit. sess. 23. 'Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, Sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant etc. . . .'* Plures et quidem optimæ notæ inter Theologos et Canonistas, quamvis fateantur, decretum Tridentinum non referre characterem dogmaticæ definitionis, cum non inter canones et articulos fidei a Concilio recenseatur, sed exhibeatur inter decreta reformationis disciplinæ; tamen docent, ex verbis expositis satis, superque probari, residentiam personalem pastorum ecclesiasticorum præcipi ab ipso divino jure. Dicunt enim, absque reali residentia et vera, idest absque personali præsentia personæ præstari non posse ea quæ ex divino præcepto juxta Tridentinum pastores Ecclesiarum exequi tenentur. Porro qui jure divino tenetur ad finem, tenetur eodem jure etiam ad media.

7. Non videtur tamen undequaque probanda horum doctorum sententia, præsertim cum, ea admissa, non appareret quomodo ecclesiastica potestas posset ab onere residendi Episcopum dispensare, quemadmodum fecisse quandoque videmus. Potius dicendum esse arbitramur, obligationem personalis residentiæ pastorum ecclesiasticorum esse de jure ecclesiastico fundato tamen in intentione juris divini, non esse vero de stricto jure divino. Et sane, ut osten-

derent prioris sententiæ patroni personalis residentiæ obligationem proprie esse de stricto jure divino, demonstrare deberent, ea officia, quæ juxta Tridentinum ex præcepto divino pastoribus incumbunt, nullatenus, nec saltem sufficienti convenientique modo etiam in absentia et per alios præstari posse. Verum nemo denegabit, pastoralia officia esse delegabilia *cap. Inter cætera c. 15. De Off. Jud. ordin.* et vigilantiam seu vigilantem assistentiam a solerti pastore posse exhiberi, licet absente; quemadmodum de se testatur Paulus in *2ª. ad Cor. c. 28. Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

8. Hinc Tridentinum in loco citato præceptum idest jus divinum invocans proprie non condemnat ipsam absentiam corporalem pastorum, sed *desertionem Ecclesiæ;* condemnat scilicet pastores qui ita absunt ab Ecclesia ut more mercenariorum quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, dominicum gregem *deserant.* Condemnat ergo proprie ex virtute præcepti divini curæ negligentiam et ovium contemptum, non ipsam absentiam pastorum.

9. Ceterum quamvis personalis residentia pastorum non sit de stricto jure divino, tamen maxime congruit cum officiorum pastoralium conceptu, quem nobis divina institutio et missio pastorum offert. Quisque enim per se melius pascit gregem suum, quam per alios; hinc dicimus legem personalis residentiæ fundari in intentione juris divini. Igitur concludi potest, residentiam pastorum sive per se, sive per alios præstandam eisdem pastoribus a divina lege juberi, residentiam vero personalem, id est per seipsos præstandam juberi a jure ecclesiastico.

10. Ecclesiastica lex personalis residentiæ præter Episcopos aliosque Prælatos regimen Ecclesiarum habentes, et præter rectores Ecclesiarum quibus cura animarum adnexa est, obligat etiam canonicos et beneficiarios Ecclesiarum Cathedralium et collegiatarum, ob chori et altaris servitium, quod præstare tenentur; potest etiam obligare possessores aliorum beneficiorum in Ecclesiis non collegiatis erectorum, si vel ex constitutionibus earumdem, vel ex lege fundationis, vel ex legitima consuetudine clericus beneficii possessor per se ipsum in Ecclesia sua adsignata sibi officia exsequi teneatur. Si attendamus ad juris ecclesiastici dispositionem, videmus, Ecclesiam constanter adlaborasse, ut clerici in loco beneficii sui residerent; ac pœnam privationis beneficii statuisse contra delinquentes.

11. Verum agnitum simul est, rationalem causam dari posse, quare Clericus excusaretur a personali residentia. Intimant hanc exceptionem ex legitima causa *cap. 4. et ult. h. t.* nec non *c. un. h. t. in 6°.*, expresse autem rem definit et ipsas causas adsignat Concilium Tridentinum in *sess. 23. c. 1. De Refor.* Causæ vero sunt quatuor: scilicet *1°. Christiana charitas, 2°. urgens necessitas, 3°. debita obedientia, 4°. evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas.* Hæ quatuor causæ, quæ ut principaliores, seu potius genera rationabilium causarum, quoties etiam singillatim verificentur, excusant clericum a temporali absentia a loco beneficii sui.

12. Sed pastores et rectores animarum cavere debent ut quantum fieri potuerit, ex ipsorum absentia fideles eorum curæ commissi nullum damnum accipiant. *Conc. Trid. in cit. loco.* Breviter singulæ enumeratæ causæ explicandæ sunt.

13. Et primo quidem christianæ charitatis nomine intelligitur spirituale bonum proximi nostri procurandi necessitas, quod bonum probabiliter ab alio quam ab ipso clerico sperari æque non posset. Hinc juxta exemplum S. Pauli qui Timotheum aliosque discipulos, particularium Ecclesiarum Episcopos, ad alienas Ecclesias abire jussit pro causa fidei promulgandæ vel confortandæ inter fideles, poterit Episcopus ad alienam Diœcesim transire pro negotio fidei tuendæ, si prædicatione sua possit gliscentibus erroribus resistere, aut schismatis periculum removere. Sic etiam ratio administrandorum sacramentorum in alienam Diœcesim vocare potest Episcopum. Pariter ob christianam charitatem reliqui clerici alio se possunt conferre, ad pacem conciliandam inter dissidentes, vel ut revocent peccatores ad bonam frugem; dummodo vero hæc omnia per alium æque præstari non possint.

14. Secunda causa est *urgens necessitas.* Hæc necessitas vero non ea est, quæ ex publica loci calamitate oritur; sed ex personali ratione ipsius clerici derivat. Hinc sufficiens absentiæ ratio esset infirmitas clerici, aut persecutio directa contra ipsum. Diximus necessitatem excusantem in ratione personali esse constituendam; nam si de ratione communi sermo esset, clerici curam animarum habentes, quemadmodum parochi, vel regimen Ecclesiarum retinentes uti Episcopi, recedere nequeunt a propria residentia ex. gr. tempore pestis, vel tempore persecutionis contra fidem. Sic statuitur in *cann. Suggestum, Suscitaris et Adversitas* § *Hoc tunc causa 7. q. 1.*

15. Tertia causa est: *Debita obedientia,* si nempe Summus Pontifex Episcopum sive per mandatum extraordinarium, sive per legem ordinariam visitationis Sacrorum liminum advocet: vel Episcopus clericum sibi subjectum ad tempus alio avocet ad aliquod negotium diœceseos peragendum; ex. gr. ad visitandam Diœcesim, vel partem ejus *c. 7. h. t.*

16. Animadverti vero debet Episcopum non posse Parochum assumere ad officium quod habitualiter absentiam a loco beneficii exposcit ex. gr. ad officium Secretarii, Vicarii Generalis, Fiscalis, Visitatoris ordinarii Diœceseos etc. . . . quemadmodum ex mente Sacræ Congregationis Concilii probant Garcias *De Beneficiis part. 3. c. 2. n. 40. et seqq.* aliique canonum Doctores. Sane proposito dubio: *an dignitas, seu canonicus Ecclesiæ cathedralis, cui est adnexa cura animarum, possit exercere munus Vicarii Generalis?* Sacra Congregatio die 3. Februarii 1685 respondit: *Negative. (Lib. Decret. XI. ss. p. 29.)*

17. Quarta causa legitima absentiæ est *Ecclesiæ vel Reipublicæ evidens utilitas.*

Et Ecclesiæ potest esse vel propriæ Ecclesiæ, in qua nempe Clericus residere debet, vel Ecclesiæ universalis. Et 1°. *Propriæ Ecclesiæ* si ex. gr. alibi commorari ad tempus debeat Episcopus vel Parochus pro tractanda lite, vel et pro remediis parandis, novis casibus emergentibus ejusdem suæ Ecclesiæ. 2°. *Ecclesiæ universalis,* quoties nempe ad Concilium œcumenicum accedendum est vel ecclesiastica legatione ungendum sit ex mandato Pontificis.

Ex dictis sequitur, utilitatem Ecclesiæ non propriæ haud quaquam esse legitimam causam, ob quam Clericus a sua residentia recedat.

18. Etiam Reipublicæ evidens utilitas ab onere residendi excusat pro aliquo tempore. Hoc autem verificatur 1°. quando agitur de aliquo implendo munere reipublicæ civilis, quod sit Episcopatui adnexum, quale erat munus Electorum in Germania. Simile huic arbitramur hodie esse munus senatoris ex lege regni concreditum Episcopis, qui ad dignitatem cardinalatus promoventur; nec non idem munus, quod sit adnexum alicui sedi episcopali in regno. 2°. Quoties publicum magni momenti negotium ab alio quam a Clerico æque utiliter expediri nequeat. Hinc urgente regni causa

Episcopus potest esse ad tempus orator, seu legatus Principis sæcularis. Arg. *can. Si Episcopus Dist. 18. et c. 19. De Appellant.*

19. Nequeunt vero Episcopi officia retinere in curiis sæcularibus, quorum intuitu non excusantur ab obligatione residendi in propria Ecclesia. Immo contra Episcopos hujusmodi officia acceptantes, et eorum causa a propria sede recedentes Concilium Tridentinum insurgit, et commemorato prius onere conscientiæ, renovat contra eos pœnas veterum canonum, et alias etiam pœnas de novo decernit, de quibus infra. Ita legitur in *c. 1. sess. 6. De Reform.* incipiendo a verbis *'Quia nonnulli quod vehementer dolendum est' etc.* Præterea contra Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos etc. absentes a Diœcesi graves pœnas statuit Urbanus VIII. in Const. *Sancta Synodus diei 12. Decemb. 1634.* et expresse adnotat, eos a pœnis non excusari prætextu et ratione cujuscumque servitii præstandi quibuscumque principibus, vel rebus publicis. Hæc dicta sint in genere de causis quæ a jure agnoscuntur ceu legitimæ ad aliquem clericum, et in specie ad Episcopum eximendum ad tempus ab onere residendi in propria Ecclesia vel in loco Beneficii.

20. Nunc aliquid in specie dicendum est de singulis classibus eorum, qui ad personalem residentiam obligantur. Et primo quidem de Episcopis quæritur, an posita existentia unius ex prædictis causis, aliquid aliud requiratur ut Episcopus legitime absit pro aliquo tempore a sua Diœcesi. Respondemus duo requiri 1°. ut per idoneos viros provideat spirituali bono fidelium sibi commissorum, 2°. juxta Tridentinum *in cit. c. 1. sess. 23. De Ref.* requiritur, ut una ex supra expositis absentiæ causis a Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente a Suffraganeo antiquiori residente, in scriptis probetur, nisi absentia contingat ob aliquod munus, et reipublicæ officium Episcopatui adnexum. Dixi *juxta Tridentinum,* nam res immutata est ab Urbano VIII. in *Const. Sancta Synodus* citata, cui consonat Const. Benedicti XIV. *Ad universæ diei 3. Sept. an. 1746.* Ex hisce Constitutionibus habemus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis vetitum esse quominus a propria Diœcesi discedant, nisi obtenta prius Romani Pontificis licentia per Breve seu per literas missivas. Ut vero Sancta Sedes in hisce licentiis concedendis prævio maturo examine procederet, Urbanus VIII. specialem Congregationem Cardinalium instituit, de qua loquimur in *tit. De officio Judicis ordin. in Lib. I.*

Verum ipse Pontifex Urbanus VIII. excipit a sua lege casum 'personalis interessentiæ (Episcoporum) Synodis provincialibus vel congregationibus seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris aut reipublicæ officii episcopatibus, vel ecclesiis minoribus adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari solent'.

21. Ex quibus tum Concilii Tridentini, tum Urbani VIII. verbis descendit, rigore juris non posse Episcopum qui ex voluntate principis laici vel ex voluntate populi electus sit ad officium Senatoris vel Deputati abesse a sua residentia absque licentia Romani Pontificis. Nam hoc officium non est Episcopatui adnexum, sed potius personæ quæ ob sua merita ad illud officium assumitur ex Principis beneplacito vel ex populi suffragio. Quare cum hic casus non sit præ oculis habitus sive a Tridentino, sive ab Urbano VIII.; hinc Doctores concludunt, tutius esse, licentiam petere a Romano Pontifice. *Conf. Lucidi De Visit. Sacror. Liminum. Vol. I. part. I. pag. 120. et 121.* in exceptione § 11. Instructionis Sacræ Congregationis Concilii *quæst. I. n. 4. et 5.*

22. At mihi videntur in hac re magni facienda esse, 1°. honor et bonum quod Ecclesiæ redundare potest ex istis electionibus Episcoporum ad officium Senatoris vel Deputati, si legitime fiant. 2°. Consuetudo localis a notabili tempore inducta et constanter observata. 3°. Silentium Romanorum Pontificum, qui hujusmodi Episcopos ad legem residentiæ non revocarunt. Ceterum indubium quidem est in exceptione Tridentini et Urbani VIII. comprehendi illos Episcopos, qui ad munus Senatoris in regno deputantur, vel ratione sedis, vel ratione dignitatis Cardinalatus qua a Romano Pontifice cohonestantur.

23. Quæritur secundo, an etiam absque ulla ex prædictis quatuor causis possit Episcopus abesse a sua Diœcesi? In sæpe cit. *can. 1. sess. 23. de Reform.* conceditur Episcopo, ut rationabili motivo, et absque gregis detrimento singulis annis per bimestre, aut ad summum per trimestre sive continuum sive interruptum possit a Diœcesi abesse. Porro rationabile motivum potest esse ipsa causa recreandi animum qui toto anni tempore curis et negotiis pastoralibus distentus, quiete precaria indigere præsumitur, ut vires reficiantur ad labores majori cum solertia inde suscipiendos. Admonet vero et hortatur sancta Synodus, ne hoc spatio bimestrali vel trimestrali comprehendatur tempus Adventus et Qua-

dragesimæ, vel dies Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, quibus refici maxime et in Domino gaudere pastoris præsentia oves debent, nisi episcopalia munia Diœceseos Episcopum alio vocent; simulque oncrat conscientiam Episcopi, ut provideat, ne ex ejus absentia christiana plebs ullum detrimentum patiatur.

24. Porro cum hæc facultas absentiæ bimestralis vel trimestralis a jure ipso concedatur, quisque videt, hanc absentiam non requirere licentiam alicujus superioris.

25. Circa hanc absentiam vero adnotandum est, non posse Episcopum spatium absentiæ unius anni conjungere cum absentia alterius anni, ex. gr. non potest Episcopus per quatuor aut sex continuos menses abesse, computando menses conciliares anni qui exspirat, et menses alterius anni qui incipit. Quemadmodum resolvisse S. Congregationem Concilii Fagnanus refert *Comm. in cap. Qualiter 9. h. t. num. 40 et seqq.* Rationes hujus decisionis præcipue videntur esse, 1°. quia semestrali aut quadrimestrali tempore facile comprehendi possent tempus Adventus et dies Nativitatis Domini, 2°. quia ex mente Tridentini absentia Episcopi debet esse talis ut dici possit *aliquantisper abesse ut statim sit reversurus.* Quod certe asseri nequit de semestrali tempore continuo, quod semestrale tempus ab eodem Concilio in *c. 1. sess. 6. de Ref.* non breve reputatur, imo pœna amissionis quartæ partis fructuum unius anni mulctatur.

26. Præterea vetitum est Episcopis, ne bimestrale vel trimestrale tempus absentiæ conjungant sive cum eo tempore, quo ipsis permittitur post earum promotionem in urbe Roma commorari, prout infra videbimus, sive cum eo tempore quod eisdem conceditur ad peragendam visitationem Sacrorum liminum, sive etiam cum eo anni tempore, quo propter aëris insalubritatem alicui Episcopo permittitur a Diœcesi abesse. Tandem declaratum est, spatium bimestris vel trimestris absentiæ intra cujusque anni terminos coërceri. Unde Episcopus qui uno anno usus non est indulto conciliari absentiæ, non potest insequenti anno ultra tres menses a Diœcesi abesse. Conf. *Const. cit.* Benedicti XIV. *Ad universæ n. 6.*

De pœnis contra Episcopos non residentes.

27. Jure decretalium Episcopus sine legitima causa et propria temeritate recedens et notabiliter absens ab Ecclesia, si ad-

monitus non rediisset, poterat Episcopatu spoliari *c. 9. h. t.* Verum jus novum in hac materia inductum est a Concilio Tridentino in duobus citatis locis. In *c. 1. sess. 6.* renovat pœnas veterum canonum contra Episcopos absentes a Diœcesi, et deinde hæc statuit: si Episcopus, justis ac rationabilibus causis cessantibus, extra suam Diœcesim morando abfuerit sex et continuis mensibus, ipso jure incurrit pœnam amissionis quartæ partis fructuum unius anni, applicandæ per superiorem ecclesiasticum fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus loci. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittit. Crescente vero contumacia Metropolitanus Suffraganeos absentes, absentem vero Metropolitanum antiquior suffraganeus Episcopus residens sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam eo ipso incurrenda, intra tres menses per literas seu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur; qui Romanus Pontifex in ipsos absentes pro quantitate contumaciæ animadvertet, ipsasque Ecclesias de utilioribus pastoribus etiam providebit. Et quidem tota hæc Concilii Tridentini dispositio seu sanctio omnes complectitur Patriarchas, Primates, Metropolitanos et Episcopos quacumque dignitate, gradu et præminentia fulgeant, nec non eos qui ecclesiam vel patriarchalem vel primatialem vel metropoliticam vel cathedralem regunt, quocumque titulo, causa vel nomine, sive jure commissam. Unde Sanctio Concilii etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales comprehendit, qui aliquam Diœcesim regunt, prout expresse traditur in *sess. 23. c. 1.*, nec non eos qui aliquam Diœcesim sibi concreditam gubernant titulo commendæ vel administrationis.

28. At cognitum est, decretum hujusmodi fuisse ab aliquibus saltem ex parte perperam intellectum et applicatum. Ex eo enim inferebant, posse Episcopum impune abesse a sua Ecclesia vel Diœcesi per quinque integros menses. Concilium enim pœnam statuerat contra absentes ad sex menses. Ad hanc corrigendam interpretationem conflatum est decretum in *c. 1. sess. 23. de Ref.* in quo definitur legitima absentia Episcopi spatio annui bimestris, vel ad summum trimestris, quo transacto, præter peccatum lethale quod Episcopi absentes patrant contra eos renovantur pœnæ statutæ in *cit. c. 1. sess. 6.*, et insuper infligitur pœna amissionis fructuum pro rata temporis absentiæ. Hæc vero amissio procedit ipso jure, nec expectari debet ab Episcopo absente aliqua sententia declaratoria superioris. Hinc Episcopus tenetur in conscientia quotam fructuum

temporis absentiæ fabricæ Ecclesiæ aut pauperibus loci erogare. Quod nisi ipse Episcopus præstiterit, superior hanc perficit erogationem et quidem integram. Nam Concilium quamlibet compositionem seu condonationem fructuum etiam partialem interdicit.

29. At dubium exoritur circa modum computandi quantitatem amissionis fructuum. Nam ex dispositione *c. 1. sess. 6.* Episcopus absens per annum, amittit solum medietatem fructuum unius anni; ex dispositione autem *c. 1. sess. 23.* amittit omnes fructus pro rata temporis absentiæ. Quomodo ergo Concilium asserit in *c. 1. sess. 23.* se renovare pœnas *c. 1. sess. 6. de Ref.?*

Aliis omissis responsionibus, conformior menti Tridentinorum Patrum videtur esse responsio Lessii *lib. 2. De Just. et Jure c. 34. dub. 29. n. 157.* Concilium videlicet in *c. 1. sess. 23.* nedum renovavit pœnam statutam contra Episcopos absentes *in c. 1. sess. 6.* relate ad applicationem fructuum, et relate ad denunciationem eorumdem Romano Pontifici faciendam, auxit vero et aggravavit pœnam quoad quantitatem amissionis ipsorum fructuum. Dum enim ex *c. 1. sess. 6.* post sex menses illegitimæ absentiæ Episcopus amittere debuisset quartam partem fructuum unius anni, voluit Concilium in *c. 1. sess. 23.* ut amittat omnes fructus respondentes tempori ejusdem illegitimæ absentiæ, et in hypothesi sex mensium post expletos tres menses designatos voluit ut amittat Episcopus fructus respondentes sex hisce integris mensibus illegitimæ absentiæ.

30. Quæritur utrum sufficiat residentia Episcopi in aliquo loco Diœceseos ad evitandas pœnas a Tridentino latas, vel necessaria sit residentia in Cathedrali Ecclesia.

Consonum est intentioni juris ut Episcopus in sua Cathedrali Ecclesia ordinarie resideat; ea enim ceu sponsa Episcopi censetur. Hinc in canone *Placuit Caus. 7. q. 1. ex Conc. Carthag. V. C. S.* dicitur '*Placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre*'. Idemque patet ex *can. Episcopus De Consecr. Dist. 3.* Attamen si intra Diœcesim resideat longe etiam ab Ecclesia Cathedrali, non incidit in pœnas tridentinas. Nam Concilium in *sess. 23. c. 1.* paulo post initium loquitur de obligatione Episcoporum in *Ecclesia vel in Diœcesi.* Unde Concilium ad incurrendas pœnas a se statutas utrumque copulative saltem implicite requirit, ut nempe Episcopus absit ab Ecclesia et a Diœcesi. Quando autem duo copu-

lantur præsertim in pœnalibus, ut applicetur dispositio, utrumque debet verificari *1. inter omnes 46. § Recte H. ff. De furtis.*

31. Imo dicendum est, Episcopum legi residentiæ satisfacere, si commoretur in qualibet parte suæ Diœceseos, dummodo tempore a Tridentino *sess. 23. c. 1.* præscripto pergat ad Cathedralem. Ita resolvit S. Congr. *die 17. Decemb. 1649.* Hæc resolutio suum habet fundamentum etiam in *cap. 1. sess. De Ref.* ubi Tridentinum loquens de Episcopo in materia residentiæ delinquente, scribit: *'extra suam Diœcesim commorando'*.

Quid vero dicendum de temporibus Adventus et Quadragesimæ, et de diebus Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ, nec non Pentecostes et Corporis Christi? Porro ex mente Tridentini Episcopus hisce diebus et temporibus residere debet in civitate episcopali, seu in Ecclesia cathedrali, ut officia pastoralia ibi persolvat, nisi episcopalia munia in sua Diœcesi eum alio vocent. At etiam dicendum esse videtur Episcopum absentem non incidere in pœnas non residentibus a Concilio inflictas. Tridentinum enim solummodo admonet et in Domino hortatur Episcopos ut hisce diebus et temporibus a Cathedrali Ecclesia non absint. Conf. *Angelus Lucidi citato opere et loco pag. 122. n. 9.* et *Fagnanus Comm. in c. 9. h. t. n. 39.*

32. Quæri insuper potest, utrum Episcopus, qui duabus Diœcesibus æque principaliter unitis præest, legi Tridentinæ satisfaciat, si in una tantum resideat. Hac in re binas resolutiones habemus sacræ Congregationis Concilii; primam *diei 18. Junii 1624* in qua dictum fuisse deprehendimus, Episcopum civitatis Castellanæ et Hortanæ residentem in aliquo loco alterutrius Diœceseos legi Tridentinæ satisfacere dummodo temporibus a Tridentino designatis resideat in aliqua ex duabus cathedralibus Ecclesiis. Secundam resolutionem habemus in causa *Viterbiensi et Tuscanea diei 11. Jan. ann. 1783 ad 4^m. dub.* in quo proposita quæstione, *an Episcopus teneatur residere in civit. Tuscanensi per aliquod temporis spatium singulis annis in casu?* Responsum est: *arbitrio et prudentia Episcopi et ad mentem. Mens est ut scribatur Episcopo, decere ut interdum resideat etc.* Ex quibus resolutionibus patet, proprie dictam legem non adesse, qua obligetur Episcopus duarum Diœcesium æque principaliter unitarum in utraque alternatim residere, maxime autem conveniens esse, ut si in una Diœcesi ordinarie resideat, etiam in altera aliquo tempore in anno commoretur,

et in cathedrali Ecclesia aliquas sacras functiones perficiat. Quemadmodum in eadem causa resolvit S. Congr. ad 3^m. dubium.

33. Verum aliter sentiendum esset, si ex Pontificia Bulla unionis Ecclesiarum Cathedralium, aut ex constitutionibus earundem approbatis ab auctoritate suprema in Ecclesia resultaret, definita esse tempora residentiæ alternativæ in utraque Cathedrali vel Diœcesi. Hac enim in hypothesi, servanda esset ab Episcopo hæc specialis residendi lex. Hæc dicta sint juxta legem Tridentinam.

34. Adjicienda autem sunt, quæ ex posterioribus Constitutionibus Romanorum Pontificum huic legi accesserunt. Accessit 1°. Constit. *In suprema Pii IV. edita die 23. Nov. 1564.* In hac Const. contra Episcopos non residentes juxta legem Tridentinam, ultra pœnas in ipso Concilio statutas, etiam decernitur ceu pœna ferendæ sententiæ, privatio a regimine et administratione suarum Ecclesiarum; nec non privatio facultatis testandi, et eorum bona Cameræ spoliorum addicuntur.

35. Accessit consistoriale decretum Clementis VIII. relatum ab Urbano VIII. in Const. *Sancta Synodus* in quo constituitur pœna inhabilitatis ad majores dignitates Ecclesiæ obtinendas.

36. Lata insuper est cit. Const. *Sancta Synodus* ab Urbano VIII. quæ prodiit *die 12. Decembr. 1634.* In hac Const. Urbanus statuit, non licere Episcopis ac majoribus Prælatis etiam Cardinalibus, a suis sedibus discedere absque licentia R. Pontificis per Breve, aut per litteras missivas obtenta 1°. sub pœna interdicti ab ingressu in Ecclesiam ipso facto incurrenda; et 2°. sub pœna amissionis fructuum pro rata temporis et facultatis testandi. Præterea Urbanus iisdem pœnis latæ sententiæ mulctat Episcopos qui commorantes in Curia Pontificis intra unum mensem a die promotionis, intra duos menses, morantes in Italia, et inter quatuor menses morantes extra Italiam iter non aggrediuntur ut ad residentiam sese conferant. Animadvertimus vero interdictum latæ sententiæ, de quo in Const. *Sancta Synodus* Urbani VIII., a Pio IX. renovatum non fuisse in *Const. Apostolicæ Sedis,* adeoque non valere amplius. Insuper tertio loco Urbanus Cardinalibus Episcopis ad urbem accedentibus, Pontificem eligendi causa, concedit bimestrale spatium commorationis in urbe post coronationem Pontificis. Hoc vero trimestri elapso, subjicit eosdem omnibus supradictis pœnis, nisi ad propriam Diœcesim redeant.

37. Porro Bened. XIII. in *Concilio Romano Tit. 17. c. 2.* concessit Cardinali in Urbe Vicario facultatem prorogandi, causa cognita, ad alios quadraginta dies, mensem indultum ab Urbano VIII. Episcopis in Curia promotis. Hoc tempus computatur a die promotionis in Consistorio Papæ. Quo elapso Episcopi sese conferre debent ad propriam Diœcesim.

38. Tandem huc referenda est Constit. Bened. XIV. *Ad Universæ diei 3. Sept. 1746.* Renovat in ea Summus Pontifex et confirmat leges et constitutiones circa Episcoporum residentiam latas a suis prædecessoribus, et pœnis statutis in iisdem constitutionibus novas pœnas adjungit, scilicet 1°. privationem ipso facto incurrendam omnium indultorum et privilegiorum, quæ Episcopi forsan tamquam assistentes Pontificio Solio fuerant assecuti, et 2°. amissionem juris conferendi beneficia ecclesiastica in mensibus episcopalibus juxta regulam IX. Cancellariæ Apostolicæ.

39. Quædam coronidis loco dicenda sunt de S. R. Ecclesiæ Cardinalibus. Cardinales S. R. E. in ordine ad residentiam in quatuor classes sunt dividendi; scilicet Cardinales vel nulli præsunt episcopatui, vel episcopatum regunt suburbicarium, vel Episcopi sunt alicujus Diœcesis non suburbicariæ, vel tandem possunt habere duas sedes, quarum una sit ex sex suburbicariis, alia vero non.

Sit sermo primum de Cardinalibus, qui nulli præsunt episcopatui. Uti constat ex historia ecclesiastica, Cardinales instituti sunt, ut in Urbe Roma Summo Pontifici operam suam exhiberent. Hinc exceptis Cardinalibus Episcopis suburbicariis, reliqui omnes Cardinales sive ordinis presbyteralis, sive ordinis diaconalis habuerunt, et adhuc habent Romæ suos titulos, idest Ecclesias, quibus præsunt. Quare Cardinalium ordinaria residentia, inspecta origine hujus dignitatis, Romæ figenda est. Ad rem facit *caput 2. h. t.* ubi explicite exhibetur obligatio Cardinalium residendi in Ecclesia proprii tituli.

40. At Cardinales facti sunt etiam Consiliarii Romani Pontificis. Unde dicti sunt collaterales ejusdem, assessores, coadjutores; et eorum Collegium constituit senatum illius. Conf. Benedictus XIV. *De Syn. lib. 13. c. 1. n. 7.* Quare Cardinales consilio suo Summum Pontificem in regimine Ecclesiæ universalis coadjuvant *cap. Fundamenta 17. De Elect. in 6°.* Ex hac intima relatione Cardinalium cum Summo Pontifice factum est, ut antiqua lex residentiæ Cardinalium in suis titulis in urbe immutaretur in

aliam, nempe in legem residentiæ in loco ubi commoratur Curia Romani Pontificis. Ita Doctores cit. a Conzalez *in com. ad cap. 2. h. t. n. 6,* et regula hæc deducitur etiam ex Constit. Leonis X. quæ incipit *'Sub pœna'*, edita in Concilio Lateranensi V. ubi legitur *'Cum Cardinalis officium versetur in frequenti Rom. Pontificis assistentia et sedis Apostolicæ negotiis: propterea statuimus, ut omnes Cardinales in Romana Curia resideant.'* Ita etiam statuitur in decreto consistoriali Pauli III. cit. a Fagnano *com. ad caput 2. h. t. n. 21.* Quare Cardinales absque licentia Romani Pontificis non possunt a Curia illius recedere. Ita in cit. Const. Leonis X.

41. Quid vero dicendum si Cardinalis quidam hanc legem residentiæ non observet; id est illegitime absit a Curia Romani Pontificis.

Respondemus ex dispositione *cap. 2. h. t.* Si Cardinalis illegitime absens, post canonicam monitionem ad residentiam non redeat, Cardinalitia dignitate a Romano Pontifice privari potest. Dixi post *monitionem.* Nam scimus Anastasium tituli S. Marcelli, de quo agitur in cap. cit. fuisse a Leone IV. pluries revocatum, idest monitum ut rediret, prout constat ex actis Synodi relatis a Baronio ad annum 853. Quod etiam satis confirmatur ex ipso tenore capitis. Dicitur enim Anastasius *canonice depositus,* idest servata forma procedendi sacrorum canonum contra contumaces. Non requiritur vero quinquennium absentiæ. Nam hoc tempus quinquennii in cit. capite 2. solummodo historice refertur; quia nempe Anastasius per hoc tempus abfuerat.

Non desunt auctores, inter quos Conzalez loco cit., qui tenent Anastasium fuisse depositum eo quia reliquerat parochiam suam et fidelibus sacramenta non administraverat. Posita hac interpretatione, Cardinales, qui in hodierna disciplina curam animarum in suis titulis haudquaquam exercent, si illegitime absint, deponi non possent ex dispositione *c. 2. h. t.* idest contra istos Cardinales caput hoc secundum invocari nequiret.

At dico, dispositionem hujusmodi adhuc valere, licet mutata sit disciplina in ordine ad titulos Cardinalium. Sane utique in capite 2. allegata est uti causa desertio parœciæ. At Anastasius depositus non est simpliciter uti Parochus, sed prœcipue quia Cardinalis. Et revera ad deponendum Anastasium Summus Pontifex Synodum convocavit 67 Episcoporum, et juxta regulam practicam illius temporis exquisivit judicium Imperatorum Lotharii et Ludo-

vici, qui quatuor Episcopos legatos ad synodum miserunt. Jam vero hæ solemnitates nullo modo necessariæ fuissent ad privationem parœciæ decernendam. Igitur ipsa dignitas Cardinalatus directe considerata fuit, et ab eo Pontifex deposuit Anastasium illegitime absentem. Quoties ergo aliquis Cardinalis legem residentiæ non observat, idest illegitime absit, potest contra ipsum invocari sanctio *cap. 2. h. t.*

42. Sed regula omni dubitatione major constituta est ab Innocentio X. in Bulla *Cum juxta diei 19. Febr. 1646.* Videlicet Cardinales qui, non obtenta Papæ licentia, se transferant extra statum ecclesiasticum, primo privantur privilegiis et indultis, et facultate testandi, et interdicuntur ab ingressu in Ecclesiam, ultra alias pœnas arbitrio Papæ infligendas. Si non redierint infra sex menses a die recessus a Curia, privantur fructibus beneficiorum, pensionum etc. Si non redierint infra alios sex menses privantur omnibus beneficiis et officiis. Postquam annus integer talis illegitimæ absentiæ transierit, conceduntur alii tres menses, in quibus monitiones canonicæ fieri debent, quibus finitis, idest post quindecim menses absentiæ, deveniri potest ad alias pœnas usque ad privationem dignitatis Cardinalatus inclusive.

43. Absolutio ab inflictis pœnis ipsi Romano Pontifici reservatur, privative etiam ad Cardinales sede vacante. Tandem declarat Pontifex a prædictis pœnis Cardinales absentes non excusari prætextu servitii aut jussus Imperatorum vel Regum.

44. Secundo loco agendum est de sex Cardinalibus Episcopis suburbicariis. Ab antiquis temporibus septem Diœceses propinquiores Romæ appellatæ sunt suburbicariæ. Scilicet Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanensis, Prænestina, Tusculana, et SS. Rufinæ et Secundæ, seu Sylvæ candidæ. Callixtus II. suppressit hanc ultimam sedem, ejusque cathedram Portuensi episcopatui perpetuo univit. Hinc sex Diœceses suburbicariæ remanserunt. Episcopi harum Diœcesium dicebantur Collaterales Romani Pontificis, eidem per hebdomadam in Lateranensi Basilica sacra peragenti assistentiam præbebant, necnon cessantibus frequentibus Synodis, quæ Romæ præsertim ex Episcopis Italiæ celebrabantur, in harum Synodorum locum successere Episcopi Suburbicarii, qui consilio suo et opera Romanum Pontificem adjuvabant in expediendis gravioribus Ecclesiæ universalis negotiis. Conf. Benedictus XIV. *De Synod. lib. 7. cap. 1. n. 7°.*

45. Quare antiquissima consuetudine inductum est, ut sex Cardinales Episcopi suburbicarii Romæ residerent, et eximerentur ab onere personaliter residendi in propria Diœcesi. Post vero legem tridentinam de residentia Episcoporum et Constitutiones apostolicas, ne dubium hac in re moveretur, Urbanus VIII. facta declaratione *die 28. Nov. 1633* prædictam confirmavit consuetudinem. Cui declarationi adhæsit etiam Clemens XII. in Const. *Pastorale officium* §. *9.*

46. At Cardinales Episcopi suburbicarii 1° non eximuntur ab onere visitandi propriam Diœcesim juxta præscriptionem Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini. Hoc sane onus confirmavit Alexander VII. in consistoriali decreto. Quam visitationem, si legitime fuerint impediti, complere tenentur per Vicarium in spiritualibus, aut alium idoneum virum; ex cit. § *9. Const. Pastorale officium Clem. XII.*

47. 2° Tenentur onere visitationis liminum apostolorum, et relationis status suarum Ecclesiarum perficiendæ juxta Const. Sixti V. quæ incipit *Romanus Pontifex;* quemadmodum declaravit Clem. XII. in cit. Const. *Pastorale officium.*

48. Porro si Cardinalis Episcopus Diœcesi non suburbicariæ præsit, tenetur legibus communibus residentiæ, pœnisque subjicitur, sive a Concilio Tridentino sive a Romanis Pontificibus latis contra Episcopos non residentes in Ecclesia vel Diœcesi. Quemadmodum declarasse Greg. XIII. refert Urbanus VIII. in cit. Const. *Sancta Synodus.*

49. Quod si Cardinalis Episcopus suburbicarius ex dispensatione Pontificis aliam Diœcesim retineat, residere debet in hac altera Diœcesi, non vero in suburbicaria. Ita declaravit Urbanus VIII. in decreto speciali edito *die 28. Nov. 1633.*

De onere residendi Parochorum et aliorum beneficium habentium cui adnexa est cura animarum.

50. De parochis habemus dispositionem tridentinam *in c. 1. sess. 23.* § *Eadem omnino etc.* ubi *curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent,* residentiæ legem Patres intimant. Ex mente autem Concilii possunt parochi abesse a propria parœcia si justa et legitima causa verificetur. At duo insuper requiruntur: 1° ut causa absentiæ sit cognita et approbata per Episcopum, qui licentiam recedendi a parœcia in scriptis et gratis impertiat. 2° ut con-

stituatur interim idoneus vicarius ab Episcopo approbandus, cui parochus debitam mercedem tribuat. Circa licentiam vero Episcopi plura sunt animadvertenda. 1° Eam concedere non potest Episcopus ultra bimestre, nisi ex gravi causa. 2° Non sufficit postulare licentiam ab Episcopo sed obtineri etiam antea debet ut licite parochus a parœcia discedat. Nam ubi licentia superioris exquirenda est, videtur eidem superiori reservata cognitio rationabilitatis causæ; videtur enim canonicum jus voluisse providere, ne quis incaute agat.

51. 3°. Non sufficit juramentum parochi, quo generice asserat, se gravi ex causa exposcere facultatem recedendi precario. Nam Episcopus exigere potest ut causa vel causæ absentiæ sibi manifestentur. Verum datur exceptio. Videlicet expectanda non est, imo nec onus inest expetendi licentiam abeundi, quoties occurrat causa gravis, et periculum sit in mora, ita ut tempus non suppetat ad expostulandam eamdem licentiam. Idoneum vero vicarium relinquere debet parochus et interim citius quo fieri possit, Episcopum admoneat oportet de sua absentia ut hic cognoscere valeat de causæ veracitate et pondere, concedatque debitam absentiæ licentiam, nisi Parochus sit brevi recessurus ad suam residentiam. *S. Congr. Conc. die 7. Octob. 1604.*

52. Quæri potest, an pro absentia quæ sit bimestrali spatio brevior requiratur licentia Episcopi.

Ex resolutione s. Congregationis Concilii cit. *diei 7. Oct. 1604* quæ legitur in *libr. X Decretor. pag. 100.* deprehendimus, parochum absque licentia Episcopi non posse a sua parœcia per integram hebdomadam abesse. Igitur parochus poterit abesse a parœcia etiam absque Episcopi licentia diebus paucioribus quam septem, et non ultra, dummodo tamen relinquat idoneum virum loco sui in parœcia. Conferri potest Fagnanus *Com. in c. 4. h. t. n. 32.*

53. Animadvertimus autem posse Episcopum parochis suis facta diœcesana lege, interdicere ne absque sua licentia etiam ad pauciores dies recedant. Caveant vero Episcopi ab infligendis severissimis pœnis contra absentiam paucis diebus conclusam. Hinc a S. Congr. reprobata est dispositio Episcopi infligentis excommunicationem latæ sententiæ contra parochos ultra biduum absentes absque sui licentia. Conferatur Barbosa *de Off. Parochi c. 8. n. 45.*

54. Porro ubi vim habet Concilium Romanum, seu Concilium Romanæ Provinciæ celebratum a Bened. XIII. an. 1725, coarctata

est ad biduum absentia parochorum. In cap. enim 6. tituli 17. hujus Concilii pro absentia eorumdem ultra biduum edicitur necessaria licentia Episcopi vel Vicarii generalis in scriptis et gratis danda.

De pœnis contra parochos illegitime absentes.

55. Ex cit. *c. 1. sess. 23. de Ref.* adversus Parochum vel alium Clericum possidentem beneficium, cui adnexa sit cura animarum, si illegitime absint, 1°. præter peccatum lethale quod admittunt, statuta est pœna privationis fructuum pro rata temporis absentiæ ita, ut etiam declaratione aliqua non secuta, non possint tuta conscientia sibi eosdem fructus retinere. Hoc enim ipsum statuit Concilium Tridentinum pro Episcopis, quibus æquiparavit Parochos, aliosque habentes beneficium ecclesiasticum, cui adnexa est cura animarum.

56. 2°. Si Parochi et alii Clerici habentes benef. curata persistant in absentia, nec citati redierint, poterunt ab Episcopo compelli ad residentiam censuris ecclesiasticis, sequestratione, ac subtractione fructuum, atque aliis juris remediis, usque ad ipsam pœnam privationis beneficii. 3°. Executio harum pœnarum impediri nequit ratione cujuscumque tituli familiaritatis, exemptionis, vel inhibitionis in Romana Curia, vel rigore Constitutionis Eugenianæ, idest Constit. Eugenii IV. relatæ in Extr. 3. *Inter Comm. in tit. De Privileg . . . lib. V.* Juxta hanc Eugenianam Const. locorum Ordinarii, commissarii, delegati etc. non possunt contra officiales Curiæ Romanæ, et contra alios quoscumque fideles Romam pro suis causis vel negotiis venientes vel moram habentes Romæ, durante prosecutione causæ, vel ab Urbe recedentes, procedere aut promulgare censuras, aut pœnam privationis officiorum et beneficiorum, vel aliam sententiam. Ratio expeditæ executionis a Tridentino propositæ in compellendis et in exspoliandis etiam suo Beneficio Parochis non residentibus, in speciali conditione et officio eorumdem collocanda est; ubi enim Parochus non residet, censetur periculum esse in mora, eo quod absente Parocho fideles necessariis spiritualibus subsidiis facile carere possunt.

57. **De modo quo proceditur.** Quæri potest, utrum antequam ad privationem beneficii deveniatur, necesse sit præmittere censuras, et alia remedia juris ad frangendam contumaciam; idest utrum servandus sit ordo pœnarum designatus in Tridentino? Ad-

sunt qui docent servandum esse præfatum ordinem pœnarum. At contraria sententia verior videtur, nam Tridentinum *liberum esse* vult Ordinariis experiri censuras et alia remedia.

Verum Tridentinum ait citandos esse Parochos absentes. Hac in re animadvertendum est, in Decretalibus Gregorii IX. adesse *cap. XI. h. t.* in quo statuitur, clericum absentem citandum esse personaliter; quod si fraudulenter absit, nec possit citatio ad eum pervenire, publicandum esse edictum citationis trinæ ad valvas Ecclesiæ suæ; quod si clericus citatus non paruerit, et sex menses elabantur, privari posse beneficio suo. Porro hæc dispositio antiqui juris aliquantisper per Tridentinum Concilium immutata est relate ad Parochos. Nam ex dispositione *c. XI. h. t.* si cognoscatur locus ubi Parochus residet, debet citari personaliter, at Tridentinum quoad Parochos absentes abstulit onus citationis personalis; sufficit enim juxta Concilium citatio per edictum. Ajunt enim Patres Tridentini *sess. 23. c. 1. De Ref. Quod si per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint* etc. Cum vero præter hanc modificationem nihil aliud immutaverit Tridentinum circa modum procedendi in pœna privationis beneficii infligenda Parocho non residenti; servanda est in reliquis ratio procedendi *c. XI. h. t.* Tridentinum enim si penitus voluisset juri antiquo derogare, id significasset; e contra vero expresse solummodo quædam decernit. Igitur in reliquis antiqui juris regula præscripta adhuc vigere dicenda est. Et revera hac in re duas resolutiones habemus S. Congr. Concilii, unam *die 26. Apr. 1621* in causa Gerundensi, aliam in causa proposita *die 8. Junii 1624.* In utraque causa respondit S. Congregatio posse Episcopum procedere ad privationem Beneficii curati contra Parochum non residentem, præmissis tamen tribus monitionibus ad eum revocandum, et dummodo lapsi sint sex menses juxta *Constit. Innoc. III. in c. Ex tuæ XI. De Cleric. non resid.* Porro sex menses incipiunt decurrere post tertiam admonitionem. Quare modus procedendi contra Parochos non residentes hic est, ut nempe Episcopus possit, si velit procedere per censuras, simul et sequestrationem aut subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, secus potest vel personaliter vel per edictum trinæ citationis clericum revocare, et nisi redierit intra sex menses ab ultima citatione, poterit contra eum ferre sententiam privationis beneficii.

De Residentia Canonicorum et aliorum Clericorum, qui Beneficium possident, quod nomine præbendæ venire potest.

58. Qui dignitatem, aut canonicatum, vel etiam beneficium obtinent in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis, ad residentiam obligantur. Conc. Trid. *sess. 24. c. 12. De Ref.* §. *Præterea.* Porro inter beneficia quædam adnumerantur, quæ etiam vere et proprie dicta simplicia appellantur, quæque talia onera secumferunt, quæ vel per alium, vel etiam extra Ecclesiam in qua erecta sunt beneficia commode et utiliter compleri possunt. Sic ex. gr. si præcepta sit simpliciter Missæ celebratio in aliqua peculiari Capella, quin præscripta sit celebratio personalis perficienda ab ipso Clerico qui beneficium possidet. Sic etiam si præscripta sit particularis quædam adprecatio, vel horarum divinar. recitatio extra chorum perficienda. Hæc beneficia aut capellaniæ personalem residentiam non requirunt. Quæ vero sint hæc beneficia mere simplicia, præsertim ex lege fundationis comperitur.

59. Porro lex residentiæ obligat Canonicos aliosque beneficium habentes, tum ut in loco beneficii commorentur, tum etiam ut choro, et divinis officiis deserviant per se et non per substitutos; quemadmodum satis edocet in cit. loco Tridentinum, in quo præcipit ut iidem Deum hymnis et canticis *reverenter, distincte et devote* laudent.

60. Nonnulli Doctores, inter quos *Reiffenstuel h. t. n. 109.* docuerunt contraria consuetudine induci posse, ut meditantibus Canonicis, vel preces, horasve submissa voce recitantibus, psalmorum et hymnorum cantus in toto vel in parte ab adsignatis cantoribus persolvatur; idque fieri posse putant auctores, præsertim ut psalmodia et decantatio solemniori ratione perficiatur. Verum Benedictus XIV. in *Inst. Eccl. 107.* refert plures decisiones S. Congr. Concilii huic opinioni contrarias et in Const. *Cum semper oblatus diei 19. Augusti 1744* § *24.* eandem opinionem uti falsam rejicit, et decernit, non posse eam sustineri et legitimam fieri ex inveterata consuetudine, vel statutis peculiaribus sed solummodo posse retineri ex privilegio seu indulto Pontificis adhuc vigenti.

61. Residentia Canonicorum et aliorum beneficium possidentium debet esse continua; censentur enim mancipati servitio propriæ Ecclesiæ. Hinc præcipit *Alex. III. in c. 4. h. t.* illis conferenda esse benef. ecclesiastica, qui residere in loco beneficii, et

per seipsos officia valeant exhibere. Verum hoc principium valet absolute loquendo, et inspecto conceptu beneficiorum juxta primitivam institutionem Beneficiorum.

62. Nam hodie residentia quoad canonicos dici solet *discontinua*. Dum enim quoad parochos continua residentia exigitur pro singulis nempe momentis et horis, quia emergentibus seu repentinis etiam populi necessitatibus consulere debent; e contra residentia canonicos obligat certis diebus et horis, ita nempe ut residere teneantur ad præstandum servitium in choro. Ita S. Congr. resolvit in *Ferrarien. diei 4. Febr. 1843.* Unde Canonicus potest etiam Capellaniam ruralem retinere, dummodo non impediatur assistentia in choro. Ita S. Congr. in *Tolentinaten. diei 26. Maji 1739 in dub. 12.* Conf. Lucidi *de Visit. S. Liminum tom. I. pag. 248—249.*

63. Præterea ex jure Tridentino expresso in *cit. cap. 12. sess. 24. De Ref.* conceditur Canonicis et Beneficiatis Cathedralium et Collegiatarum facultas abscedendi quotannis a propria residentia trimestrali spatio. Ultra hoc tempus non admittitur absentia nec vigore statuti proprii, nec consuetudinis cujusvis. Insuper cum hæc dispositio sit potius prohibens quam positiva, idest cum lata fuerit ad compescendos potius abusus longioris absentiæ; hinc Tridentinum voluit, servandas esse peculiares constitutiones Ecclesiarum, quæ longius etiam servitium et residentiam requirunt. Scilicet jubet Concilium possessores Canonicatuum et Beneficiorum frui non posse hoc indulto trimestralis absentiæ, quoties a legibus proprii Capituli, vel absolute prohibentur abesse etiam ad trimestre, vel habent indultum absentiæ minori spatio temporis coarctatum. Hinc teste Fagnano *com. in cap. Licet 32. de Præb. et Dign. n. 58.*, proposito dubio, an Canonici qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium, sint adstricti, subjaceant eisdem pœnis, de quibus *in c. 12. sess. 24. De Ref.* S. Congr. respondet *subjacere.* Sed magis explicitam resolutionem affert Benedictus XIV. in *Inst. 107. § 6. n. 31.*, editam a S. Congr. in causa Mutinen. an. 1573 per hæc verba: *S. Congr. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex Decreto Concilii sess. 24. c. 12. si in Constitutionibus Ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione sequitur' (lib. 1. Decretor. pag. 168.)* Confirmatur hæc regula in alia decisione S. Congregationis, idest in *Forfensi diei 13. Nov. 1655.* At ubi speciales Ecclesiæ et Capituli Consti-

tutiones non requirunt majus seu longius servitium, possunt Canonici et Beneficiarii abesse trium mensium spatio.

64. Qua in re plura sunt animadvertenda; 1°. hanc absentiam trium mensium a jure concedi; hinc licentia nec a Superiore, nec ab ipso Capitulo, rigore juris communis inspecto expostulanda est; imo nec absentiæ causa specialis requiritur, sed sufficit causa recreandi animum; quemadmodum edocuisse S. Congregationem Concilii refert Fagnanus loco cit. *n. 52.* 2°. Non omnes simul Canonici abesse possunt, sed semper numerus eorum sufficiens remanere debet, qui possit Ecclesiæ servitium exhibere. Hinc si abusus obrepere incipiant, ex dispositione *cap. 16. penult. h. t.*, potest Episcopus vigilare et prohibere, ne ex plurium Canonicorum absentia chori servitium et divinus cultus detrimentum patiantur. In hoc sensu affertur a Fagnano loco cit. resolutio S. Congregationis. Hinc Episcopus potest legem ferre, ut nemo ex Canonicis et Beneficiatis residentiam relinquat, et spatio trium mensium conciliarium absit, nisi licentiam ab ipso prius assequantur. Ita resolvit S. Congr. in *Terracin. 17. Febr. 1628.*

65. Ceterum Episcopus non potest hanc facultatem absque rationabili causa denegare; quemadmodum infertur ex pluribus resolutionibus S. Congregationis Concilii, inter quas citamus resolutionem in causa *Cuptimaris* diei *4. Maji 1737. ad 2um dubium.*

66. 3°. S. Congregatio in causa *Auximana diei 12. Julii 1631. (lib. Decret. 14. pag. 467) 'Censuit, Episcopum facere debere decretum, ut in Collegiatis Ecclesiis suæ Diœcesis, quæ vigore Concilii Trid. gaudent vacatione trium mensium, canonici abesse non possint ultra tertiam partem uno eodemque tempore, et hujusmodi vacationes contingere non debeant tempore Quadragesimæ et Adventus, neque in amplioribus anni festivitatibus'.*

67. Non admittitur vacatio trium mensium in capitulis in quibus vigent mediariæ vel tertiariæ, idest servitium chori, quod præstatur a media vel a tertia parte Canonicorum alterius hebdomadis. Ita S. Congregatio *in causa Castrimaris diei 30. Julii 1735,* et in *Capuana diei 3. Decemb. 1739.*

68. Quæritur an Capitulares possint sese invicem substituere in chori servitio præstando. Bened. XIV. in *Inst. Eccl. 107. n. 17.* innixus variis resolutionibus S. Congregationis Concilii sententiam affirmativam sequitur, sed sub aliquibus conditionibus; scilicet 1°. 'Ne substitutus ipse ad chorum venire teneatur illis diebus,

quibus in locum alterius sufficitur. 2°. Ne id frequenter contingat. 3°. Ut subrogentur solum Canonici vel Mansionarii præsentes in civitate, non vero qui extra illam, vel extra suburbia versantur. Ultimo ne hanc facultatem alterum substituendi obtineant nisi Canonici vel Mansionarii, non autem ipsorum coadjutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt.'

Pariter S. Congregatio tenuit, Canonicos honorarios substitui non posse veris Canonicis. Conf. *Inst. 107.* Benedicti XIV. *§ 6.* et Lucidi opere cit. tom. I. pag. 256.

69. Quæritur utrum et quæ dentur in jure causæ, quæ privilegium absentiæ tribuant clericis ita, ut considerentur ceu præsentes et fructus faciant suos?

Dantur utique. 1°. est causa studiorum. De hoc privilegio sermo est *in capp. 4. et 12. h. t. et in c. ult. De Magistris in lib. 5.* Privilegium hujusmodi in eo consistit, ut docentes in facultate theologica dum in scholis docent, et studentes per quinque annos percipiant fructus beneficiorum suorum, licet non resideant in loco beneficii proprii. Quare licet absint, fictione juris doctores isti et studentes reputantur uti præsentes. Hoc privilegium renovavit Concilium Tridentinum *in c. 1. sess. 5. de Ref.* favore lectorum docentium sacram Scripturam et eam addiscentium.

Porro ex pluribus declarationibus S. Cong. Concilii ex. gr. in *Perusiana 7. Maji 1707* prædictum indultum favet etiam Doctoribus et scholaribus juris præsertim canonici. Scholares vero ut hoc indulto frui possint, vacare debent in loco publice probato ex. gr. in Universitate, Academia vel Lyceo. Nullius enim roboris indultum declaratur illorum qui ad villas vel castella se conferunt, in quibus nullum est, vel minus competens studiorum exercitium *c. 12. h. t.*

70. Verum hoc indultum est subordinatum decenti servitio Ecclesiarum et cultui divino præstando. Hinc *in c. ult. De Rescr. in 6.* revocantur gratiæ et facultates concessæ etiam ratione studiorum, ut Clerici possint alibi commorantes percipere fructus beneficiorum. Revocatio hujusmodi facta est, quia ob absentiam horum Clericorum cultus divinus imminuitur, et officium propter quod beneficium ecclesiasticum datur, omittitur. Ex hoc Capite regula exurgit, scilicet absentiæ facultatem a jure non amplius causa studiorum indulgeri, quoties in evidens cultus divini detrimentum vergat.

Hinc praxis inducta est, ut indultum absentiæ ob hanc causam expostuletur a Congregatione Concilii, quæ illud non elargitur nisi prius informetur ab Episcopo de rerum statu, an absentia clerici noceat nec ne chorali servitio.

71. Qua in re animadvertimus, jure decretalium expresso *in cap. 34. De Elect. in 6.* § *Porro,* Parochos abesse potuisse a parœcia ob causam studiorum. At hæc facultas abolita esse dicenda est a Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1.* Sane 'S. Congregatio censuit, nec etiam causa studiorum licere post Concilium Parochis abesse ab eorum curis, et quoad hoc revocata esse omnia privilegia tum a jure tum etiam specialiter concessa; ideo Episcopum posse contra absentes procedere juxta formam traditam a Concilio Tridentino *sess. 23. c. 1.*' Hoc responsum dedit Sacra Congregatio Concilii *die 1. Decembris 1594.*

72. 2^us^ Casus legitimæ absentiæ quæ fructuum perceptionem non impedit, attingit duos Canonicos, quos Episcopus assumit ut sibi opem præstent in Ecclesiæ servitio, quique censentur esse præsentes et ex præscripto sacrorum canonum præbendæ fructus percipiunt *c. 7. et c. 15. h. t.* Huic privilegio derogatum non est, in *c. 12. sess. 24. De Ref.*

Quamvis regulariter assumantur Canonici Cathedr. Eccl. ut Episcopum coadjuvent in negotiis Diœceseos expediendis, tamen vocari possent ab Episcopo et frui indulto absentiæ etiam duo Mansionarii Ecclesiæ Cathedralis vel duo Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, quemadmodum fuisse resolutum a S. Congregatione Concilii in causa proposita *die 9. Sept. 1628* refert Barbosa *Tract. De Canonicis et dignit. c. 25.* Idem fuit resolutum ab eadem Congregatione in causa *Cajetana servitii* (lib. Decret. 23. p. 317.) quam refert Benedictus XIV. *Instit. Eccl. 107. n. 57.*, nec non in alia *Venusiana diei 30. Julii 1763.* At Episcopus non potest uti opera Dignitatum vel Canonicorum qui animarum curam exercent, prout S. Congregatio Concilii Episcopo Monti-Hasconesi intimavit *die 28. Aprilis 1659* teste Benedicto XIV. in loco cit.

73. Præterea in *cap. 12. sess. 24. De Ref.* de Canonicis constitutum est, eosdem debere Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere. Quare etiam assistentia hujusmodi est causa legitimæ absentiæ a choro. Benedictus XIV. in cit. *Instit. Eccl. n. 60.* plures resolutiones refert ex quibus deducitur Cano-

nicos teneri ad assistentiam Episcopo præstandam non solum in munere sacerdotis et diaconi, sed etiam in munere subdiaconi. In causa autem *Foro cornelien. diei 25. Januarii 1625 (lib. Decret. 12. pag. 253)* resolutum est, Canonicos inservientes Episcopo missam privatam celebranti non lucrari distributiones quotidianas. Idem resolutum est in causa *Amerina diei 5. Febr. 1629 (lib. Decr. 11. pag. 17.)* In causa autem *Arionensi* proposita diebus 19. Aprilis et 17. Maji 1704 *(rel. IX. p. 107. c. 71.)* Sacra Congregatio censuit, Canonicos tempore divinorum officiorum Episcopo Missam celebranti in privato sacello non teneri assistentiam præstare, licet consuetudo adfuerit.

74. 3^us^ Casus est infirmitas vel alia justa et rationabilis corporalis necessitas *cap. un. h. t. in 6°*. Quoad primum membrum, quænam sit infirmitas, quæ secumfert privilegium absentiæ, si controversia enascatur, prudenti judicis arbitrio determinatur; judex vero præsertim debet attendere fidem periti et bonæ conscientiæ medici. Infirmitati æquiparatur rationabilis necessitas corporis quo nomine venit impedimentum physicum quo detineatur Canonicus quominus ad chorum accedat.

75. Quarto loco venit casus Canonici, qui ab Episcopo impedito mittitur ejus loco ad visitationem perficiendam sacrorum liminum, vel qui Episcopum ipsum visitantem sacra limina concomitatur. Quo in casu Canonicus censetur uti præsens in Ecclesia ceu decrevit Sixtus V. teste Benedicto XIV. in sua *Instit. Ecclesiastica 107. n. 59.*, ubi refert binas resolutiones S. Congregationis Concilii. Prima est *diei 1. Oct. 1662* in causa *Regiensi* hujus tenoris: 'Censuit S. Congregatio deberi (Canonicis) distributiones quotidianas tempore accessus, mansionis et regressus visitationis Sacrorum liminum, quod tempus constituit esse trium mensium'. Alia resolutio est in causa *Salmonensi die 5. Decemb. 1626* per hæc verba: 'Canonicos suum Episcopum in visitatione Sacrorum liminum comitantes, distributiones quotidianas lucrari debere.'

76. 'Comitantes vero (Episcopum) in visitatione Diœceseos, si omnes fructus, ut supponitur in distributiones quotidianas consistunt, lucrari duas partes, amissa tertia, quæ inservientibus accrescat.'

77. Hisce supradictis causis etiam adjungi potest privilegium apostolicum, quo alicui ob officium, quod in bonum Ecclesiæ sus-

cipit, conceditur in absentia a loco sui beneficii facultas fructus ejusdem percipiendi.

78. Tandem inter causas eximentes ab obligatione residentiæ est indultum quod vocant jubilationis. Quamvis in jure canonico nullus habeatur textus qui exemptionem a choro ob longum servitium concedat; tamen ne nimis dura conditio videretur Clericorum, qua serviendi finis nullus daretur, ad exemplum levitarum *V. T. Numer. c. 8.* et veteranorum militum jure Romano in *l. 1. c. De Veteranis,* ex praxi Ecclesiæ quam sequitur S. Congr. Concilii inductum est, ut Canonicis et Beneficiatis qui 40 annorum spatio continuo laudabili servitio functi sunt, facta petitione concederetur exemptio a choro et a residentia cum facultate percipiendi fructus beneficii sui non solum sed etiam distributiones. Sane clausula quæ apponi solet indultis jubilationis hæc est: 'Ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset' (rel. II. 127.). Cum vero quæreretur: 'An ultra distributiones quotidianas admittendus sit canonicus jubilatus ad participationem anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter præsentes tantum'? Sacra Congregratio Concilii in *Patavina die 9. Junii 1714* respondit *'Affirmative.'* In eodem sensu eadem S. Congregatio respondit in *Novarien. die 29. Novembris 1681* et in aliis causis. Præstat vero resolutionem exhibere, quæ data est in *Aquipendien. die 1. Aprilis 1719.* Proposito dubio: 'An Canonicus rigore indulti jubilationis participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum, et associationum cadaverum, si functionibus non intersit?' S. Congregatio respondit *'affirmative* quoad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis. Quod vero ad secundam partem *negative'*. Ut vero concedatur jubilationis indultum, continuum et laudabile clerici servitium debuit esse in eadem Ecclesia. Hinc non attenditur servitium in pluribus distinctisque Ecclesiis, et præsertim si ad diversas Diœceses pertineant. Ita S. Congr. in causa proposita *die 24. Sept.* et *die 17. Decembr. 1718* sub tit. *Dubia Jubilationis ad 2m dubium.*

79. Dixi *præsertim* etc. Nam non desunt casus concessæ jubilationis clerico qui servitium præstiterit in pluribus Ecclesiis ejusdem civitatis. Ita in causa *Verulana die 17. Septem. 1842.* Et hic quidem mos servatur pro Ecclesiis urbis Romæ. Scilicet in

concessione indulti jubilationis clericis possidentibus beneficia in Urbe Roma computatur servitium chori præstitum successive in duabus vel pluribus Ecclesiis Urbis.

80. Servitium vero debet esse continuum. Unde S. Congregatio denegavit indultum ob servitium 40 annorum non continuum. Ita in *Romana jubilationis 6. Augusti 1711* (L. Decr. 62) et in *Maceraten. 8. Mart. 1698.* (L. Decr. 48). Sed quæritur: si clericus obtinuit indultum absentiæ, tempus quo legitime abfuit, debetne computari in spatio 40 annorum?

In cit. causa *Dubia Jubilationis* etc. sub *n. 1.* quæsitum fuit: an indulgenda sit jubilatio canonicis et beneficiatis, qui spatio annorum 40 ecclesiæ inservierunt, licet dicto tempore et spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint ab ecclesiis vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiæ servitio; vel ratione munerum pro quibus obtinuerunt indulta abessendi pro diebus et horis, vel indulta simpliciter et absolute abessendi ab ecclesia durante officio sibi commisso? Huic dubio responsum est: 'Affirmative quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, et ubi pro suæ Ecclesiæ servitio vel cum indultis abessendi pro diebus et horis; negative autem quoad absentes ex causa studiorum, et quoad habentes indulta abessendi absolute durante officio'. Idem fuit decisum in causa *Lauretana die 20. Decembris 1806.*

81. 2°. Concedi solet indultum jubilationis, dummodo a reliquis Canonicis et Beneficiatis debitus cultus decenter præstari possit. Hinc mutatis circumstantiis, si cultus divinus minuatur, Canonicus vel Beneficiatus jubilatus possunt iterum ab Episcopo revocari. Ita tenuit S. Congr. Concilii in causa *Aquilana die 27. Sept. 1659 ad 3um dubium* (lib. Decr. 21.) et in causa Sabinensi *die 2. Octob. 1717* (lib. Decr. 67.) nec non in responsione ad *4um dub.* citatæ quæstionis *Dubia Jubilationis die 24. Sept. et 17. Dec. 1718.* Facit autem ad rem *cap. 16. h. t.*

82. Animadvertendum vero est, indultum jubilationis eximere non solum ab onere servitii choralis, sed etiam ab onere residendi in civitate, vel pago ubi beneficium erectum est ac proinde clericus jubilatus potest figere domicilium suum etiam alibi; quemadmodum docet Bened. XIV. *De Syn. l. 13. c. 9. n. 15.* Præterea non desunt resolutiones S. Cong. Concilii quæ hanc sententiam con-

firmant. Sane in cit. causa diei *24. Sept. et diei 17. Dec. 1718.* proposita fuerunt 'Dubia jubilationum, et cum quæreretur sub 5°. 'an, non obstante jubilationis indulto, jubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum', responsum fuit 'negative'. Pariter in causa *S. Angeli in Nado diei 15. April. 1690.* (lib. IV. Decretor. pag. 256.) dictum est 'Canonico jubilato deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri'. Idem dictum fuit in causa *Patavina jubilationis* proposita *die 9. Junii an. 1714.* (lib. 64. Decret. pag. 217.) Hinc Canonicus jubilatus non tenetur per se aut per alium missam conventualem celebrare per turnum, ceu pluries resolvit S. Congregatio Concilii ex. gr. in *Aquipendien. diei 23. Mart. 1697., in Senensi diei 12. Maji 1759, in Woscesina diei 11. April. 1818.* et aliis omissis in *Prenestina diei 21. Novembris 1835.*

83. Quid vero dicendum de canonicis vel beneficiatis qui coadjutorem obtinuerunt, poteruntne abesse a loco beneficii?

Negativa sententia tenenda est. Nam coadjutor conceditur solummodo ut Canonicus vel beneficiarius per alium præstet officium chori. Hinc si coadjutor sit negligens, de illius negligentia respondere debet coadjutus. Quare praxis inducta est, ut coadjuti qui ex justa causa abesse a loco beneficii desiderant, exposcant et obtineant a Sacra Congregatione Concilii indultum speciale absentiæ.

De Distributionibus.

84. In materia *de Distrib.* conf. Bened. XIV. *Inst. Eccl. CVII. n. 39 et sqq.* et Giraldi *Exposit. Jur. Pontific. Pars I. Comm. in c. XVII. h. t. Sect. 358.* nec non Fagnanus, com. ad *Cap. 32 De Præbendis.* Ut tractatum compleamus de residentia canonicorum et aliorum clericorum possidentium beneficia ecclesiastica, aliquid addendum est de distributionibus. Redditus canonicatuum et beneficiorum bifariam dividuntur; alii scilicet sunt *fructus annui* qui adsignantur propter annuam et ordinariam residentiam in loco beneficii, præstitumque servitium beneficio adnexum, alii autem dicuntur *distributiones quotidianæ* quæ rependuntur clerico propter singulas præsentias in choro et divinis officiis. Fructus annui appellantur fructus *præbendæ* vel absolute *præbenda;* distributiones vero appellantur *præsentiæ victualia, et beneficia manualia cap. un. h. t. in 6°.*

85. Porro distributiones quotidianæ in aliquibus Cathedralibus Ecclesiis vel Collegiatis ex ipsa fundatione jam fuerant constitutæ, in locis vero ubi vel nullæ fuerint distributiones, vel adeo tenues, quæ a negligentibus clericis facile despicerentur, statuit Concilium in *c. 3. Sess. 21 et in c. 3. Sess. 22. De Reform.* ut in qualibet Cathedrali et Collegiata Ecclesia tertia pars fructuum et quorumcumque proventuum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum et officiorum separari deberet et in distributiones quotidianas converti, ac inter illos, qui divino officio intersunt, dividi juxta proportionem designandam ab ipso Episcopo, qui hac in re procedere potest etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, ne ejus dispositio impediatur ex prætextu exemptionis vel capituli vel alicujus ex canonicis.

86. Porro indifferens est in praxi, utrum distributiones positivo modo constitutæ sint, scilicet ad instar retributionis cujusdam, quæ præsentibus rependatur, vel utrum absentes punctaturis seu amissione determinata quotæ pecuniæ mulctentur, dummodo complexus punctaturarum in anno quantitatem a Tridentino Concilio disignatam attingat.

87. Præter has distributiones, quæ a jure determinantur, dantur plerumque etiam quædam distributiones, quæ pro aliqua functione speciali vel a fidelibus solvuntur, vel a piis testatoribus aut fundatoribus relictæ sunt. Porro distributiones istæ quæ pro anniversariis vel aliis servitiis institutæ sunt, aut tribuuntur, in duas species dividi solent ita scilicet, ut aliæ quidem simpliciter pro anniversariis ipsis vel servitiis solvantur, aliæ autem a piis fundatoribus relictæ vel constitutæ sint, aut a fidelibus tradantur sub clausula, et conditione, ut tribuantur solummodo iis qui actu et personaliter præsentes sunt in divino servitio, seu in aliqua speciali functione; quæ postremæ distributiones vere et proprie *manuales* appellari possunt; quia quodammodo manibus præsentium traduntur post opus sacrum completum. Appellari etiam solent stricto sensu *distributiones inter præsentes.*

88. Porro has secundæ speciei distributiones nemo lucratur qui personaliter præsens non sit, nec legitima absentiæ causa jus easdem assequendi secumfert. Obstat enim expressa fundatoris vel dantis voluntas, quæ veram et personalem præsentiam exigit; quam voluntatem Ecclesia violari non sinit. Quare istas distri-

butiones, uti vidimus, nec ipsi canonici aut beneficiarii jubilati percipiunt.

89. Quibus positis, quæritur, quinam percipiant distributiones ex tertia parte fructuum designatas et alias quæ simpliciter pro aliqua functione solvuntur?

In genere hujusmodi distributiones absentes non lucrantur *c. un. h. t. in 6., c. 3. sess. 22. de Ref. et cap. 12. sess. 24. de Ref.* Ex quibus locis juris infertur, nec ullam consuetudinem, nec Capitulorum statuta inducere legitime posse praxim, qua absentibus distributiones concedantur. Verba Tridentini Concilii *sess. 24. cap. 12.* hæc sunt: 'Distributiones vero, qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii decretum, quod incipit: *Consuetudinem,* quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus.' Quapropter canonici præsentes non possunt absentibus amissas distributiones remittere seu condonare. Et in *cap. 3. Sess. 22. de Ref.* Concilium decernit 'ut . . . qui . . . servitium . . . quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquomodo dominium acquirant'. Præsentes igitur lucrantur distributiones.

90. Qua in re animadvertendum est, in more fuisse positum aliquarum ecclesiarum, ut omnes fructus et proventus distributionibus comprehendantur, nulla relicta redituum portione, quæ fructus præbendæ constituat. Hac in hypothesi binæ tertiæ partes fructuum et proventuum censentur repræsentare præbendam, et reliqua tertia pars constituit proprie dictas distributiones.

Quare hoc in casu clerici absentes binas tertias partes harum distributionum percipiunt, amittunt vero reliquam tertiam partem, quemadmodum S. Congr. sæpe resolvit ex. gr. in *Sorana diei 22. Aprilis 1679* et in *Venusiana 30. Julii 1763.*

91. Animadvertendum insuper est, praxim s. Congregationis esse ut, quoties major pars redituum distributionibus adsignetur, non sinat distributiones omnes amitti a clerico qui obtinet indultum absentiæ; sed hoc in casu uniendi sunt fructus cum distributionibus, et facta simul computatione, clericus absens amittit solam tertiam partem ex fructibus et distributionibus simul copulatis.

92. Adsignari autem possunt quædam causæ, ex quibus jus canonicis et beneficiatis derivat percipiendi etiam quotidianas distributiones tempore absentiæ.

Præter indultum jubilationis, de quo egimus superius n. 78, quod ex concessione S. Sedis in singulis casibus locum habere solet, peculiares et ordinariæ causæ pro distributionibus percipiendis adsignantur in *cap. un. h. t. in 6°*. Prima causa est infirmitas. Infirmitas vero talis debet esse, quæ impediat celebrationem divinorum officiorum. Impedire autem dicitur infirmitas celebrationem hanc, sive cum, viribus debilitatis, Ecclesiam adire et choro assistere nequit clericus; sive quando ex accessu ad Ecclesiam et ex assistentia in choro adesset periculum vitæ, vel periculum aggravandi morbum. In dubio autem judicis arbitrio, qualitas infirmitatis determinatur. Hoc vero jus percipiendi distributiones juxta auctores non conceditur illis clericis, qui dum bona fruerentur valetudine, non consueverunt interesse choro. Hæc sententia doctorum fulcitur opportunis resolutionibus Sacræ Congregationis Concilii. Sane ita tenuit S. Congregatio in causa *Mantuana diei 6. Febr. 1627* (libr. decret. XIV. pag. 197). Idem tenuit in *Reatina 7. Martii 1687* (lib. Decr. XXV. p. 345).

93. Causæ infirmitatis ex *eod. c. un. h. t. in 6°*. adjungenda sunt etiam corporis necessitas, et evidens Ecclesiæ utilitas. Sit primum de corporis necessitate, seu de externo aliquo impedimento, quo clericus detineatur quominus in loco beneficii resideat et choro adsistat. Porro necessitas hæc optime æquiparatur infirmitati; absentia enim in casu procedit ex causa quæ induit naturam vis superioris et causæ necessariæ, cui resisti nequit. Hinc absens ex causa metus principis sæcularis vel viri potentis lucratur distributiones. Ita tenuit S. Cong. in causis *Fundana 3. Julii 1734*, in *Carpensi diei 17. Sept. 1616* et in *Caputaquen. diei 18. Augusti 1721*. Idem dictum est de canonicis absentibus ex causa deportationis in *Sublacen. diei 14. Julii 1817*. Sic etiam S. Congregatio Concilii permisit carceribus injuste detento distributiones percipere ita respondens *diei 23. Sept. 1685:* 'S. Congregatio sæpius censuit, indebite carceribus detento deberi distributiones quotidianas, non secus ac si ipse continuo Ecclesiæ inservisset' *(L. 25. Decret. pag. 405)*

94. Quoad utilitatem Ecclesiæ animadvertimus, utilitatem requiri præcise Ecclesiæ illius in qua beneficium erectum est, vel Ecclesiæ universalis. Hinc lucrantur distributiones canonici qui Romano Pontifici tanquam familiares inserviunt, vel qui pontificia legatione funguntur pro expediendis negotiis universalis Ecclesiæ

arg. c. 14. h. t. At præ oculis habenda est resolutio S. Congregationis Concilii in *Romana diei 6. Maji 1820,* quæ resolutio probata fuit a Sum. Pontifice Pio VII. die 10. subsequenti. Videlicet cum ageretur de canonicatibus et beneficiis Ecclesiarum Urbis proposita sunt sq. dubia. Primum hoc erat. 'An et quomodo sit confirmandum vel concedendum indultum abessendi a choro addictis S. Sedis servitio sive in temporali, sive in ecclesiastico munere?' Responsum fuit: 'Affirmative in omnibus pro diebus et horis, amissis distributionibus inter præsentes tantum.' Igitur clerici isti lucrantur distributiones ordinarias.

95. Dubium secundum hoc erat. 'An et quomodo sit concedendum indultum iis, qui alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii, nunquam possunt, durante munere, suis Ecclesiis deservire et chorali officiaturæ personaliter interesse?' Responsum fuit: 'Negative, exceptis nunciis et internunciis.'

96. 3°. Percipiunt distributiones quotidianas etiam canonici quoties ad Concilium mittantur a Capitulo, vel quoties alio se conferant ut vel beneficii sui, vel propriæ Ecclesiæ aut Capituli negotia gerant, lites et jura eorumdem persequantur. *C. un. h. t. in 6°* et *c. 13. h. t.* Hoc in ultimo casu in libro punctaturarum adnotari solet: *absens pro Ecclesia.* Ad rem faciunt resolutiones S. Congregationis in causis *Panormitana ann. 1588* et *Segob. ann. 1589* relatæ a Bened. XIV. in Inst. 104. *n. 54.*

97. Reputantur insuper utilitatem Ecclesiæ gerere Canonicus Theologus et Canonicus Pœnitentiarius, dum officium complent sibi nomine Capituli commissum. Hinc Canon. theologus ea die qua lectiones habet, et Pœnitentiarius eo tempore, quo confessiones in Ecclesia audit, absentes a choro lucrantur distributiones quotidianas, perinde ac si choro adessent. Quoad Pœnitentiarium clara est dispositio in *c. 8. sess. 24. De Ref.* in Tridentino. Quoad vero Theologum afferri potest, præter alias, decisio S. Congregationis Concilii in causa *Limensi diei 18. Jun. 1622.* Cui decisioni præiverat alia in causa *Mediolanensi* ann. 1589.

98. Iisdem quoad jus percipiendi distributiones accensendus est Canonicus qui præbendæ suæ adnexam habet curam animarum in Ecclesia sui canonicatus. Hic enim si tempore quo divina officia celebrantur, audiat confessiones, vel alia munia ad ipsam curam spectantia exerceat, lucrari debet distributiones quotidianas etiamsi divinis officiis non intersit: quemadmodum in terminis respondit

S. Congr. in causa Mediolanensi diei *3. Febr. 1609.* Censendus enim est Parochus utilitatem evidenter agere Ecclesiæ suæ: de quo in *c. un. h. t. in 6°.* fit sermo. Si autem canonicus vel alius beneficiatus curam animarum exerceat in alia Ecclesia, distributiones non lucratur dum a choro abest ratione officii sui parochialis, licet fructus præbendæ suæ percipiat. Ita S. Pius V. in sua Const. *63* Conf. Fagnanus *Comm. in Cap. Licet De Præb. n. 67.* et Benedictus XIV. *cit. Instit. n. 56.*

99. Reputatur insuper causa legitima pro lucrandis distributionibus, 1° visitatio sacrorum Liminum sive quando Canonicus comitetur Episcopum in visitatione peragenda, sive quando ab Episcopo impedito Romam mittatur. Ita post decretum Sixti V. censuit S. Congr. in *Sulmonensi diei 5. Dec. 1626,* et, aliis omissis, in *Monasterien. 15. Maji 1723.* Pariter lucrantur distributiones Canonici inservientes Episcopo Pontificalia exercenti juxta præscriptum Tridentini *cap. 12 verb. Omnes vero Sess. 24* tam in Ecclesia Cathedrali, quam alibi. Fagnanus *Comm. in Cap. 22 de Præb. n. 168* refert in hoc sensu resolutionem S. Congregationis.

100. Tandem ex Literis Encyclicis Clementis XI. *diei 1. Febr. 1700* ad Episcopos Italiæ et insularum adjacentium habemus, percipere distributiones illos Canonicos, qui certis per annum diebus in ædibus regularium recepti vacant spiritualibus exercitiis. Sed requiritur 1° ut obtineatur prævia licentia Episcopi; 2° ne recessus contingat temporibus Adventus et Quadragesimæ, vel diebus festis solemnioribus; 3° ne omnes simul Canonici recedant et in claustris regularium sese recipiant; 4° ne servitium chori detrimentum capiat.

101. Non lucrantur vero distributiones 1° Canonici absentes causa studiorum. Ita resolvit S. Congr. in *Ariminens. diei 18. Aug. 1731* et in *Maceraten. diei 10. Dec. 1616.* Conf. Bened. XIV. *Instit. Eccl. 107.* In casibus vero particularibus standum est tenori Rescripti S. Sedis. Siquidem ob circumstantias particulares S. Sedes absentibus ex causa studiorum jus concedere potest distributiones quotidianas percipiendi. 2° Episcopus, uti supra vidimus N. 72, juxta tenorem *capp. 7 et 15 h. t.* jus habet unum vel duos canonicos assumendi, qui ei operam suam præstent in Diœceseos regimine exercendo. Jamvero hi duo canonici absentes a choro dum Episcopo inserviunt juxta sensum *cap. 7 cit.* percipiunt quidem fructus præbendæ, distributiones autem quotidianas non lucrantur. Hanc conclusionem in terminis S. Congregatio Con-

cilii adoptavit anno *1587* in causa *Sor. (Lib. 30 Decret. pag. 301.)* Præstat vero ad rem melius declarandam referre decisionem ejusdem S. Congregationis in causa *Brixien. diei 18. Sept. ann. 1626 (Lib. 13. Decret. pag. 346)* hisce verbis conceptam: 'Sacra Congregatio censuit, dandam esse declarationem alias editam tenoris sequentis: Sacra etc. censuit, unum vel duos Canonicos Episcopo inservientes juxta privilegium ad favorem Episcoporum in *cap. De cætero. De Clericis non residentibus*, lucrari Præbendam suorum Canonicatuum, non tamen distributiones quotidianas; si vero redditus omnes ipsis distributionibus constent, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrari.'

Præterea Canonici absentes, qui actu Episcopo assistunt, sive in visitatione Diœceseos, sive missam privatam celebranti in suo palatio, aut alibi, distributionibus privantur. Ita in *Amerina diei 3. Febr. 1629* et in *Colonien. ann. 1671* et *cit. Instit. Bened. XIV. n. 59 et 61.*

3° Canonici absentes ex indulto Tridentino ad tres menses, nisi in constitutionibus a S. Sede approbatis concessum fuerit privilegium distributiones in præsenti hypothesi percipiendi. Bened. cit. Instit. n. 36 ubi refert binas resolutiones S. Congr. Concilii *in Bonon.* et in alia Pistoriensi a. 1586.

102. Quædam dicenda sunt pro explicatione cap. 30 De *Elect. et Electi pot.* in 6°, quod licet eumdem auctorem habeat Bonifacium quem habet *c. un. h. t. in 6°.* tamen contrariam prorsus theoriam insinuare videtur. Etenim cum in eo ageretur de Clericis, qui tempore electionis Prælati Diœceseos Romam pergebant, instructuri summum Pontificem de negotio electionis ejusdem, quamvis agnosceret Pontifex, clericos istos reliquisse suam Ecclesiam pro ejus utilitate; tamen iisdem tribuit jus percipiendi solummodo fructus annuos, et excludit distributiones quotidianas, quas idem Pontifex canonicis absentibus ob causam utilitatis Ecclesiæ concedit in *cap. un. h. t. in 6°.* Ut hæc duo capita concilientur, plures proponuntur ab auctoribus hypotheses. Omnibus aliis omissis, unam proponimus conciliationem, quæ nobis rationabilior videtur. Præ primis vero animadvertimus *c. 30 de Elect.* constituere non posse regulam in sensu contrario *capitis un. h. t. in 6°.* Nam caput hoc unicum in usum revocatum est a Tridentino *in cap. 12. Sess. 24. de Refor.* Attingentes vero meritum quæstionis, ne dicamus Bonifacium Bonifacio adversari, arbitramur, verbum *distributiones* in

c. 30. de Elect. sumi debere de distributionibus inter actu præsentes in choro, quæ proprie manuales appellantur; idest absentes ob Ecclesiæ utilitatem amittere hasce manuales distributiones, quæ ex lege, consuetudine, aut voluntate piorum fundatorum solis personis actu præsentibus reservantur. Quod vero Bonif. *in hoc c. 30* non deneget Canonico absenti ob negotium electionis distributiones ordinarias, patet ex eo quod dicat, Canonicum absentem lucrari non solum fructus beneficii, sed etiam alios fructus, quos lucratus fuisset, aut potuisset lucrari, si in Ecclesia resedisset: qui fructus posteriores certo sunt distributiones, seu pars fructuum conversa in distributiones quotidianas.

103. Verum animadverti debet, S. Congregationem Concilii in resolutione approbata a Paulo V. et relata a Fagnano *com. in c. 32 De Præb. et dignit. n. 159,* explicasse dispositionem capitis *30 de Electione in 6°* de casu, in quo consuetudo vigeat in aliqua Ecclesia denegandi distributiones ordinarias absentibus pro evidenti utilitate Ecclesiæ. Sed ubi non probatur hæc consuetudo, censuit S. Congregatio, servandam esse dispositionem *Cap. un. h. t. in 6°* ita scilicet ut concedendæ sint quotidianæ distributiones canonicis et beneficiariis absentibus pro utilitate Ecclesiæ suæ.

104. Quæritur quomodo sint applicandæ distributiones quas absentes Capitulares amittunt?

Hac in re dispositio Tridentini *c. 3. sess. 21 De Ref.* contraria esse videtur dispositioni *c. 3. sess. 22 De Ref.* Nam in primo loco distributiones hujusmodi dicuntur inter præsentes divinis officiis proportionaliter esse dividendæ, in secundo autem loco applicantur fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco ab Ordinarii arbitrio. Hæc tamen duo loca bene inter se componuntur, ita nempe ut aliis capitularibus præsentibus accrescant quando deductæ sint ex massa communi et indivisa, applicandæ vero sint fabricæ Ecclesiæ vel alteri pio loco quando deductæ sint ex singulis præbendis habentibus distinctam dotem et distinctam administrationem, idest quæ massam communem cum aliis non constituunt.

De pœnis contra Clericos beneficium possidentes, qui non observant legem residentiæ.

105. Concilium Tridentinum *in cit. c. 3. sess. 21. et 3. sess. 22. de Ref.* in genere statuit præter amissionem distributionum, procedendum esse contra non residentes juxta sacrorum Canonum sta-

tuta. At *in c. 12. sess. 24. § Præterea* concedit Canonicis et quibuscumque portionariis Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum facultatem absentiæ pro annuis tribus mensibus vacationum, nisi constitutiones Ecclesiæ particularis longius servitium requirant. Quod si diutius a residentia abfuerint sequentibus pœnis eos mulctat Tridentinum Concilium. 'Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quavis collatione aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit: *Consuetudinem,* quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus'. Ex quibus omnibus patet dignitates, Canonicos, et Portionarios Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum, cessantibus impedimentis et causis legitimis, non residentes I° amittere ipso jure distributiones quotidianas, II° primo anno illegitimæ absentiæ privandos esse dimidia parte fructuum.

106. Hæc vero privatio fructuum non habet locum ante judicis sententiam; ait enim Concilium *privetur;* sed infligi potest, licet clericus monitus non fuerit, ut ad residentiam rediret. Concilium enim de præcedente monitione non loquitur. Verum posito facto absentiæ longioris ultra tempus utile, Episcopus intimabit Clerico negligenti ut rationes reddat absentiæ. In quibus si deficiat, vel si fuerit contumax, pœna privationis a Tridentino statuta Episcopus Clericum mulctabit. Ita resolvit S. Congr. in causa *Vercellensi ann. 1573 Conf. Benedict. XIV. Inst. 107.*

III. Sequitur Tridentinum: *si eadem negligentia usus fuerit,* idest si etiam anno insequenti clericus non resideat privandus est omnibus fructibus, quos secundo anno lucratus fuerat. Crescente vero contumacia, idest si clericus absit etiam tertio anno, contra eum proceditur juxta sacrorum Canonum constitutiones, scilicet etiam titulo beneficii expoliatur.

107. Unde hodierno jure non amplius servatur dispositio veterum canonum, qua clerici non residentes poterant statim privari beneficio, si intra congruum tempus præfigendum a judice non rediissent. *c. 28. De Appellat. et capp. 10. et ult. h. t.* Sed privari

non possunt beneficio, nisi post lapsum trium annorum absentiæ, et postquam supra expositæ pœnæ subtractionis fructuum applicatæ inutiliter fuerint, quemadmodum respondit S. Congr. C. in causa *Cathacensi 14. Febr. 1671 et 21. Maji 1672, et in Lancianen. 13. Januarii 1703. Conf. Fagnan. Comm. in c. 32. De Præb. n. 26.*

108. At explicanda sunt illa verba Concilii 'Procedatur juxta sacrorum canonum Constitutiones'. Expectato lapsu trium annorum, contra clericum non residentem procedendum est, juxta sacrorum *canonum constitutiones* ceu ait Tridentinum in cit. *c. 12. Sess. 24. de Ref.* Scilicet procedendum est ad privationem beneficii. Verum servanda est norma sacrorum Canonum, qui hac de re pertractant. Idest si cognoscatur domicilium, seu locus in quo commoratur Clericus absens, personaliter citari debet et revocari ad residentiam præfigendo eidem congruum et peremptorium terminum, *capp. 8. et 17. h. t.* Quod si ignoretur ubi clericus commoretur, vel ad ipsum non possit citatio pervenire; hac in hypothesi, citatione trina per edictum ad valvas Ecclesiæ beneficii affigendum, debet revocari ad residentiam, et post tertiam citationem adhuc expectari debet per alios sex menses, quibus elapsis, proceditur contra eumdem Clericum ad pœnam privationis beneficii. *Cap. Ex tuæ. 11. h. t. Conf. Fagn. Comm. in idem c. 11. h. t. n. 35.* et Reiffenst. *h. t. n. 132.*

109. Cum vero in eod. *c. 11.* § *Contra,* pœna etiam suspensionis et excommunicationis contra Clericos in absentia contumaces infligenda proponatur; hinc vi canonum potest Episcopus contra Clericum absentem, etiam durante triennio, antequam proferat sententiam privationis, experiri alia remedia juris, seu, comminatis aut etiam inflictis censuris, contumaciam ejus frangere, si in Domino viam hanc censurarum utiliorem viderit. *Conf. Instit. Eccl. 107 n. 38.* Benedicti XIV., ubi refertur celebre decretum S. Cong. Concilii diei 18. Nov. 1673 in causa *Parentina,* in quo traditur, posse Episcopum etiam post inchoatam viam procedendi a Tridentino præscriptam suspendere clericum contumaciter absentem juxta dispositionem Capitis *Ex tuæ XI. de Clericis non resident.*

110. Hæc quæ exposuimus respiciunt Clericos obtinentes dignitates, canonicatus, vel beneficia inferiora, seu portiones in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis. Si vero sermo sit de clericis obtinentibus beneficia non parochialia extra Cathedrales vel Col-

legiatas Ecclesias, quæ beneficia (non parochialia) requirant personalem residentiam, contra eos, si residentiæ legem non observent, procedendum est juxta formam et regulam præfinitam *in cit. Cap. 17. et C. 11. h. t.* Etenim cum relate ad hosce Clericos nihil immutaverit Concilium Tridentinum, adhuc integra perseverat contra ipsos dispositio antiqui juris. Scilicet absentes personaliter admonendi sunt; quod si ignoretur ubi degant, vel ad eos citatio pervenire nequeat, trina citatio per edictum publicanda est ad valvas Ecclesiæ beneficii, et post tertiam citationem adhuc sex menses præterlabi debent; quibus elapsis potest procedi ad privationem beneficii. Vel si placeat, ante hanc privationem potest Episcopus experiri etiam censuras. In materia residentiæ Parochorum et Episcoporum cf. Giraldi Exposit. Jur. Pont. *appendix ad h. t. de Clericis non residentibus.*

111. In materia de pœnis contra clericos non residentes, veluti appendicis loco opportunum ducimus referre sequentem S. Congregationis Episcoporum et Regularium decisionem diei *4. Martii 1842,* quam nobis exhibet Cardinalis Bizzari in sua *Collectanea pag. 110.* 'Cum Episcopus N. N. videret, quod festis diebus Sacerdotes suæ jurisdictioni subditi in vicinam diœcesim transmearent ad Missam inibi celebrandam, ideoque in suæ diœcesis ecclesiis Missarum defectus haberetur, suo decreto sancivit: *ne ullus Sacerdos, præsertim diebus festis sese conferret ad celebrandam Missam in quacumque Ecclesia extra diœcesim posita sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ.* Re ad S. Congregationem delata, concinnatum est dubium *'An et quomodo sustineri debeat decretum editum ab Episcopo diœcesis N. N.?'* In Congregatione generali prædictæ diei rescriptum fuit: *'Quoad censuras, negative in omnibus, in reliquis ad mentem: mens est: exceptis Sacerdotibus, qui onus habent celebrandi intra fines diœcesis, quoad alios Presbyteros decretum Episcopi sustineri non posse.'* Quare dicendum est: 1. Episcopum decreto suo non posse prohibere, quominus Sacerdotes nulla alia obligatione beneficii aut capellaniæ devincti die festo a diœcesi recedant, et alio se conferant ad Missam celebrandam. 2. Episcopum posse quidem obligare Sacerdotes, qui Missam ex speciali titulo celebrare debent in diœcesi, ne diebus festis a diœcesi recedant Missam alibi celebrandi causa, attamen decreto suo non posse Episcopum contra istos censuram latæ sententiæ infligere, si recedant.

Titulus V.

De Præbendis et Dignitatibus.

1. In genere vocabulum *præbenda* exprimit quamcumque perceptionem fructuum bonorum ecclesiasticorum, in specie vero significat beneficium ecclesiasticum, et in sensu rubricæ exhibet illam classem beneficiorum, quæ a dignitatibus distinguuntur; ea scilicet quibus nec præeminentia honoris nec jurisdictio, nec administratio quædam seu custodia rerum ecclesiasticarum adnexa est.

2. Quoniam vero præbenda sumitur etiam ad exprimendum beneficium ecclesiasticum in genere, sub qua significatione tum præbenda, tum dignitas comprehenduntur; hinc primo loco agimus de beneficiis ecclesiasticis in genere.

Si vis vocis spectetur, Beneficii nomen originem civilem sortitum fuisse videtur. Nam ab historia edocemur, morem inolevisse temporibus imperii romani concedendi prædia quædam et possessiones militibus, qui in bello nobile aliquod factum et gloria dignum gesserant. Id ab ipso Alexandro Severo factum fuisse narrant. Hæc prædia et eorum concessiones appellabantur Beneficia, et qui prædia illa possidebant ex Principis elargitione beneficiarii dicebantur.

3. Hunc morem imitata est Ecclesia et prædia vel possessiones concessit clericis deservientibus in sacra militia, eademque prædia vel possessiones propter servitium ecclesiasticum concessas appellavit beneficia. Si quis cupiat cognoscere historiam bonorum temporalium Ecclesiæ, et quinam fuerit vetus status eorumdem, et administratio, et distributio fructuum bonorum ipsorum, adeat *Berardi Jus Eccl. Univ.* in Dissert. præliminar. ad Tract. de *Beneficiis.*

4. Beneficium Ecclesiasticum definitur *'Jus perpetuum auctoritate ecclesiastica constitutum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum.'* Hæc definitio communior est; at non desunt, qui diversam ab ea definitionem exhibent, scilicet ut sit *'Officium sacrum ab auctoritate ecclesiastica constitutum, cui adnexum est jus percipiendi reditus de bonis ecclesiasticis'.* Utraque hæc definitio refert quidem duo essentialia beneficii elementa, jus nempe percipiendi fructus bonorum ecclesiasticorum, et officium sacrum; at prima definitio melius respondet

notioni historicæ beneficiorum. Nam quamvis officia sacra semper adfuerint in Ecclesia, non semper vero extitere beneficia; quæ tunc locum habere cœperunt, cum prædia et possessiones in usum fructuum Clericis in Ecclesia ministrantibus dari cœperunt. Quæ concessiones cum referrent indolem beneficiorum militiæ civilis, etiam idem nomen sortitæ sunt. Quare Bonifacius *c. ult. De Rescr. in 6°.* docet, *Beneficium dari propter officium.* Scilicet beneficium est jus percipiendi fructus, quod jus propter officium sacrum impertitur. Unde notio Beneficii directe secumfert jus fructuum percipiendorum, et indirecte, seu tamquam causam supponit officium sacrum: ob quod officium sacrum ipsum jus temporale percipiendi fructus redditur sacrum. Est enim jus adnexum rei sacræ. Unde Beneficium inspectum, prout in concreto existit, unum ens juridicum constituit ex duobus elementis unitis resultans, quorum unum ab altero separari nequit, quin Beneficii notio destituatur. Quare nec legitime desiderari et obtineri potest beneficium, nisi ab eo, qui munere ecclesiastico obeundo dignus est, et capax. Primam ergo definitionem sequimur, et requisita ad Beneficium constituendum ab ea deducimus.

5. Primum requisitum est, ut sit jus percipiendi fructus. Nam Beneficium non consistit proprie in actuali et materiali perceptione fructuum sed in jure perceptionis habendæ. Hinc qui legitime assecutus est beneficium, conservat titulum illius, et censetur esse verus beneficiarius, licet a possessione bonorum injuste fuerit exturbatus. Ex hoc requisito Beneficium distinguitur a *Canonia*, quæ est jus habendi sedem in choro et vocem in Capitulo, caret tamen præbenda.

6. Secundum requisitum beneficii est perpetuitas juris. Hæc vero perpetuitas, si ipsum Beneficium respiciat, perennem Beneficii durationem significat et hæc perpetuitas dicitur essentialis. Vera enim Beneficia non ad tempus fundantur; sed instituuntur ceu totidem perpetuæ stationes pro Clericis munia ecclesiastica sibi propria obeuntibus. Hinc fundatio temporanea ex. gr. pium relictum Missarum in determinato altari ad quinquennium celebrandarum, vel sacrum officium præstandum ad tempus cum congrua retributione, constituere nequeunt beneficium. Si vero perpetuitas respiciat Clericum possidentem beneficium, ipsum jus est etiam perpetuum, quatenus Beneficium conferatur, ita ut collatio regulariter ad totam vitam beneficiati perduret. Hinc collatio Beneficii dicitur intitu-

latio, et Clericus dicitur investitus in Beneficio. At collatio beneficii in titulum non impedit, quominus beneficium, vivente adhuc Clerico, vacet. Quare perpetuitas beneficii in ordine ad Clericum possessorem non dicitur essentialis, sed dicitur perpetuitas *ordinaria* vel *normalis.*

7. Diximus *regulariter,* nam adsunt quædam beneficia, quæ ad nutum conferentis revocari et auferri possunt, quæque dicuntur *manualia* vel *beneficia ad nutum.*

8. Præterea animadvertendum est nonnullas dari Ecclesias, quæ *receptitiæ* seu non *numeratæ* dicuntur. In istis Ecclesiis distinctæ Præbendæ et distincta beneficia non adsunt, sed tot admittuntur Canonici vel beneficiati aut mansionarii quot possunt ex reditibus massæ communis sustentari. Quare in istis Ecclesiis perpetuitas essentialis competit ipsi massæ communi, de qua Clerici instituti in beneficio participant. De hisce Ecclesiis agunt *capp. 9. De Const. 25. h. t. et ult. De concess. Præb. in 6°.*

9. Tertium requisitum est, ut sit erectum et constitutum auctoritate ecclesiastica *cap. 4. de religiosis domibus.* Requiritur scilicet formalis approbatio Curiæ episcopalis per decretum erectionis in titulum. Beneficii enim erectio importat institutionem sacræ positionis clerici in Ecclesia quæ sacra positio sua habet jura, suaque adnexa munia obeunda. Scilicet erectio beneficii exhibet institutionem officii sacri, quod institui potest a sola auctoritate, cui commissum est regimen Ecclesiæ.

10. Hinc in praxi S. Congregatio Concilii ad dignoscendum beneficium ecclesiasticum, illudque distinguendum a Capellania laicali seu pio Missarum legato, piave donatione, plurimum attendit, utrum decretum Episcopi vel ejus officialis emissum fuerit in erectione beneficii ipsius. Legata enim Missarum seu Capellaniæ mere laicales solummodo acceptantur ab auctoritate ecclesiastica, non autem eriguntur in titulum per decretum, seu institutionem canonicam.

11. Quartum requisitum est, ut juri percipiendorum fructuum adnexum sit munus proprie dictum sacrum, quemadmodum est recitatio canonicarum horarum, celebratio Missarum, cura animarum, administratio sacramentorum etc. Hinc officia civilia et pensiones, quæ pro ipsis in Ecclesia statuta sunt, beneficia non dicuntur. Ex. gr. portiones fructuum designatæ pro ædituo, procuratore, et

aliæ pro cantoribus, non sunt beneficia. Censentur enim adsignata ceu merces civilis pro labore.

12. Ex hoc requisito descendit etiam quintum, ut nempe beneficium conferatur personæ ecclesiasticæ, quæ scilicet ecclesiasticæ militiæ adscripta sit. Munia enim sacra cum reservata sint cœtui personarum ecclesiasticarum, per exclusionem laicarum, solis ecclesiasticis personis conferri possunt.

13. Tandem ex *bonis ecclesiasticis* Beneficium resultat, sub qua appellatione venire etiam arbitramur pensiones, quæ a Gubernio civili in aliquibus regionibus sacris ministris ex assumpta obligatione cum Ecclesia solvuntur ob munia ecclesiastica, quæ exercent. Nam generatim pensiones istæ repræsentant, licet plerumque minus adæquate, fructus bonorum, quæ Ecclesiæ Gubernia civilia subripuerunt. Et 2°. sunt certæ et determinatæ solutiones pecuniæ, quæque ex lege perpetuæ sunt et rependuntur Clericis ob officia sacra. Hinc Ecclesia in illis locis, ubi loco bonorum temporalium pro Clericis præsto sunt istæ pensiones, considerat adhuc existere beneficia ecclesiastica. In hoc sensu a Doctoribus refertur responsum S. Pœnitentiariæ diei 19. Januarii 1819 hisce verbis expressum: 'A Sacra Pœnitentiaria quæsitum fuit, an salaria, quæ in Belgio solvuntur Pastoribus et Canonicis, induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et adnexam habeant obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residendi sub pœna non faciendi fructus suos. S. Pœnitentiaria respondit jam alias a S. Sede rescriptum fuisse affirmative'. Conf. Clar. de Angelis *h. t. n. 17. pag. 22.*

De Divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

14. Prima divisio est ut alia sint duplicia et alia simplicia. Simplicia in sensu juris ea dicuntur, quæ communia habent officia adnexa, assistentiam nempe in choro et altaris servitium, quin aliqua speciali qualitate honoris vel jurisdictionis decorentur, aut aliud officium secumferant. Hæc notio beneficiorum simplicium tradita est ad rigorem juris; nam juxta communem loquendi modum et praxim hodiernam, sub appellatione beneficiorum simplicium veniunt illa beneficia, quæ important ea officia, quæ ubique impleri possunt ex. gr. recitationem privatam horarum canonicarum, onus missarum ubicumque celebrandarum etc. Hinc beneficia simplicia dici solent ea, quæ personalem residentiam Clerici in loco deter-

minato ratione officii proprii non exigunt. Duplicia in sensu juris ea sunt, quibus adnexa est jurisdictio, præeminentia, cura animarum, vel etiam administratio, seu aliquod officium.

15. Duplicia alia sunt majora alia minora. Duplicia majora dignitate episcopali et dignitatibus superioribus continentur; quæ beneficia cum proprium nomen habeant ac supereminentem excellentiam in Ecclesia, non comprehenduntur in odiosis sub nomine generico beneficiorum. Quemadmodum etiam dispensatio ad omnia beneficia non censetur concessa etiam ad obtinendum episcopatum, archiepiscopatum etc. Dispensatio enim consideratur ceu vulnus legis, ac proinde est res odiosa. Hisce beneficiis majoribus accedunt Abbatiæ et Prioratus, quibus inest jurisdictio quasi-episcopalis.

16. Duplicia minora ea sunt, quæ habent aliquam ex supra expressis qualitatibus, et tamen sunt episcopali, vel quasi-episcopali dignitate inferiora; quæque appellantur vel simpliciter Dignitates, vel Personatus, vel Officia, necnon beneficia curata. Dignitates sunt beneficia, quibus adnexa est aliqua jurisdictio, et præeminentia honoris. Talia erant jure decretalium beneficia Archidiaconatus et Archipresbyteratus. Personatus est illud beneficium, cui inhæret præcedentia, seu locus præ aliis canonicis honorificus in choro, in capitulo et in processionibus, sed omni jurisdictione in alios caret. Talis est Primicerius seu Cantor. Officium significat beneficium, cui adnexa est administratio rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione et præcedentia. Officium habebant jure Decretalium Sacrista, Custos et Thesaurarius. Hodiernis vero moribus, extincta jurisdictione ordinaria Archidiaconi et Archipresbyteri, regulariter loquendo, quæ in Capitulis Dignitates appellantur, non sunt nisi totidem personatus; in usu autem veterum vocabulorum dignitatis et personatus plurimum attendenda est locorum consuetudo et peculiares Capitulorum Constitutiones. Jure Tridentino officium habent Canonicus Theologus, et Canonicus Pœnitentiarius. Tandem beneficium duplex minus est illud, cui adnexa est cura animarum.

17. Quæstio est, utrum Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis debeant adnumerari inter duplicia beneficia. Quamvis proprie dicta duplicia dici nequeant, carent enim omnibus quatuor qualitatibus quæ duplex beneficium constituunt; tamen Canonicatus isti nec simplicibus beneficiis accenseri possunt. Nam cum Canonici Cathe-

dralis Ecclesiæ lateri adhæreant Episcopi, majorem aliquam excellentiam honoris præ aliis clericis diœceseos sibi vindicant, et dignitatibus æquiparantur in executione literarum Apostolicarum *c. XI. de Rescr. in 6.* Hinc plerumque non veniunt nomine beneficiorum simplicium, *arg. c. 4. h. t. in 6.*

18. Secunda divisio est, ut alia beneficia sint sæcularia, alia regularia: Sæcularia quæ sive ex fundatione, sive ex præscriptione saltem 40 annorum conferuntur clericis extra familiam religiosam. Regularia vero dicuntur quæ a regularibus sive ex ipsa natura, prout sunt abbatiæ, prioratus et canonicatus regulares, sive ex præscriptione 40 annorum, aut etiam ex aliquo facto ex. gr. unione vel concessione in forma juris valida, a regularibus retineri et administrari debent et solent, *c. 5. et cap. 32 h. t. in 6.* Nisi vero probetur beneficium aliquod esse regulare, in dubio præsumptio est, ipsum esse sæculare. Unde qui asserit beneficium aliquod esse regulare, probare debet. Exceptio tamen facienda est in beneficiis natura sua regularibus. Nam quoad ista præsumptio militat pro qualitate regulari.

19. Tertia divisio deducitur ex modo collationis. Alia videlicet dicuntur collativa seu liberæ collationis, alia patronata, alia electiva. Liberæ collationis ea sunt quæ ab Episcopo seu alio superiore ordinario conferuntur motu proprio nec prærequiritur electio aut præsentatio. Patronata sunt ea, quæ prærequirunt nominationem seu præsentationem alterius. Electiva appellantur ea, quæ conferuntur, prævia legitima electione facta ab iis qui jure eligendi pollent. Quo in casu superior qui complet actum collationis, revera non confert beneficium, sed confirmat electionem. Hinc ejus actus non appellatur collatio sed confirmatio. Quare falsa est theoria moderni scriptoris *(Minghetti 'Stato e chiesa' Ulrico Hœpli editore Milano 1878. pag. 118.)*, qui asserit, unam ex conditionibus beneficii esse existentiam alicujus patroni fundatoris, eique aut ejus descendentibus spectare jus præsentandi clericum ad beneficium. Falsa est dico, hæc theoria; nam in facto constat, non omnia beneficia fuisse a privatis personis erecta et jus nominandi ad privatas personas pertinere.

20. Quarto loco beneficia alia dicuntur patrimonialia alia vero non patrimonialia. Hæc altera sunt, quæ conferuntur indifferenter clericis absque relatione ad locum vel ad familiam aliquam. Primi generis sunt beneficia, quæ sive per liberam collationem sive ad

nominationem patroni conferri debent clerico idoneo qui pertinet vel ad aliquam familiam vel ad aliquam parochiam, vel civitatem, vel castrum.

21. 5°. Beneficia alia sunt manualia, alia non manualia idest perpetua. Manualia sunt ea, quæ conferuntur quidem in titulum, sed ad nutum superioris, vel patroni conferuntur, ideoque revocari possunt. Non manualia sunt ea beneficia, quæ conferuntur in perpetuum titulum et irrevocabiliter. Unde revocari non possunt nisi ex aliqua causa expressa in jure *can. 16. dist. 55. can. 7. dist. 56.* Regulariter loquendo beneficia sæcularia sunt non manualia, regularia vero regulariter loquendo sunt manualia, quia religiosi pendent a voluntate superioris. Dixi regulariter. Nam beneficia regularia, quæ non a solo superiore, sed a capitulo per electionem conferuntur, non possunt conferri a solo superiore, nisi ex gravi causa tantum *c. 2* § *Prioris de statu Monach.* Adeoque non sunt beneficia manualia. Expositæ divisiones respiciunt beneficia ecclesiastica, quæ nempe conferri possunt solummodo clericis et officium sacrum adnexum habent.

22. Sed præterea dari solent beneficia mere laicalia, quæ solummodo improprie loquendo dicuntur beneficia. Sunt vero ea beneficia, quæ etiam a laicis possunt retineri, et reducuntur ad naturam meri legati pii, idest ad piam institutionem acceptatam ab Ecclesia, quæ secumfert aliquod onus religiosum ex. gr. celebrationem Missarum exequendum a possessore bonorum, in quibus legatum pium fundatum est.

23. Ad majorem vero rei claritatem quæritur, quid sit Canonia, quid Vicaria, Commenda, Capellania, Præstimonium et Pensio, et an dici possint species beneficii Ecclesiastici. — Canonia definitur, 'Jus spirituale, quod clerico provenit ex ejus electione vel receptione in fratrem'. Per Canoniam aliquis adscribitur inter Canonicos, quin tamen concedatur eidem præbenda, seu jus percipiendi fructus bonorum Ecclesiasticorum. Ex quo patet, canoniam non esse verum beneficium, ac proinde non posse constituere titulum sacræ ordinationis. Jus ergo quod in canonia conceditur est ut electus vel receptus in canonicum habeat sedem in choro et vocem in capitulo. Insuper provident sacri canones, ut huic Canonico, quamprimum fieri possit, conferatur præbenda vel portio fructuum canonicalium *c. 9. et c. 19. h. t.*

24. Animadvertimus vero hodie in usu parum esse canoniam in sensu exposito, sed potius in capitulis solere nominari canonicos honorarios, qui habent quidem sedem in choro, sed carent voce in capitulo et jure assequendi præbendam vacaturam. De hisce aliquid dicemus inferius in *tit. VIII. nn. 14. et seqq.*

25. *De Vicaria.* Vicarius est, qui vices alterius gerit. In jure dantur vicarius jurisdictionis et vicarius in divinis. Primus est, qui constituitur ut directe et præsertim in foro externo vice alterius justitiam administret, et correctionem exerceat. Officium hujusmodi hodie amplius ordinarium undequaque non est, idest non adnectitur alicui beneficio. Vicarius in divinis est qui in iis, quæ ad forum internum seu conscientiæ pertinent, alterius vices gerit, scilicet vicaria hujusmodi curam animarum secumfert. Cum vicaria jurisdictionis hodierno jure non amplius beneficio alicui uniatur de ea non loquimur, sed loquimur solum de vicaria in divinis.

26. Vicaria hæc alia est temporalis, alia perpetua. Vicarius temporalis destinatur ad regendam parœciam vel ad certum tempus ex. gr. ceu vidimus in 1. libro cum parœcia est vacans rectore suo principali, aut rector hic minus idoneus factus est, vel constituitur vicarius ad nutum alterius. Hæc porro vicaria temporalis verum beneficium non est; vicarius enim titulum beneficii non habet et ejus positio non respondet positioni veri beneficiati. Nam vicarius hic bonorum beneficii administrationem non exercet; sed solum stipendium recipit laboris præstiti in exercitio curæ animarum. Immo quando parœcia est perpetuo unita officio Superioris alicujus monasterii et a superiore constituitur vicarius temporaneus ad nutum, verum beneficium censetur possideri a superiore, et incorporatio facta monasterio tenet locum collationis perpetuæ; illi vero qui a Superiore designantur ad curæ animarum exercitium, ejus vicarii sunt, et censentur habere beneficium manuale. *Cf. Clem. Qui regulares. de Suppl. negl. Prælat.*

27. Non idem vero dicendum de vicaria perpetua. Ea enim constituit verum et proprie dictum beneficium ecclesiasticum. Nam Vicarius perpetuus constituitur ita, ut ab officio removeri nequeat nisi una ex causis canonicis verificetur, et nisi serventur modi in jure expressi ad parochos ab officio removendos. 2°. in *Clem. un. de potest. Vicarii* vicarius perpetuus æquiparatur veris et titularibus parochis tum quoad incompatibilitatem alterius vicariæ, tum quoad ætatem et ordinem requisitum. Hinc etiam vicaria per-

petua confertur per concursum juxta legem Tridentinam. Merito igitur *in c. 27 de Rescript.* appellatur beneficium.

28. *De Commenda.* — In genere Commenda dicitur custodia Ecclesiæ vel beneficii alicui commissa et commendatarius dicitur clericus, qui Ecclesiam vel beneficium in commendam recipit. At diversa est Commenda antiqua, seu quæ obtinebat jure antiquo a Commenda nostrorum temporum. Commenda antiquitus nihil aliud erat nisi custodia Ecclesiæ vel beneficii vacantis alicui clerico commissa ut bona administraret, et fructus erogaret pro ministrorum mercede, pro Ecclesiæ conservatione et pro augmento bonorum ipsorum seu dotis beneficii vel Ecclesiæ. Quare instituta non erat commenda in commodum Clerici commendatarii sed in utilitatem Ecclesiæ ipsius vel beneficii. Hinc duo sequebantur, 1°. ipso jure unum eundemque clericum potuisse retinere Commendam etiam simul cum alio beneficio in titulum *c. 54 § suggessit. De Elect.* Sequitur 2°. Commendas non fuisse perpetuas sed perdurasse quoadusque id exegisset utilitas Ecclesiæ vel beneficii. Immo antiquitus Commendæ concedebantur non ultra sex menses *C. Nemo 15 de Elect. in 6.* Ex qua notione sequitur, antiquas Commendas non fuisse vera beneficia.

29. At tractu temporis inductum est, ut Commendæ essent perpetuæ et conferrentur ita, ut Commendatarius perciperet fructus seu reditus Ecclesiæ aut beneficii commendati, et Commendam reciperet ad instar tituli. Commenda igitur nostris temporibus est verum beneficium. Quare Concilium Tridentinum *c. 2. et 4. sess. 7. et c. 17. sess. 24. de Ref.* prohibet, ne quis plura possideat simul beneficia etiam commendata. Quæ prohibitio extenditur etiam ad casum, in quo unum beneficium retineretur in titulum, et aliud in Commendam. Hinc hodierno jure commendæ nonnisi a Romano Pontifice concedi possunt et duplici in casu concedi solent 1°. quando alicui personæ qualificatæ, quæ jam beneficium possideat in titulum, ut commodius sustentari possit, aliud beneficium conceditur in Commendam, ne videatur duplici titulo investiri. 2°. Concedi solent in Commendam abbatiæ seu beneficia regularia. Conceduntur vero beneficia ista in Commendam Clericis sæcularibus, ne videatur mutata indoles beneficii: Nam, cessante concessione in Commendam, beneficium redit pleno jure in pristinam conditionem beneficii regularis.

30. *De Capellania.* Capellania est institutio quædam Ecclesiastica qua Clericus tenetur Missam celebrare juxta intentionem pii fundatoris, et jus habet percipiendi fructus bonorum designatorum ab eodem pio fundatore. Hinc inspecta juridica institutione Capellaniarum, Capellano non adsignantur determinata stipendia pro singulis missis quas celebrat, sed conceduntur fructus quorundam bonorum, quibus onus adnexum est missam vel quotidie, vel determinatis in anno vicibus celebrandi. Ceterum potest etiam pro singulis missis quantitas eleemosynæ designari quemadmodum non raro fieri solet ex voluntate fundatorum. Generatim Capellaniæ fundantur in determinatis Capellis vel Ecclesiis. Porro si Capellania auctoritatis ecclesiasticæ idest Episcopi vel alterius superioris ecclesiastici decreto ea lege fundetur, ut conferatur personæ clerici in perpetuum, induit naturam beneficii ecclesiastici, et constituere potest titulum sacræ ordinationis.

31. Quæ requisita si desint Capellania dicitur laicalis vel legatum pium Missarum.

32. De Capellania loquitur *c. XI. h. t.* Ex hoc capite inferunt doctores Capellanum, qui ex lege fundationis tenetur per seipsum missam quotidianam celebrare, posse licite prætermittere aliquando celebrationem Missæ, tum ob causam infirmitatis, tum ob causam honestatis et debitæ devotionis, et nihilominus percipere posse fructus capellaniæ. At si notabili tempore Capellanus ob infirmitatem impediatur a celebratione Missæ alium sacerdotem subrogare tenetur, qui oneri celebrandi missam satisfaciat. Porro varia est doctorum sententia quoad determinationem temporis intra quod Capellanus infirmus non tenetur alium loco sui substituere ad Missas celebrandas. S. Cong. Concilii in causa *Romana celebrationis Missar. 4. Junii 1689.* et *17. Nov. 1695* tenuit ad quindecim dies non teneri capellanum infirmum, neque per se, neque per alium missas celebrare.

33. Præter infirmitatem in *cap. XI. h. t.* consideratur 1°. causa honestatis seu mala dispositio animæ præsertim ob peccati mortalis conscientiam et 2°. causa devotionis. Magnæ notæ doctores tradunt, ex alterutra ex hisce causis posse sacerdotem interrumpere missæ applicationem Capellaniæ quotidianæ, semel solummodo in mense. Sacra vero Congregatio *diei 18. Sept. ann. 1680* propositis dubiis '1°. an Sacerdotes obligati ratione beneficii, Capellaniæ, legati pii, aut stipendii celebrare quotidie Missam per seipsos, possint

aliquando a Missa vacare,' '2°. quando et quoties a dicta celebratione vacare possint,' ad 1um et 2um respondit affirmative, concurrente aliqua rationabili causa. — Ceterum si sacerdos esset ordinatus ad titulum Capellaniæ, et ob infirmitatem redderetur impotens ad Missam celebrandam, simulque non haberet aliunde unde viveret, durante impotentia non teneretur nec per alium ad Missæ celebrationem. S. Congr. Conc. *in Pistoriens. 5. Febr. 1650* et *in Patavina 24. April. 1655.*

34. *Præstimonium* seu portio præstimonialis est stipendium determinatum ex reditibus ecclesiasticis deductum, alicui clerico concessum in subsidium vitæ præsertim cum studiis vacat. Præstimonia solent concedi ad tempus, durante scilicet ratione concessionis. Hinc vera beneficia non sunt; præsertim quia præstimonia secumferre non solent aliquod servitium Ecclesiæ.

Verum quandoque præstimonia conceduntur in perpetuum seu in titulum proprium et ipsis adnectitur onus recitandi horas canonicas. Qua in specie præstimonia induunt indolem propriedicti beneficii ecclesiastici, et hoc in sensu accepta a Bonifacio VIII. appellantur Beneficia in *c. ult. de Concess. Præb. in 6°*.

35. *Pensio* est 'certa portio fructuum ab aliquo beneficio aut mensa episcopali vel abbatiali ab auctoritate legitima ad tempus et non in perpetuum separata'. Quæritur, utrum pensio sit beneficium? Nullum dubium est si agatur de pensionibus quæ laicis dantur ob civile officium vel laicalem laborem uti est ex. gr. pensio adsignata procuratori, pensio adsignata ædituo etc., quæ pensiones dicuntur laicales. Hæ videlicet pensiones nullo modo qualitatem et nomen beneficii sibi vindicant.

36. Quod si sermo sit de pensionibus, quæ clericis conferuntur in titulum vel ad vitam clerici, pensiones hujusmodi in favorabilibus, non vero in odiosis æquiparantur beneficiis et veniunt sub nomine beneficii quemadmodum declaravit Greg. XIII. *die 18. Decemb. 1576* et *die 8. Aug. 1577.* Ex qua declaratione patet, pensionem non esse revera proprie dictum beneficium ecclesiasticum, nec incidere sub dispositionem Tridentini *in sess. 23. c. 6. de Ref.* quæ cavet ne beneficium ecclesiasticum concedatur clerico ante annum decimum quartum ætatis.

37. Hac vero in re notandum est, clerico pensionem percipienti inesse onus recitationis officii parvi B. Mariæ Virg.; quod nisi fecerit, subjicitur eisdem pœnis, quibus subest clericus beneficiatus

non recitans breviarium. Id patet ex *Const. 135. S. Pii V.* quæ incipit *In proximo.* Ad hanc vero recitationem officii parvi non tenetur clericus pensionis possessor si ex alio titulo teneatur ad recitationem breviarii ex. gr. eo quod jam fuerit in sacris ordinibus constitutus.

De erectione Beneficiorum ecclesiasticorum.

38. Eriguntur beneficia ecclesiastica cum formaliter acceptatur a Curia ecclesiastica, et erigitur in titulum canonicum pia voluntas institutoris designantis conditiones servandas in beneficio, et bona seu reditus in dotem beneficii ipsius. Porro formalis hæc acceptatio et erectio perficitur per decretum quo auctoritate ordinaria episcopus constituit aliquod determinatum officium sacrum servatis conditionibus a pio institutore designatis, eique in perpetuum adjungit titulo dotationis bona designata ab eodem pio institutore. Formulæ autem pro variis fundationibus legi possunt penes *Monacelli in opere Formularium legale practicum fori Eccl. t. 2.*

39. Potest autem institutor in limine fundationis adjicere quascumque conditiones, seu leges, dummodo possibiles fuerint et honestæ, et dummodo ab auctoritate Ecclesiastica acceptentur. Id deducitur ex *c. 11. h. t.*, expressius docent *cap. 23. De Jure patr.* et *c. 16. De censibus.* Servandæ vero sunt conditiones hujusmodi adjectæ, ita ut si collatio fiat, neglectis conditionibus in fundatione appositis, nulla censeatur. Ita constituit Concilium Tridentinum in *sess. 25. c. 5. de Ref.* Hæc dispositio Tridentina ex interpretatione S. Congregationis Concilii ab auctoribus relata constituit legem canonicam universalem. Hinc conditiones adjectæ in limine fundationis pertinent ad ipsam idoneitatem clerici promovendi ad beneficium, ita ut idoneus non sit ad beneficium assequendum quicumque qualitates ab institutore adsignatas non præseferat.

40. Hinc etiam qualitates seu conditiones appositas in fundatione immutare nequeunt sive patronus, sive successor, aut hæres fundatoris etiam cum consensu Episcopi, ceu etiam S. Congregatio Concilii pluries tenuit, prout patet ex relationibus relatis a Pyrro Corrado *Praxis Beneficior. l. 1. c. 10. n. 145.* et a Fagnano *comm. ad cap. Conquerente 6°. de Clericis non resid. n. 22.* Ratio est; quia posita fundatione beneficii, intrat lex tridentina de obligatione observandi dispositiones in limine fundationis positas. Nec iisdem conditionibus censetur derogari per clausulas derogatorias descri-

ptas in literis Apostolicis, nisi expressa mentio de illis conditionibus fiat. — Porro conditiones hujusmodi valent et servandæ sunt non solum si sint præter jus ex. gr. si beneficio simplici assequendo adjicitur qualitas ut clericus sit sacerdos, doctor etc. sed etiam si sint contra jus, ex. gr. si collatio, aut institutio reservetur clericis alicujus familiæ. Conditiones vero debent esse possibiles et honestæ. Honestas vero excludit non solum quidquid bonis moribus et virtutibus moralibus adversatur sed etiam quidquid redderet cultum et officium ecclesiasticum minus utile vel minus honorabile. Quare inhonestæ in sensu canonico sunt etiam conditiones, quæ ad ordinum ecclesiasticorum officia vocarent irregulares.

De Collatione Beneficiorum.

41. De divisione beneficiorum ex modo provisionis agentes, vidimus, alia esse beneficia electiva, alia patronata, alia vero collativa. Priorum beneficiorum provisio efficitur, prævia electione vel postulatione, de quibus agitur in titulis 5°. et 6°. lib. I.

42. Secundi generis beneficiorum provisio fit per præsentationem factam a patrono et consequentem institutionem dandam a Superiore, de quibus sermo erit in titulis 7. et 38. hujus libri. Remanet ergo in titulo nostro agendum de provisione beneficiorum collativorum, quæ proprie dicta *collatio* nuncupatur. Collatio definiri potest:

43. Provisio beneficii vacantis favore clerici idonei facta pleno et proprio jure a Superiore ecclesiastico habente potestatem. Differentia specifica hujus provisionis ab aliis modis provisionis in eo consistit, ut fiat a superiore seu a prælato ex proprio et solo jure prælati seu absque electione vel præsentatione per alios facta. Ex definitione sequitur, solummodo personam ecclesiasticam posse conferre beneficia. Hinc laici beneficia conferre nequeunt. Et quidem hoc jus conferendi neque acquirere possunt laici ex consuetudine aut præscriptione *c. 51. De Elect. et c. 5. de Jure patr.* At laici aliquod beneficium conferre possunt ex privilegio apostolico.

44. His positis, quæritur: Quinam est legitimus beneficiorum collator? 1°. Confert beneficia in universa Ecclesia Romanus Pontifex. 2°. Ordinarius collator pro sua diœcesi est Episcopus. 3°. Ex particulari titulo beneficia conferunt etiam alii clerici. — Primo loco Romanus Pontifex potest conferre beneficia in universa Ecclesia. Nam quemadmodum ipse potestatem habet in omnes fideles,

ita etiam disponere potest de bonis et juribus ecclesiasticis *cap. 2. de præb. in 6°. et Clem. 1ª. circa finem Ut lite pendente.*

45. Distinguuntur vero a Canonistis quatuor modi, quibus Romanus Pontifex in aliis diœcesibus extra romanam diœcesim confert beneficia: 1°. jure præventionis, 2°. jure concursus, 3°. jure devolutionis, 4°. jure reservationis et affectionis. Et primo quidem jure præventionis confert beneficia R. Pontifex, cum collatorem ordinarium prævenit disponens de aliquo beneficio pro tempore quo vacabit. Hoc jus exercet R. Pontifex 1°. cum alicui concedit gratiam expectativam ad assequendum beneficium proxime vacaturum; *ex cap. 2. de præb. in 6.* 2°. Alicui concedens coadjutoriam cum futura successione in aliquo peculiari beneficio. Merito autem hoc jus dicitur præventionis; quia revera prævenit auctoritatem ordinarii collatoris. Etenim in jure canonico regula generalis est, ut ab ordinariis locorum beneficia solummodo vacantia conferantur. Hinc in *c. 19. sess. 24. de Ref.* in Tridentino interdicuntur gratiæ seu literæ expectativæ et *c. 7. sess. 25. de Ref.* prohibentur coadjutoriæ. Solus ergo R. Pontifex, qui est supra jus commune, concedere potest jus ad beneficium nondum vacans quemadmodum videre est in *c. 14. h. t. in 6°.*

46. 2°. Jure concursus confert R. Pontifex beneficium, cum concurrit cum alio ordinario collatore; scilicet cum confert beneficium vacans, quod proprio jure possit ab alio conferri. Hoc in casu juxta *c. 31. de Præb. in 6°.* datur locus præventioni, ut scilicet juxta regulam juris *54. in 6°. Qui prior in tempore, potior jure,* ille clericus prævaleat in jure, cui prius fuit collatum beneficium. Quod si definiri nequeat an prior R. Pontifex, vel inferior collator beneficium contulerit, quia eadem die utraque collatio facta est, præferendus est qui possidet; quod si neuter possideat præfertur ille, qui beneficium a R. Pontifice accepit; ita in cit. *c. 31. de præb. in 6°.*

47. 3°. *Jure Devolutionis* confert Romanus Pontifex beneficium ecclesiasticum 1°. si inferiores collatores negligentes fuerint in collatione, seu beneficium vacans non contulerint intra tempus statutum a jure *c. 8. de Const.* Recolendum enim est, sacros canones designasse tempus ad collationem beneficiorum utile. Pro beneficiis majoribus statutum est in decretalibus et præcise in *c. 41. de Elect.* ea non debere vacare ultra trimestre. Pro inferioribus beneficiis vero semestre utile ad conferendum adsignatum est *c. 2. de*

Concessione Præb. et c. 5. ejusdem tit. Negligentibus primis et ordinariis collatoribus, jus conferendi ad superiorem immediatum devolvitur, ac tandem ad R. Pontificem. 2° jure devolutionis majorum beneficiorum collatio transibat ad R. Pontificem immediate, si in electione spreta fuisset forma canonica, vel a majori parte Capituli electus fuisset scienter indignus, aliis Canonicis non contradicentibus *c. 18. de Elect. in 6.* Hæc vero quoad beneficia majora fere omnia immutata sunt postquam eadem reservata fuerunt Romano Pontifici.

48. 4°. *Jure reservationis* confert Romanus Pontifex beneficia. Reservatio definitur 'Avocatio beneficii vacaturi a collatore ordinario ad superiorem, qui potestatem habet ad id jure agendum'. Hodie jus hoc sibi reservandi collationem alicujus beneficii est proprium solius Romani Pontificis, dum jure decretalium etiam Legatus a latere in provincia suæ delegationis poterat sibi reservare collationem aliquorum beneficiorum *c. 3. De Officio Legati in 6°.*

49. Ratio vero cur in praxi introductum fuit et servatur jus reservationis aliquorum beneficiorum Romano Pontifici multiplex est. Supposito enim quod Romanus Pontifex censetur in jure ceu supremus administrator et distributor bonorum ecclesiasticorum *cit. Cl. 1. ut lite pendente,* congruum visum est reservari Romano Pontifici provisionem aliquorum beneficiorum 1°. ut ea conferat Clericis de Ecclesia universali optime meritis *Gloss. in Extrav. un. h. t. inter Joanneas et reservamus,* 2°. ut major conservetur unio et dependentia personarum ecclesiasticarum a centro unitatis catholicæ seu a R. Sede *can. 21. caus. 9. quæst. 3.* Reservare autem potest sibi Pontifex beneficia reservatione generali, vel speciali; reservatione generali quidem, cum sibi reservat in communi plura beneficia, speciali autem cum certum aliquod beneficium sibi reservat. Sub generali reservatione non veniunt quædam beneficia, nisi de ipsis specialis mentio fiat. Sunt vero hæc beneficia præsertim 1°. ea quæ perpetua non sunt relate ad possessorem, sed revocabilia sunt, et ad nutum conferuntur, idest beneficia manualia, 2°. Beneficia jurispatronatus laicorum. 3°. Beneficia quæ a reservationibus excluduntur in particularibus regnorum concordatis cum Sede Apostolica.

50. Alia distinctio est inter reservationem, quæ per bullas seu constitutiones perpetuas efficitur, et eam, quæ in regulis Cancellariæ Apostolicæ describitur. Prior reservatio perpetuo durat, seu

quoadusque non fuerit per aliam constitutionem Pontificis abrogata. Secunda viget solummodo vivente Pontifice, scilicet sede plena. Nam moriente Pontifice, Regulæ Cancellariæ amittunt vim suam et eam recipiunt iterum quando a novo Pontifice confirmantur. Quare ordinarius collator sede vacante potest conferre beneficia reservata in Regulis Cancellariæ Apostolicæ. Qua in re animadvertendum est, nonnullas reservationes haberi in Regulis et simul in constitutionibus generalibus et bullis. Hæ reservationes non suspenduntur sed vigent etiam tempore sedis vacantis.

51. Prioris generis plures dantur reservationes: 1°. reservantur beneficia, quæ vacant in Curia Pontificis *c. 2. h. t. in 6°.* Censentur autem vacare in Curia 1°. beneficia Officialium Romanæ Curiæ idest officialium familiarium Papæ et Cardinalium; 2°. beneficia clericorum, qui ratione ecclesiasticorum negotiorum venientes ad Curiam Romani Pontificis vel in loco ubi residet Curia moriuntur, vel in locis vicinis. Loca autem vicina sunt, quæ a Curia non distant ultra duas dietas legales, idest non 40 milliaria italica. *c. 34. h. t. in 6°.* Dieta legalis complectitur spatium seu distantiam, quam quis una die percurrere commode posse præsumitur, idest viginti milliaria, scilicet circiter septem leucas. *L. Si quis et L. Vicena millia ff. de Verbor. Signif.* Hæc vero reservatio perpetua non est, sed post mensem computandum a die vacationis, non autem a die notitiæ vacationis, potest beneficium adhuc vacans conferri ab ordinario collatore; *c. 3. h. t. in 6°.* — 2°. Reservatur S. Sedi beneficium collatum per Simoniam confidentialem *Const. 85. Pii IV. Romanum Pontificem.* Quam constitutionem confirmans S. Pius V. in *Const. Intolerabilis* extendit ad omnia beneficia, quæ possidebat confidentiarius. 3°. Reservantur beneficia, quæ fuerint collata non servata forma Tridentini. *Const. 33. S. Pii V. In conferendis.* 4°. Beneficia vacantia propter crimen hæresis. Ita in *Const. 29. S. Pii V. Cum ex apostolatus.* Dantur præterea reservationes, quæ in Regulis Cancellariæ Apostolicæ continentur. Porro Regulæ istæ a Cancellaria Apostolica appellantur, non quia solos officiales illius Cancellariæ obligant, sed quia respiciunt præsertim expeditiones literarum apostolicarum per ipsam Cancellariam in conferendis beneficiis faciendas. Regulæ autem hujusmodi nihil aliud sunt quam quædam constitutiones quas singuli Pontifices a principio sui Pontificatus facere consueverunt post Joannem XXII., qui prior fuisse videtur earundem auctor. Hæ regulæ solent esse

72. Regulas Cancellariæ interpretatur præsertim Riganti Joannes Baptista, cujus opus in re canonica est maxime utile.

52. Inter alias speciali declaratione indiget Regula 9. quæ de mensibus papalibus, et de mensibus episcopalibus est. Vi regulæ hujusmodi reservantur R. Pontifici beneficia aliunde etiam non reservata, quæ extra Curiam non quidem per renunciationem, sed aliis modis vacaverint in mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris. Possunt vero Episcopi exposcere in scriptis et assequi a Dataria Apostolica alternos menses, ita scilicet ut Pontifex conferat beneficia vacantia mense Januario, Episcopus vero conferre possit beneficia aliunde non reservata, quæ vacent mense Februario ac sic deinceps quoad alios menses. Menses in quibus confert Papa appellantur menses papales, menses autem reliqui dicuntur episcopales. Hæc regula observatur in Dataria Apostolica pro locis in quibus conventiones, vulgo concordata cum civili auctoritate inita non fuerint. Ubi enim adsit concordatum normæ concordati ipsius observantur.

53. Notandum autem est S. R. E. Cardinalibus in eorum creationi concedi solere per Litteras Apostolicas in forma *Brevis* indultum conferendi Beneficia ad eos pertinentia quocunque mense vacaverint dummodo non sint aliunde reservata. Unde Cardinales non Episcopi Romæ in suis Titulis et Cardinales Episcopi in suis diœcesibus non tenentur observare legem Regulæ IX. Cancellariæ Apostolicæ de mensibus papalibus. At si beneficium vacet in mense papali et ejus reditus excedant annua viginti quatuor ducata auri de Camera, illud quidem confert Cardinalis, sed provisio expediri debet per literas apostolicas in Cancellaria R. Pontificis. *Riganti ad Reg. IX. Canc. Apost. § 3. n. 153.*

De affectione Beneficiorum.

54. Si Romanus Pontifex manus apposuerit in aliquo beneficio cum intentione de eodem disponendi, beneficium illud dicitur affectum, et ob reverentiam Sedi Apostolicæ debitam, collator ordinarius censetur impeditus quominus pro ea vice beneficium conferat. Affectio igitur relationem dicit ad reservationem quia pro ea vice collatio beneficii reservatur Romano Pontifici.

55. Differt vero affectio a reservatione, tum quia reservatio procedit ex bulla, vel ex Regula Cancellariæ, affectio autem procedit seu inducitur ex facto appositionis manus Pontificis, tum quia

reservatio in genere respicit beneficium in omnibus collationibus, affectio autem pro ea tantum vice in qua manus apposita est. Ut autem verificetur affectio, debet Pontifex apponere manus in ordine ad collationem; scilicet debet manifestare intentionem disponendi de Beneficii collatione. Casus affectionis esset si beneficium vacans Pontifex conferret in Commendam, vel in administrationem. Cessante commenda vel administratione, collatio spectat ad Romanum Pontificem. Pariter affectum redditur beneficium ex mandato de providendo, quod concedatur pro aliquo speciali beneficio nondum vacante. Sic etiam si Pontifex exquirat ab alio renunciationem beneficii in propriis manibus, aut aliquem privet beneficio quod possidet. Hinc ex. gr. affectum non redditur beneficium si Pontifex tantummodo pensionem imponat; sic pariter si disponat de beneficio per errorem, reputans illud esse sibi reservatum.

De aliis Collatoribus.

56. In diœcesi ordinarius collator beneficiorum est Episcopus, qui habet hac in re fundatam intentionem in jure, ita videlicet ut nemo alius possit sibi vindicare collationem, nisi probaverit titulum specialem ex quo sibi competat hæc collatio. Tituli autem hujusmodi sunt: 1°. privilegium Pontificis, 2°. lex in tabulis fundationis expressa, 3°. præscriptio seu consuetudo vel centenaria vel immemorialis. Quid vero dicendum de potestate capituli Cathedralis Ecclesiæ sede vacante?

57. Capitulum et ejus Vicarius non potest sede vacante conferre beneficia liberæ collationis, quorum collatio spectat exclusive ad Episcopum *c. 2. Ne Sede vacante.* Nam collatio hujusmodi non est actus necessariæ administrationis, quæ capitulo ejusque vicario competit, sed liberalitatis *c. 9. h. t.* In genere autem actus liberalitatis reservantur tantum Episcopo *c. 4. de Off. ord. et c. 40. de Elect.* Dicitur vero quorum collatio pertinet ad solum Episcopum.

58. Nam si collatio beneficii communiter pertineret ad Episcopum simul et ad Capitulum, hoc in casu, sede vacante ex jure non decrescendi, conferre illud posset Capitulum *c. un. Ne sede vacante in 6°.* Hæc vero regula locum non habet quando Episcopus est qui confert, sed exquirere debet consilium vel etiam assensum capituli; quemadmodum docet idem *c. un. Ne Sede vacante*

§ *Cum vero in* 6°. Item capitulum non potest conferre beneficia, quæ ex negligentia inferioris collatoris devolvuntur ad Episcopum. Hæc enim beneficia incidunt sub regulam expressam in *c. 3. Ne sede vacante et in cap. un. ejusd. tit. in* 6°. videlicet capitulum non posse conferre beneficia quorum collatio pertinet ad Episcopum. Potest autem capitulum sede vacante vel confirmare electionem in beneficiis electivis diœceseos vel instituere in beneficium clericum idoneum præsentatum a patrono. Collationes enim hujusmodi non censentur esse actus liberalitatis, sed necessitatis. Nam confirmatio et institutio sunt actus debiti erga determinatas personas, si personæ hujusmodi necnon electio vel præsentatio qualitatibus canonicis munitæ sint. *Conf. c. 14. de Majoritate et Ob.* necnon *c. 3. de Elect. et Elect. pot.*

De regulis collationis.

59. 1ª. Regula est, ut quævis collatio fiat, nullo intercedente pretio seu mercede temporali pro jure beneficii quod conceditur; secus enim collatio tamquam simoniaca nulla est. *Extr. Cum detestabile de simonia inter comm.* Huic regulæ similis est 2ª. ut nempe non adjiciatur privata auctoritate pactum seu conditio in ordine ad aliquod onus spirituale alienum a beneficio, et noviter inducendum: ex. gr. ut Missa celebretur a novo Beneficiario quadam hora determinata; sed pure conferri beneficium debet. *Pactio enim,* ut docet *c. 5. de Rer. permut., circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet Simoniæ.* Collatio insuper 3°. veri et proprie dicti beneficii debet fieri in perpetuum, seu ut duret ad vitam Clerici, nec simul duobus clericis fieri potest vel ut eodem tempore uterque possideat beneficium, vel ut successive unus possideat post alium *c. 20. h. t.* — 4ª Regula est, ut collatio fiat intra tempus utile statutum a jure. Pro beneficiis majoribus, uti vidimus, tempus utile est trimestre. Pro aliis et communibus beneficiis, etiam dignitatibus concessum est a jure semestre ab habita notitia vacationis. Tempus enim ignoranti non currit *c. 41. de Elect. et capp. 2. et 5. de Concess. Præb.* 5ª. Regula est, ut servetur in collatione forma in jure communi vel in statutis Ecclesiæ particularis ubi erectum est beneficium, vel in lege fundationis præscripta, vel etiam a legitima consuetudine inducta.

60. De forma a jure communi præscripta agentes, loqui præsertim debemus de forma concursus quam servandam esse præ-

cipit Trid. Concilium in collatione beneficiorum, quibus cura animarum adnexa est. De hac re loquitur Tridentinum in *c. 18. sess. 24. de Ref.* Statuit nempe Concilium, ut statim ac Episcopus habuerit notitiam vacationis Ecclesiæ, constituat in Ecclesia vacante seu in Parœcia idoneum Vicarium, cui ex præbenda parochiali adsignet portionem fructuum pro congrua vitæ sustentatione, et deinde, intimato per edictum concursu, deveniatur ad examen. Cum vero Tridentinum formam examinis non determinaverit, eam præfiniverunt literæ Encyclicæ *Clementis XI. diei 10. Januarii 1721* et Constitutio Benedicti XIV. *Cum illud diei 14. Dec. 1742.* in qua Pontifex inserit easdem literas Clementis XI. Ex quibus locis juris deducimus, provisionem parœciarum ita procedere debere ut 1°. intimetur concursus et præfigatur terminus intra quem Cancellario Episcopi vel alteri ad hoc determinato a singulis concurrentibus exhibeantur propria requisita. Horum requisitorum rationem habere debent examinatores ita ut non solum de scientia, sed etiam de vita et moribus et de personalibus qualitatibus judicium ferre debeant. 2°. Concurrentes clausi omnes in eodem conclavi tempore congruo et determinato, latino idiomate utentes respondere debent in scriptis quæstionibus aliquibus moralibus propositis sub forma casuum seu specierum concretarum et conscribere etiam in lingua vernacula debent brevem orationem in themate quod proponitur. Quæ omnia scripta, ad authenticitatem probandam in casu litis, subscribuntur ab Episcopo vel ejus Vicario et ab examinatoribus et Cancellario concursus. 3°. Debent examinatores æquo judicio librare responsiones a concurrentibus scripto datas ad quæstiones propositas, nec non brevem orationem in lingua vernacula conscriptam. Tandem perscrutari debent et expendere requisita, et qualitates singulorum concurrentium. Hisce omnibus conjunctim rite perpensis; idoneos clericos Episcopo designare debent, Episcopus vero Parœciam conferat clerico, qui sibi visus fuerit magis idoneus magisque dignus inter approbatos ab examinatoribus. 4°. Concursus etiam est intimandus ab Episcopo quando collatio Parœciæ reservata est Romano Pontifici.

61. Quod si collatio pertineat ad Romanum Pontificem eo quod vacaverit in mensibus reservatis Episcopus eligere debet magis idoneum et eum præsentare Datariæ apostolicæ, quin mittat acta concursus, nisi requirantur. Quod si reservatio ex alio capite procedat, hoc in casu Episcopus transmittere debet simpliciter acta

concursus ad Datariam quæ per seipsam videbit cuinam conferendum sit beneficium curatum.

62. Quædam quæstiones modo proponendæ sunt. 1°. Examinatores saltem esse debent tres, secus collatio nulla censetur ex tridentina dispositione. Debent vero ferre suffragium antequam a loco examinis recedant. Quæritur vero 1°. an Episcopus, vel ejus Vicarius possint ferre votum decisivum simul cum examinatoribus. Et placuit in genere nullam partem esse Episcopo aut ejus Vicario, si examini assistant, et solummodo ferre posse suffragium decisivum quando vota examinatorum sunt vel paria hinc inde divisa, vel sint singularia, ita scilicet ut quisque examinator non conveniat cum aliis. Hoc nempe duplici in casu antequam recedunt a loco examinis, potest Episcopus vel ejus Vicarius suffragio suo accedere alicui vel aliquibus examinatoribus. Ita respondisse S. Congregationem Concilii anno 1573 refertur in libro decretor. p. 158 juxta mentem Tridentini in loco citato.

63. 2° Quæstio. Examinatoribus competit onus examinis non solum scientiæ sed etiam morum, prudentiæ, ætatis, laborum pro Ecclesia præstitorum et in genere judicare debent circa qualitates et dotes requisitas pro Parochis ad curam animarum rite gerendam. Ita S. Congregatio *in Urbinat. ann. 1601* et *Hydruntina 19. Junii 1638.* Quæ omnia nisi examinatores præstiterint, nullus est concursus et nulla est collatio beneficii parochialis, quemadmodum resolvit S. Congr. Concilii *die 2. Augusti 1607.*

64. Quibus positis quæritur an ad eosdem examinatores pertineat designare quinam sit magis idoneus inter concurrentes cui juxta Tridentinum conferatur Parœcia vacans? Dicendum est judicio Episcopi reservari electionem dignioris inter eos, quos examinatores, omnibus perpensis, idoneos judicaverint. Verba satis clara sunt Concilii in cit. *c. 18.* 'Ex hisque', ajunt Patres Tridentini, 'idest ex approbatis, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit'. Et interrogata hac super re S. Congregatio ab Episcopo Patavino anno 1573, expresse respondit, judicium ad determinandum magis idoneum proprium non esse examinatorum, sed Episcopi ipsius. Quam sententiam secutus est Benedictus XIV. in citata constitutione *Cum illud* § *Absoluto examine.* Poterit ergo Episcopus, si velit, exquirere consilium examinatorum ad magis idoneum determinandum, at non tenebitur illud amplecti.

65. 3°. Quæstio. Quid dicendum, si emisso ab Episcopo decreto, quo digniorem designavit, enascatur quæstio, et quidam ex concurrentibus, ratus se spretum fuisse, et postpositum electo minus digno, proponat appellationem, vel a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili judicio Episcopi? Appellatio hæc servatur in devolutivo et non in suspensivo. Appellatio vero intra decem dies a die collationis beneficii numerandos proponi potest vel coram Metropolitano, vel si eligens fuerit ipse Metropolitanus aut exemptus, coram viciniore Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato, vel alias directe coram ipsa S. Sede.

66. In Const. 33. S. Pii V. statutum erat ut coram judice appellationis novum examen seu concursus fieret. At hæc dispositio correcta est a Benedicto XIV. in cit. Const. *Cum illud* in qua Pontifex decernit coram judice appellationis producenda esse acta integra concursus jam habiti, ita ut judicium in gradu appellationis ferendum sit super iisdem actis, nec concurrentibus liceat alia documenta seu requisita producere. Hæc autem mutatio facta est ad præcavendos abusus, qui irrepserant. Namque non semel contigit, ut qui in primo concursu rejecti fuerant, vel minora suffragia retulerant, se melius ad novum examen subeundum disponerent et præpararent simulque nova documenta expiscarent, atque ita meliorem in secundo examine exitum obtinentes eluderent malum exitum prioris concursus.

67. Porro si ab examine actorum sequatur sententia conformis in gradu appellationis judicio episcopali, hoc in casu judicium hujusmodi transit in rem judicatam, et redditur legitima collatio parœciæ facta ab Episcopo. Quod si difformis sententia fuerit in gradu appellationis, judex tertiæ instantiæ videbit causam, et ex ejus sententia habebitur res judicata vel quoad decretum episcopale vel quoad sententiam in primo gradu appellationis, prout sententia tertii gradus alterutri fuerit conformis. Ille proinde obtinebit parœciam qui binas habuerit sententias conformes. Si autem appellatio immediate fiat ad S. Sedem hujus judicio standum erit. —

68. Quæritur an et qua forma conferatur beneficium curatum non liberæ collationis.

Si Beneficium curatum sit juris patronatus ecclesiastici, hoc in casu intimandus et conficiendus est concursus eademque ratione complendus qua conficitur pro beneficiis parochialibus liberæ collationis, et in eo differentia est, ut completo examine non Episcopus

sed patronus eligat digniorem inter approbatos et illum præsentet Episcopo ut concedat eidem institutionem canonicam in beneficio. Quod vero electio dignioris non ad examinatores, sed ad patronum pertineat, præter verba Tridentini *in cit. c. 18. sess. 24. de Ref.* quæ satis clara sunt, habemus resolutiones S. Congr. Concilii hoc ipsum declarantis. Sic in causa *Barchinonensi an. 1573.*

69. At si Beneficium curatum sit juris patronatus ecclesiastici et ejus institutio non ad Episcopum, sed vel ad ipsum Romanum Pontificem pertineat vel ad alium: in utroque casu ex dispositione Concilii Tridentini electio dignioris præ aliis perficienda erit ab Episcopo et Patronus præsentabit illum, quem Episcopus elegit. *cit. sess. 24. c. 18. de Ref.*

70. Quod si vero jus patronatus sit laicale, ex hoc *cap. 18.* nec concursus, nec electio dignioris locum habet, sed patronus præsentat Episcopo personam quæ ab examinatoribus synodalibus specimini subjicietur, ut ejus capacitas et idoneitas appareat. Potest vero aliquando locum habere examen per concursum in collatione parœciæ jurispatronatus laicalis. Id autem contingit, cum plures et distincti sint patroni, et distinctas personas præsentent.

71. Quid vero dicendum de collatione Beneficii curati jurispatronatus mixti? Quæstio erat, sed S. Congr. die 5. Febr. 1620 decrevit, collationem hanc non subjici legi examinis per concursum, sed sufficere examen idoneitatis personæ, quæ a patrono vel patronis fuerit præsentata. —

72. Præter beneficia patronata laicalia et mixta adsunt etiam et alia beneficia curata quæ eximuntur a lege examinis per concursum. Plures adnumerantur casus ab auctoribus et videri possunt penes Barbosam in tract. *de officio et potest. Episcopi alleg. 6°. partis III. n. 18. et seqq.* Præcipui vero sunt 1°. Cum cura animarum adnexa est monasterio regularium, quo in casu monasterium præsentat Episcopo religiosum virum, quem idoneum in examine repertum, Episcopus instituit. *Const. 47. S. Pii V. Ad exequendum § 4. et 5.* 2°. Sine concursu conferri poterit parochialis Ecclesia, si ita Episcopus, audito prius examinatorum consilio, judicaverit, 1°. quando adeo sint exigui reditus parœciæ, ut totius hujus examinationis operam non ferant, unde prævideat Episcopus nullum fore qui examini per concursum sese subjiciat. Ita Conc. Tridentinum in citato *cap. 18. sess. 24.* Talem esse parœciam, cujus reditus minores sunt 24 ducatis annuis de Ca-

mera, docet Barbosa in Comm. ad *cap. 18. sess. 24. de Ref. in Trid.* 3°. Cum prævideantur rixæ et contentiones in concursu: ita *Trid. loco cit.* 4°. Quando de facto nullus comparuit qui subire voluerit examen per concursum. Hoc in casu vero, ceu resolutum a S. Congregatione Concilii fuisse refert Garcias *de Beneficiis p. 4. c. 2. n. 218.*, novum experimentum faciendum est, et Episcopus novum edictum publicare debet, definiendo tempus utile et peremtorium ad subeundum examen. Quod si nemo hac secunda vice comparuerit, poterit Episcopus parœciam conferre absque concursu. In hisce tribus posterioribus casibus juxta Tridentinum in citato loco Episcopus pro sua conscientia et de examinatorum consilio, omisso concursu, poterit adhibere privatum examen personæ quam intendit parœciæ præficere.

73. Adnotanda vero sunt verba Tridentini in hoc eod. *cap. 18.* ubi post latam legem concursus et exceptiones decernit, 'alias provisiones seu institutiones præter supradictam formam factas subreptitias censeri, non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus . . . et aliis impedimentis quibuscumque'. Plura sunt in decreto explicanda: 1°. Decernit Concilium provisiones alias præter exceptas, si fiant absque concursu, habendas esse ceu subreptitias. In hac dispositione respicit præsertim concessiones beneficiorum curatorum factas a Sede Apostolica. Qua in specie hic est sensus verborum Tridentini, ut videlicet, si in rescripto et in Bulla provisionis beneficii mentio non fiat derogationis et dispensationis a lege examinis per concursum, rescriptum et provisio non valeat, quia præsumitur Romanum Pontificem ignorasse beneficium a se concessum exigere examen per concursum.

74. 2°. 'Non obstantibus indultis et privilegiis'. Quibus verbis Tridentinum abrogavit omnia privilegia et indulta præcedentia. Hinc ad excludendam legem examinis per concursum afferri nequeunt privilegia, et indulta concessa ante Tridentinum Concilium. At hoc ipso non prohibuit Concilium, quominus Romanus Pontifex privilegia concedat exemptionis a lege concursus, ceu fecit S. Pius V. quoad parœcias unitas monasteriis et præsertim mendicantium in citata Const. *Ad exequendum § 5.*

75. 3°. 'Non obstantibus impedimentis quibuscumque'. Quibus verbis Concilium abolevit quascumque consuetudines præcedentes. At non ideo excluditur, posse introduci novas consuetudines de-

creto conciliari contrarias. Nam contra leges generales Conciliorum legitima exsurgere potest consuetudo. Jam vero quod possit dari consuetudo legitima contra dictum decretum eruitur ex modo loquendi ipsius Concilii. Nam licet intentionem propriam Patres manifestent, et inculcent, ut servetur forma concursus, rejiciantque provisiones aliter factas nec privilegia et quodcumque impedimentum non attendant; tamen contrariam consuetudinem neque vocant corruptelam, nec expresse prohibent, quominus introducatur. Alterutrum vero facere debuissent, ut in sensu canonum futuram interdicerent consuetudinem. Dicimus ergo contra decretum Tridentinum posse constitui consuetudinem saltem immemorialem vel centenariam, dummodo ex circumstantiis peculiaribus loci abusum non secumferat.

De pluralitate et incompatibilitate Beneficiorum.

76. Antiquitus omnia beneficia erant incompatibilia, idest quisque Clericus unum solummodo beneficium ecclesiasticum possidere poterat. Beneficium enim personale officium requirebat in Ecclesia proprii tituli et a qua clericus sustentabatur honeste, nec poterat aliquis in pluribus Ecclesiis beneficia possidere; in eadem vero Ecclesia absonum erat bis eundem clericum adscribi, seu bis intitulari.

77. Pluralitas ergo beneficiorum inducta est cum primum cœperunt institui beneficia insufficientia ad honestam vitæ sustentationem clerico comparandam. Et processu temporis divisa sunt beneficia in compatibilia et incompatibilia. Incompatibilia ratione officii ea habita sunt, quæ personalem residentiam requirunt; ratione vero redituum incompatibilia dicta sunt ea beneficia, quorum singula honestam exhibent unicuique clerico sustentationem.

78. Licet vero canones prohiberent pluralitatem beneficiorum, tamen agnoverunt adesse posse causas ob quas idem clericus plura beneficia adipisceretur. Hinc in *cap. 5. h. t.* interdicitur solum possessio simultanea plurium Ecclesiarum, et in *c. 28. h. t.* traditur, vacare primum beneficium curatum aut personatum per assumptionem alterius similis beneficii, et si clericus præsumpserit utrumque retinere, privandum esse etiam secundo. Nihil ergo de beneficiis inferioribus. Hinc in *c. 7. de Rescr. in 6°.* exhibetur hæc conditio: *Si talia sint beneficia quæ nequeant simul de jure*

retineri. Ex quibus verbis patet, esse posse beneficia quorum plura possint simul retineri. Idem etiam legitur in Tridentino *sess. 7. c. 4. de Ref.* ubi Concilium ait: 'Plura curata vel alias incompatibilia beneficia'. Supponit ergo dari beneficia, quæ non sunt incompatibilia. — Si quæratur autem quænam in specie fuerint, et sint beneficia incompatibilia, respondemus: Jure vetere videntur fuisse incompatibiles duas simul dignitates, duos personatus, duo officia aut duo simul beneficia curata; *capp. 13. et 28. h. t.* Hinc in *Extrav. Execrabilis 4. inter comm. h. t.* dum absolute prohibentur plures personatus, dignitates etc., clerico conceditur facultas possidendi unum beneficium duplex et aliud simplex.

79. Jure autem Tridentino habemus duplicem dispositionem, scilicet unam in *c. 2. sess. 7. de Ref.* et aliam in *c. 17. sess. 24. de Ref.* In 1° loco decernit Concilium incomposibilitatem duarum Ecclesiarum Cathedralium. In 2° vero legem constituit ut quisque clericus unum tantum beneficium possideat sufficiens ad honestam vitæ sustentationem. Quodsi beneficium, quod possidet Clericus, huic scopo non satisfaciat, concedit Concilium facultatem et aliud beneficium quod sit simplex adjungendi dummodo vero utrumque non requirat personalem residentiam. Ex quibus inferimus incompatibilitatem post Tridentinum Concilium exurgere ex onere residentiæ, ex sufficientia beneficii et ex numero beneficiorum. Hinc sunt incompatibilia in eadem persona 1° duo beneficia quando utrumque est residentiale. 2°. Quando licet non utrumque sit residentiale, tamen unum ex iis sufficiat pro honesta clerici sustentatione. Hæc vero incompatibilitas locum habet, quamvis unum beneficium detur clerico in titulum, aliud in commendam. Commenda enim hodierno jure, ut vidimus, titulo æquiparatur: quia commendatarius hodie ceu verus beneficiarius fructus beneficii commendati percipit. 3°. Si duo possideantur a Clerico beneficia quæ simul juncta non tribuant eidem necessaria ad honeste vivendum, tertium beneficium eidem non potest conferri. Nam Tridentinum concessit solummodo ut beneficio insufficienti aliud adderetur. Nec proficit Clerico conditio quod nempe tria beneficia possideat non sub eodem tecto, idest in eadem Ecclesia, nec alia conditio proficit, quod nempe beneficia sint jurispatronatus laicalis. Proposito enim dubio 'An ab Episcopo absque dispensatione apostolica possit permitti retentio trium beneficiorum simplicium de jure patronatus laicorum sub eodem tecto non existentium et quorum reditus non

sufficiant ad congruam sustentationem', S. Congregatio Concilii in causa *Cursolensi 13. Maji 1651* respondit 'Episcopum permittere non posse'. Ita etiam respondit in *Alexana 14. Nov. 1654* et in *Aquilana 14. Augusti 1632.* Conf. Bened. XIV. *Inst. Eccl. 91.*

80. Quod vero de beneficiis ecclesiasticis dictum est non potest applicari legatis piis et capellaniis de jure patronatus laicorum. Ita tenuit S. Congr. Concilii in causa *Bitectensi 6. Dec. 1721,* quæ resolutio refertur a Benedicto XIV. in cit. *Inst. 91. n. 8.* Ratio est: quia lex tridentina in casu est odiosa, ac proinde non comprehendit capellanias, quæ cum habeant nomen proprium, stricto sensu non veniunt sub appellatione beneficiorum ecclesiasticorum.

81. Quandonam autem beneficium debeat censeri sufficiens, in jure non determinatur. Hinc arbitrio prudenti judicis definiendum est, qui in hac re decernenda respicere præsertim debet ad qualitates et conditiones peculiares temporum, locorum et personarum. Variæ enim exigentiæ exurgunt pro harum conditionum varietate.

82. Quæritur quodnam sit remedium juris contra clericum habentem plura beneficia incompatibilia. In Decretalibus triplicem dispositionem habemus. Binæ dispositiones sunt Alexandri III.; prima quidem relata in *capp. 7. et 14. h. t.,* alia refertur in *c. 3. de Clericis non resid.* Tertia vero est Innoc. III. in *c. 28. h. t.* — Prima dispositio Alexandri III. refertur ad tempus anterius Conc. Lateranensi III. *a. 1079* et in eo consistit, ut Clerico possidenti duo beneficia incompatibilia daretur optio eligendi quod voluisset, altero relicto. Hæc dispositio cessasse videtur per aliam dispositionem quæ secundo loco lata fuit. Attamen DD. retinent præfatam optionem hodie etiam absolute loquendo locum habere posse, videlicet in casu quo eidem Clerico duo simul conferantur beneficia incompatibilia, et quorum simul possessionem capiat. Ratio est; quia canones loquentes de vacatione vel primi beneficii vel posterioris, loquuntur semper de successiva collatione et possessione beneficiorum, non autem de simultanea: unde hic casus simultaneæ collationis et possessionis est a sanctione canonica extraneus. Ita Fagnanus *comm. ad c. 7. h. t. Pirrhing et Reiffenstuel h. t.*

83. Secunda dispositio Alexandri III. in Conc. Lateranensi III. refertur in *c. 3. De clericis non residentibus.* Juxta hanc dispositionem, si clerico possidenti beneficium aliud beneficium incom-

patibile conferatur, collatio hujus secundi beneficii nulla est, et collator pro ea vice privatur jure collationis ejusdem beneficii.

84. Hæc dispositio cessasse dicenda est virtute novæ dispositionis Innocentii III. in Concilio Later. IV. quæ refertur in *c. 28. h. t.* quæ in eo consistit, ut, posito quod Clericus beneficium possidens aliud acceptet beneficium incompatibile, teneatur primum dimittere. Quod si contenderit in utriusque possessione remanere, utroque sit privandus. Ratio quam decreti sui affert Innocentius est, quia dispositio Conc. Later. III. ad praxim non reducebatur. Verum etiam alia ratio canonica adduci potest. In Ecclesia receptum est, ut quando Clericus optime fuerit versatus in aliquo officio, possit optare ascensum ad officium superius: unde in regimine ecclesiastico juxta sensum canonum locum habet gradualis ascensio. Jam vero dispositio Conc. Later. III. obviabat huic graduali ascensioni, nam statuebat nullius valoris esse collationem secundi beneficii incompatibilis. Porro juxta ordinarium agendi modum beneficium quod posterius conceditur, et acceptatur solet esse gradus superioris. Innocentius autem III. *c. 28. h. t.* statuit dimittendum esse anterius beneficium, quod nempe solet esse gradus inferioris et per consequens hæc dispositio magis respondet graduali ascensioni clericorum, quæ a canonibus intenditur.

85. Accedit dispositio tridentina in *capp. 2. et 4. sess. 7. de Ref.* ex qua deprehendimus vacare ipso jure prius beneficium per collationem et pacificam possessionem alterius beneficii incompatibilis. Dixi *pacificam possessionem.* Nam non sufficit simplex collatio alterius beneficii. Canones enim prohibentes pluralitatem beneficiorum, loquuntur de detentione beneficiorum. Non detinetur autem beneficium ante pacificam possessionem. Facit ad rem *c. 26. h. t. in VI.* Hæc autem dispositio tridentina non solum sese refert ad duas Ecclesias sive parochiales sive Cathedrales, ad duas dignitates, personatus, aut officia, sed etiam ad omnia beneficia incompatibilia juxta sensum ab iisdem patribus tridentinis in aliis locis expositum. Unde ex variis resolutionibus S. Congregationis Concilii relatis a Fagnano in *cap. 28. h. t. nn. 3. et 4.* vacatio beneficii prioris nedum in casu duorum beneficiorum parochialium etc. verificatur, sed etiam in casu beneficiorum simplicium sive quæ residentiam importent, sive quæ sint singula per se sufficientia.

86. Quid vero dicendum si clerico possidenti beneficium sufficiens conferatur aliud beneficium non sufficiens? Dicendum est, vacare primum beneficium, et Fagnanus *comm. in c. Jam dudum h. t. nn. 43. et 49.* refert S. Congr. Conc. pluries resolvisse in præfato sensu quæstiones. Conf. *Pirhing h. t. n. 186.* Quid vero si clerico habenti non sufficiens beneficium conferatur sufficiens? Fagnanus loco citato refert hanc quæstionem fuisse propositam in S. Congr. Conc. sed non fuisse resolutam, suffragiis Cardinalium in diversa vergentibus; ipse vero *n. 57.* et Reiffenstuel *h. t. n. 298.* tenent, non verificari in casu sanctionem tridentinam.

87. Quid si clerico possidenti duo beneficia simplicia et insufficientia, tertium beneficium conferatur? S. Congr. Conc. cujus resolutio refertur a Garcia *de benef. p. 13. c. 5. n. 310.* tenuit, collationem tertii beneficii esse validam, sed si hoc tertium beneficium fuerit sufficiens vacare duo priora, sin minus, clericum provisum teneri unum ex illis dimittere, et si continuaverit possessionem amborum, utrumque beneficium uti vacans censendum esse.

88. Concedi vero potest dispensatio a Summo Pontifice super pluralitate beneficiorum et causæ dispensationis præcipue exhibentur in *c. 28. h. t.* et *in Extr. execrabilis inter Comm. h. t.* Sunt vero 1°. necessitas; cum nempe ex defectu ministrorum uni eidem clerico duo administranda et retinenda beneficia conceduntur; 2°. evidens utilitas, cum scilicet clericus prudentia sua et auctoritate prævideatur profuturus melius fore reipublicæ christianæ, si plurium beneficiorum reditibus instruatur, et 3°. prærogativa honoris, et dignitatis et scientiæ *c. 28. h. t.* circa finem. *In Extr. 4. h. t. inter comm.* hæc prærogativa honoris et dignitatis pro assequendis pluribus beneficiis speciatim agnoscitur in S. R. E. Cardinalibus et in filiis Regum.

De unione, divisione et dismembratione Beneficiorum.

89. Unio definitur: Duorum vel plurium beneficiorum aut Ecclesiarum a legitimo superiore facta adnectio. Alia est perpetua, alia vero temporalis. Prior locum habet cum beneficium adnectitur beneficio absque respectu ad personam clerici possidentis utrumque beneficium.

90. Temporalis est unio, quando conjunguntur beneficia in persona clerici ita ut unio ad vitam ejusdem solummodo perseveret. Quamvis unio beneficiorum sit odiosa, quia mutat statum bene-

ficiorum ac proinde in dubio præsumenda esse videretur temporanea; tamen revera in dubio præsumitur perpetua. Nam unio temporalis quæ ad pluralitatem beneficiorum in eadem persona reducitur non solum est odiosa, sed etiam aliquando est contra jus, uti vidimus. Insuper quoniam unio hujusmodi in clerici commodum fiat, inducit suspicionem avaritiæ vel mali ambitus. E contra vero unio perpetua juri contraria non est, et fieri censetur in utilitatem ecclesiastici servitii *c. 3. h. t.*

91. Unio beneficiorum perpetua triplex est, scilicet vel unio tituli extinctiva vel unio minus principalis vel unio æque principalis. Prima species unionis locum obtinet cum ex duobus beneficiis fit unum ita, ut utriusque natura quodammodo pereat et in unum coalescat tertiumque novum beneficium ex unione resultet. Tertium hoc beneficium exurgens obtinet reditus et dotem utriusque extincti beneficii. Quoad vero jura privilegiorum et honorum assumet omnia quæ adhærebant extinctis beneficiis. Quod si jura hæc omnia simul componi non possint, novum beneficium obtinebit quod optimum est; idest jura meliora et favorabiliora; *can. Non est culpandus. Caus. 32. q. 1.*

92. Altera species unionis, quæ minus principaliter fieri dicitur, obtinet cum beneficium inferius vel Ecclesia inferior superiori accessorie unitur. Quo in casu Ecclesia superior appellatur Ecclesia matrix, inferior vero dicitur Ecclesia filialis vel filia. Per hanc unionem cessat titulus beneficii seu Ecclesiæ inferioris et habetur ceu pars alterius cui accessorie unitur. Hinc titulus servatur beneficii seu Ecclesiæ principalis, et beneficium seu Ecclesia unita sequitur naturam et vices beneficii seu Ecclesiæ principalis. At onera servanda sunt etiam beneficii minoris præstandumque est consuetum servitium. Si unio facta est duarum ecclesiarum parœcialium, rector Ecclesiæ matricis si per seipsum non possit, tenetur per idoneum vicarium regere Ecclesiam filialem cui non omnes hujus Ecclesiæ reditus, sed congruam portionem adsignabit. Privilegia autem et jura Ecclesiæ vel beneficii adnexi servantur in iis, in quibus non detur oppositio cum juribus et privilegiis principalis Ecclesiæ. In casu enim oppositionis prævalent jura et privilegia Ecclesiæ majoris.

93. Tertia species unionis, quæ æque principaliter facta dicitur, locum obtinet inter duo beneficia ejusdem ordinis et per eam nullo modo immutatur natura et status alterutrius beneficii. Hinc

unio hæc dicitur subjectiva; quia beneficia perpetuo simul conjunguntur solummodo ratione subjecti seu personæ ejusdem, quæ possidet et administrat utrumque beneficium. Hinc neutra Ecclesia unita principaliter alteri servit, aut subjicitur, sed titulum proprium utraque conservat et jura omnia et gradum honoris retinet perinde ac si unio effecta non fuisset. Exemplum commune hujus unionis in Episcopatibus habemus. Etenim binæ vel etiam tres Diœceses et Ecclesiæ Cathedrales solent ita uniri, ut unus idemque Episcopus præsit utrique vel tribus diœcesibus et Ecclesiis, sed singulæ conservant ad invicem propriam autonomiam. Harum trium unionum minus odiosa hæc tertia censetur. Etenim per eam non immutatur in substantia seu objective natura et conditio beneficiorum. Quare si in decreto unionis vel in rescripto Pontificis dubium exoriatur, et clare non exprimatur species peractæ unionis, præsumenda semper est facta unio beneficiorum æque principaliter.

94. Quinam potest efficere unionem beneficiorum? Cum unio induat indolem erectionis beneficiorum, ad minus enim nova inducitur in eis subjectiva conditio, sequitur ab auctoritate ecclesiastica solum et non a laica potestate fieri posse uniones beneficiorum. In specie autem si sermo sit de Episcopatibus, eos unire potest solummodo R. Pontifex; *c. 8. De excessibus prælatorum.* Hæc enim unio inter causas majores Ecclesiæ recensetur et proinde reservatur Romano Pontifici. Potest autem R. Pontifex uniones beneficiorum perficere in universa Ecclesia *c. 2. de Præbend. in 6.* et *Clem. 1.* § *fin. ut lite pendente.* Quibus locis juris consonat Tridentinum *c. 13. sess. 24. de Ref.*

95. Episcopus vero uniones perficere potest beneficiorum propriæ diœceseos *cit. c. 8. de excessibus prælatorum*, justa tamen et legitima obveniente causa et dummodo jus canonicum non resistat. Hinc profecto ex superius dictis non potest unionem temporaneam perficere Episcopus in casu incompatibilitatis beneficiorum. Quoad vero unionem perpetuam, eam pluribus in casibus efficere nequit 1°. in beneficiis quæ episcopali administrationi non subsunt. Hinc unire non potest beneficia exempta, nec beneficia Rom. Pontifici reservata aut affecta quoadusque perseverat reservatio, aut affectio. 2°. Beneficia suæ diœceseos cum beneficiis alterius diœceseos Episcopus unire nequit. Ita Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 9. de Ref.* 3°. Ex *c. 9. sess. 25. de Ref.* post medium, non

potest Episcopus unire beneficia liberæ collationis cum beneficiis jurispatronatus, ita ut efficiantur ejusdem naturæ; idest non potest beneficia libera per unionem vinculo necessariæ collationis subjicere. Ex quo sequitur, non esse interdictam hanc unionem, si ex consensu patroni beneficium jurispatronatus efficiatur cum alio, cui unitur, liberæ collationis. 4°. In *c. 13. sess. 24. de Ref.* prohibet Conc. Tridentinum, quominus Ecclesiæ parochiales uniantur cum præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, cum Monasteriis aut Abbatiis, sive hospitalibus, ac militiis, sive etiam cum beneficiis simplicibus. Non prohibet vero Tridentinum, imo concedit Episcopo ut parochiali Ecclesiæ inopi possit unire beneficia simplicia, dummodo non sint regularia. Insuper notandum est, Concilii decretum non prohibere unionem Ecclesiæ parochialis cum alia parochiali, quando utraque Ecclesia unienda est propter earundem paupertatem. De qua agit in *sess. 21. cap. 5. de Reform.* — 5°. Interdicitur Episcopo, ne præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel collegiatæ uniat beneficia regularia *c. 15. sess. 24. de Ref.* In eodem autem loco Trid. Conc. concedit Episcopo facultatem ut cum consensu capituli possit aliquot beneficia simplicia non tamen regularia unire Cathedrali Ecclesiæ vel collegiatis insignibus, quoties præbendæ adeo tenues sint quæ sustinendo decenti canonicorum gradui pro qualitatibus loci et personarum impares sint. Hinc in parte derogatum est *Clement. 2ae de Rebus Eccles. non alien.* juxta quam non potest Episcopus etiam cum consensu capituli mensæ suæ aut mensæ capituli unire beneficia, ne videatur in proprium commodum interponere suam auctoritatem.

96. Inter casus, in quibus Episcopus potest unionem beneficiorum perficere, recensenda est creatio, vel dotatio Seminarii diœcesani, de qua sermo est in *sess. 23. c. 18. de Ref.* circa medium. Hoc in loco Concilium non solum concedit Episcopo facultatem exigendi aliquam partem fructuum ab omnibus præbendis et beneficiis sive sæcularibus sive regularibus sive liberæ sive necessariæ collationis, sed etiam tribuit eidem Episcopo potestatem uniendi seu applicandi Seminario beneficia simplicia etiam non vacantia sine tamen præjudicio cultus divini aut eorum qui actu hæc beneficia possident; scilicet decretum unionis seu applicationis fieri potest cum beneficium nondum vacat, sed ita ut incipiat vires exercere post ejus vacationem. Quoniam vero Concilium antea inculcat, ut ex reditibus mensæ episcopalis et capituli et quorumcumque

beneficiorum diœceseos certa summa Seminario solvenda sit et deinde proponit unionem beneficiorum simplicium, sequitur Episcopum devenire non posse ad unionem hanc perficiendam, nisi, non obstante taxæ convenientis impositione, videat necessitatem applicationis beneficiorum simplicium.

97. 'De conditionibus quæ requiruntur ut legitima sit unio beneficiorum'.

Prima conditio legitimæ unionis est, ut fiat ex rationabili causa. Agitur enim de re in jure odiosa quæ proinde legitima fieri potest solummodo ex causa rationabili *c. 33. h. t. Clem. 2. de Reb. Eccl. non alien.* et *c. 6. sess. 7. de Ref. in Tridentino* ubi Patres decernunt, uniones perpetuas subreptitias præsumi, quoties non fiant ex legitimis aut rationabilibus causis coram ordinario probandis. Causæ autem hujusmodi traduntur in *c. 33. de Præb.* per hæc verba: 'Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, Præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentare'. Quare actus unionis consideratur potius ceu actus necessitatis quam voluntatis. Unde exigente necessitate vel evidente utilitate, si Episcopus negligat unionem beneficiorum exsequi, potest adiri superior, qui Episcopi negligentiam suppleat. Quæ causæ nisi adsint, unio facta nulla est, etsi a Sede Apostolica facta fuerit, et unio præsumitur obtenta per obreptionem vel subreptionem ac proinde viribus caret, nisi aliter eadem Sedes Apostolica disposuerit. *Trid. loco cit. c. 6. sess. 7. de Ref.*

98. Secunda conditio unionis est, ut intimetur, et consensus exquiratur ab omnibus qui dicuntur interesse habere. Quod enim omnes tangit, debet ab omnibus probari. Et in specie id verificatur quando unio afficit beneficium jurispatronatus ceu statuit *c. 7. de donationibus,* et Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 15. de Ref.* Per unionem enim immutari possunt jura, et si beneficium simplex jurispatronatus uniatur alteri quod est liberæ collationis vel uniatur Seminario aut fabricæ Ecclesiæ, aut alteri loco pio, patronus amittit jus præsentandi. Consensus patroni Ecclesiastici non requiritur in hypothesi qua juxta *cap. 15. cit. sess. 24.* Episcopus Ecclesiæ Cathedrali vel collegiatæ insigni unit aliquod beneficium simplex jurispatronatus ecclesiastici. Tridentinum enim de hac unione agens patronos solummodo laicos nominat, quos audiendos esse dicit. Hinc valet regula 'inclusio unius exclusio al-

terius'. Notandum est tandem interesse habentes absque legitima causa dissentire non posse, quando unio necessaria est, et proinde a superiore compelli posse ad consentiendum, immo in casu necessitatis evidentis unionem fieri posse etiam, patrono invito.

99. Tertia conditio est ut in genere requiratur consensus Capituli Cathedralis Ecclesiæ. Pertinet enim beneficiorum unio ad illam classem negotiorum quæ a prælatis fieri nequeunt ex jure absque consensu capituli. Quod jus exprimitur in *c. 7. de Donationibus* et *Clem. 2. de Reb. Eccl. non alien.* Ex qua postrema Constitutione insuper patet non requiri consensum actualis rectoris beneficii; quia ejus juribus præjudicium nullum infertur. Incipit enim unio vires habere cum vacaverit beneficium. Præterea non requiritur in unione perficienda ut defensor juris beneficii vel Ecclesiæ constituatur; quia non agitur de vera alienatione jurium. Tandem ad unionem perficiendam requiritur aliqua forma judicii seu debet præcedere cognitio quædam causæ fierique aliquis processus ad causæ legitimitatem ostendendam, quem deinde subsequatur unionis decretum.

De Divisione Beneficiorum.

100. Divisio beneficii tunc fieri dicitur cum ex uno beneficio fiunt duo vel plura. Ex qua notione patet, divisionem seu sectionem beneficii non solum exhibere divisionem redituum seu fructuum, sed etiam divisionem tituli et officii. Hinc vi divisionis ex uno duo vel plura constituuntur officia vel ministeria. Hæc notio traditur in *c. 3. de Ecclesiis ædificandis vel repar.* Divisio beneficiorum in genere est odiosa et prohibita a jure; *c. Majoribus 8. h. t.* immutat enim statum Ecclesiæ.

101. Hinc nonnisi ex justa causa divisio facienda est. Causa autem hæc dici potest esse unica, si videlicet obligationibus beneficio adnexis ab una persona satisfieri nequeat. Præter vero causam, requiruntur eædem conditiones et solemnitates, quæ ad unionem perficiendam requiruntur. Conf. potest *c. 26. h. t.*

102. Peculiaris mentio facienda est de divisione Ecclesiæ Parochialis, de qua sermo est in *c. 4. sess. 21. de Ref.* in Tridentino. In hoc capite duo statuuntur et in utroque conceditur facultas Episcopo procedendi cum potestate etiam Apostolicæ Sedis Delegati. Statuitur 1ª. dispositio pro casu populi nimium numerosi; 2ª. pro casu nimiæ distantiæ fidelium ab Ecclesia Parochiali. —

Quoad primum casum Episcopus cogere debet Parochum ut secum tot assumat sacerdotes, quot necessarii sunt pro utili spirituali regimine parœciæ et pro cultu divino rite exercendo. Quoad vero 2^um^. casum renovat Tridentinum dispositionem *c. 3. De Ecclesiis æd.* Videlicet si talis sit locorum distantia, ut fideles præsertim hiemali tempore sine magno incommodo et difficultate non possint ad Ecclesiam accedere et percipere Sacramenta et adesse divinis officiis, potest Episcopus novam parœciam instituere, etiam invito rectore seu actuali Parocho. Quare antequam nova parœcia instituatur, debet Episcopus exquirere consensum antiqui Parochi, qui si irrationabiliter renuerit consensum præstare, eo invito, Episcopus potest ultra procedere. Idem dicatur de aliis interesse habentibus. Sufficiens vero dos pro nova parœcia adsignanda erit ex fructibus Ecclesiæ antiquioris, quæ retinet et conservat locum Ecclesiæ principalis seu matricis. Quod si reditus Ecclesiæ matricis non sufficiant huic scopo, potest Episcopus compellere populum novæ parœciæ ad subministrandam pastori suo congruam sustentationem vel per decimarum solutionem, vel alio modo. Tandem vero animadvertendum est, ut præsentatio novi sacerdotis reservetur illis quibus de jure competebat facultas nominandi rectorem antiquioris parœciæ. Confer. Fagnanus C. in *c. 3. de Eccl. æd.*

De Dismembratione Beneficiorum.

103. Dismembratio fit cum, remanente titulo beneficii et ministerio eidem proprio, pars fructuum a beneficio secernitur, et applicatur alteri beneficio vel Ecclesiæ quæ tenues reditus habet. In genere dismembratio est odiosa et a jure prohibita. *capp. 20. 26. et 30. de Præb. et Rubrica tituli XII. 'Ut beneficia eccl. diminutione conferantur'.* At accedente justa causa, posse dismembrationem ab Episcopo perfici tenent DD. juxta *cap. X. h. t.* Eædem vero solemnitates requiruntur, quæ necessariæ sunt pro unionibus beneficiorum perficiendis.

Titulus VI.

De Clerico ægrotante vel debilitato.

1. Clericus ægrotans vel debilitatus in sensu tituli ille est, qui vel ob senium, vel ob infirmitatem habitualem aut permanentem defectum exequi non amplius potest munia sui beneficii, in

quo canonice est institutus. Quare clericus ægrotans distinguitur a clerico ægroto qui nempe aliquo morbo temporaneo afflictus, officium proprium in Ecclesia exequi non potest. De clerico ægroto vidimus supra in titulo *De Clericis non residentibus.*

2. Clericus ægrotans vel debilitatus procul dubio non potest beneficio suo privari *c. 1. h. t.* Nam indecorum esset, et æquitati repugnans, ob ægritudinem expoliare mediis propriæ sustentationis clericum, qui Ecclesiæ præstitit servitium. Afflictis enim non est addenda afflictio *c. 5. h. t.* Cæterum Ecclesia consuevit clerico legitime impedito ex qualibet infirmitate fructus beneficii concedere prout vidimus supra in titulo *De Clericis non resid.*

3. Doctores autem tradunt clerico impedito fructus beneficii competere etiamsi ex propria culpa infirmitatem contraxerit. Nam in *cap. un. de Cler. non resid. in 6.* traditur, ipsam indistincte infirmitatem excusare a servitio chori. Concordat can. *Cum percussio. caus. 7. q. 1.* Fagnanus autem ad *c. licet. De præb. n. 147.* refert resolutionem S. Congr. Conc. a Gregorio XIII. probatam, quæ expositam sententiam doctorum confirmat.

4. Ut vero consulatur honori cultus divini, lex canonica in *c. 3. h. t.* insinuat designationem alterius clerici coadjutoris, qui ingrediatur locum clerici inhabilis in persolvendis divinis officiis. Caput hoc tertium refertur ad clericum, qui curam habet animarum, et statuit coadjutori dandam esse ex facultatibus Ecclesiæ congruam sustentationem. Verum parochus ægrotans non potest compelli ad tribuendum stipendium coadjutori, quoties salva eidem non maneant alimenta necessaria. Ita respondit S. Congreg. Concilii in causa *Albinganensi Parochial. 1. Sept. 1663. (lib. Decret. 25. p. 594.)* Hoc in casu Episcopus cogere poterit parochianos ut consulant sustentationi clerici coadjutoris, ceu tenuit S. Congr. in *Novariensi* et *Cremonensi (lib. 3. Decret. pag. 35. et 40.).*

5. Coadjutoriæ aliæ sunt temporaneæ aliæ perpetuæ cum futura successione. Coadjutoriæ temporaneæ, quæ etiam revocabiles appellantur, illæ sunt quæ dantur intuitu solius personæ quæ beneficium possidet, et onera beneficii exequi non potest. Unde coadjutor nullum titulum habet in beneficio, et per consequens a munere suo cessat, sive quoties a superiore revocetur, sive quoties et quandocumque coadjutus beneficium amittat.

6. Coadjutoriæ autem perpetuæ, quæ etiam irrevocabiles dicuntur, sunt eæ, quæ dantur quidem ob ægritudinem vel debili-

tatem Clerici beneficiati, sed directe respiciunt ipsum beneficium. Scilicet coadjutoria perpetua est vera collatio beneficii, quæ tamen plenum effectum sortitur quando actualis possessor a beneficio quomodocumque cessat, sive nempe per mortem, sive per privationem, sive per ejus promotionem ad aliud beneficium incompatibile. Quare coadjutor perpetuus statim obtinet titulum beneficii cujus onera statim suscipit, et adimplere tenetur, tamen non fit proprietarius beneficii ipsius antequam illud vacet. Adveniente autem vacatione beneficii, non requiritur nova collatio sed coadjutor eo ipso et vi primitivæ concessionis fit beneficii proprietarius.

7. Coadjutoriæ temporaneæ in Episcopatibus et reliquis Prælaturis superioribus dantur ab Apostolica Sede vel vi auctoritatis ab eadem delegatæ. Unde inter causas majores recensentur. Ita in *cap. un. h. t. in 6°*. Porro licet in hac decretali pro aliquibus casibus ipsi Episcopo cum Capitulo delegetur potestas unum vel plures constituendi coadjutores temporaneos eidem Episcopo impedito; tamen hodie in praxi inductum est, ut ipsa S. Sedes directe et motu proprio regimini diœceseos consulat, quando Episcopus impar factus sit sui muneris adimplendi.

8. Si sermo sit de beneficiis minoribus, licet absolute loquendo coadjutoriæ temporaneæ possent ab ordinariis collatoribus in omnibus beneficiis constitui, quoties clericus beneficii possessor ob senium, ægritudinem, vel ob aliud impedimentum nequeat onera sustinere, tamen in facto est, coadjutores temporaneos solummodo dari in beneficiis parochialibus, non autem in reliquis beneficiis quibus cura animarum adnexa non est.

9. Coadjutoriæ perpetuæ juxta conceptum supra expositum constituunt concessiones beneficiorum nondum vacantium. Quapropter, quoniam a jure communi vetitum est, ne ordinarii collatores de beneficiis non vacantibus disponant *cap. 2. de concess. Præb.;* hinc nullus prælatus summo Pontifice inferior concedere potest coadjutorias cum futura successione. In specie autem habemus tridentinam legem in *sess. 25. cap. 7.* quæ coadjutorias hujusmodi expresse prohibet. Unde solus Romanus Pontifex, cujus potestas est supra jus commune, easdem potest conferre.

10. Porro coadjutoriæ perpetuæ in beneficiis minoribus non curatis ita solent a S. Sede concedi, ut coadjutor teneatur loco coadjuti onera sustinere quin tamen jus habeat, durante coadjutoria, fructus beneficii percipiendi. Fructus autem omnes, et distri-

butiones quotidianæ reservantur clerico possessori idest coadjuto, ut etiam resolvit S. Congregatio Concilii in causa *Romana diei 19. Augusti 1730.* Ratio hæc esse videtur: quia coadjutus præsumitur fructibus indigere ad honestam suam sustentationem, nec æquum videtur, Clerico media sustentationis subtrahenda etiam ex parte esse eo præcipue tempore quo ob infirmitatem vel ob senectutem majori defectu laborat et potioribus premitur necessitatibus.

11. Si autem sermo sit de coadjutoribus sive temporaneis sive perpetuis in beneficiis parochialibus, juxta sensum *cap. 3. h. t.* et *cap. 6. sess. 20. de Ref. in Tridentino,* Episcopus debet vel de fructibus beneficii vel aliunde eisdem consulere, ut habeant congruam sustentationem.

12. Relate vero ad coadjutores perpetuos canonicorum, hæc sunt in specie animadvertenda: 1°. Coadjutum canonicum non eximi a residentiæ lege, immo ipsum coadjutum respondere debere coram Capitulo de servitio chori, et punctaturas solvere ob negligentiam coadjutoris. Ratio est, quia titulus beneficii quoad præsens tempus totus et integer in suis juribus et oneribus perseverat in coadjuto, cujus persona in sacris officiis repræsentatur a coadjutore. Conf. Benedictus XIV. *De Syn. lib. XIII. c. 9. n. 13.* — 2°. Coadjutorem vero teneri ad præstandum servitium chorale, ita ut si ex ejus negligentia damnum patiatur coadjutus, ipse coadjutor teneatur hoc damnum compensare. Ita S. Congregatio Concilii in causa *Romana diei 22. Febr. 1862. et 12. Augusti 1871.* — 3°. Quoad jus sedis regulam receptam esse, ut coadjutor sedeat in ultimo loco inter illos qui sunt in eodem gradu cum persona coadjuti, præcedat vero reliquos, qui sunt gradus inferioris. Unde si in capitulo adsint plures dignitates, coadjutor datus uni ex dignitatibus sedem obtinet post ultimam dignitatem et ante reliquos canonicos. Sic etiam coadjutor canonici sedet post omnes canonicos et ante beneficiatos. — 4°. Quoad jus vocis activæ et passivæ canonici coadjutoris in capitulo, præstat referre resolutionem S. Congregationis Concilii in *Novariensi diei 20. Maji 1649* hisce verbis conceptam: S. Congregatio censuit, canonicos coadjutores, etiam coadjutis absentibus non posse capitulis interesse, nec in illis vocem dare nec officium nuncupatum *auriano della chiesa* exercere, nisi ista in litteris apostolicis coadjutoriæ explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem legantur. *(Rel. LII. 109.)*

Hæc resolutio informatur principio quod regit relationes inter coadjutum et coadjutorem, videlicet coadjutus continuat esse verus beneficiatus, unde sua jura conservat et potest per seipsum suas obligationes supplere; coadjutor vero tenet locum et supplet defectum coadjuti. Unde coadjutor rigore juris nec vocem habet in capitulo, nec officia quæ canonicis adsignantur, competere possunt coadjutoribus. Talia sunt officia Camerarii, Secretarii etc.

13. At hæc omnia competere possunt coadjutoribus, si de iis in litteris Apostolicis coadjutoriæ expresse caveatur, ceu traditur in cit. resolutione, necnon si constitutiones capitulares id permittant, vel etiam si laudabilis consuetudo legitime præscripta coadjutoribus assistat. Notamus vero ab uno saltem ex hisce capitibus usum in aliquibus capitulis procedere, ut in praxi canonicus coadjutor, absente coadjuto, facile admittatur ad suffragium edendum in capitulo.

Titulus VII.

De Institutionibus.

1. Institutio si in genere et lato sensu sumatur, quemcumque modum provisionis beneficiorum exprimit. Semper enim in beneficio institutus clericus dicitur, quicumque fuerit modus legitimus quo beneficium assecutus est. Hinc in *reg. 1. Jur. in 6°.* dicitur: 'Beneficium ecclesiasticum non potest licite absque institutione canonica obtineri'.

2. Stricto autem sensu sumpta institutio sumitur ad differentiam sive liberæ collationis, sive etiam confirmationis, quæ electioni conceditur. Hoc in sensu institutio definitur 'Concessio Ecclesiæ vel Beneficii vacantis auctoritate legitimi superioris facta ad nominationem seu præsentationem patroni'.

3. Institutio dividitur trifariam ut alia sit *tituli collativa,* alia sit *auctorizabilis,* alia vero *realis* seu *corporalis.* Prima institutio nihil aliud est nisi actus seu decretum superioris, quo titulus beneficii confertur clerico idoneo a patrono præsentato. Huic institutioni undequaque competit data definitio.

4. Auctorizabilis institutio, quæ etiam dicitur approbatio, locum habet cum Superior clericum præsentatum instituit in beneficio curam animarum habente, et concedit simul eidem jurisdictionem in populum. Rigore juris in beneficiis curatis potest institutio

auctorizabilis distingui ab institutione tituli collativa. Nam fieri potest, ut institutio beneficii parochialis collativa tituli pertineat ad Capitulum, et deinde opus sit, ut ab ordinario loci concedatur institutio auctoritativa seu jurisdictio ad curam animarum exercendam necessaria.

5. Tertia institutio est realis, quæ nihil aliud est, quam immissio in actualem possessionem beneficii, scilicet manuductio seu investitura per quam clerico, qui habet titulum beneficii, seu jus in re tribuitur corporalis idest realis possessio beneficii et jurium ejus.

De institutione tituli collativa.

6. Præmittimus hanc institutionem a laicis dari non posse. Sane juxta *c. 8. de Renun.* clericus, qui beneficium resignavit in manibus laici et ab eodem inde illud recepit, spoliatur ab eodem beneficio. Cui capiti consonat *c. 4. de jure patronat.* in quo statuitur, clericos suscipientes beneficium a laicis, si perstiterint in beneficio, ceu intrusos esse deponendos a ministerio ecclesiastico et ab ordine. Ratio dispositionis desumitur ex natura institutionis tituli collativæ, quæ cum conferat jus spirituale nempe jus officii sacri obeundi, est proprie potestas spiritualis, quæ proinde laicis competere nequit *c. 2. de Judiciis et c. 7. de Præscript.* Hinc in *c. 4. de Jurepatr.* laici qui præsumunt vel instituere vel destituere clericos in Ecclesiis etiam patronatis subjiciuntur pœnæ excommunicationis ferendæ sententiæ. Quæ cum ita sint, nec facultatem institutionis concedendæ in beneficiis ecclesiasticis consuetudine vel præmissione acquirere possunt laici, sed ad eam acquirendam opus esset privilegio Pontificio quod est supra jus ecclesiasticum, nec facile concedi solet. Igitur ex jure communi clerici solummodo concedere possunt institutionem tituli collativam.

7. Porro in diœcesi ordinaria potestate institutionem concedit 1°. Episcopus qui habet fundatam intentionem in jure *can. omnes Basilic. Caus. 16. q. 7.* cui consonat *c. 3. h. t.* Quare prælatis inferioribus et aliis clericis in diœcesi de jure communi institutionis concedendæ facultas non competit. Unde ut isti hac facultate utantur, debent ostendere titulum specialem proprii juris.

8. Præterea quum nullus clericus in diœcesi officium sacrum assequi possit, et exercere sine dependentia ab ordinario; hinc tradunt doctores, clericum qui instituendus est a prælato inferiori

vel ab alio clerico, præsentandum esse Ordinario, ut cognita idoneitate approbet nominatum. Ad rem facit dispositio tridentina in *sess. 7. c. 13.* ubi hæc leguntur: 'Præsentatis quibusvis ecclesiasticis personis . . . ad quævis ecclesiastica beneficia, non instituantur . . . cum prætextu cujusvis privilegii seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati et idonei reperti, præsentatis tamen vel electis, seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis'. Et quidem hoc jus examinandi clericos præsentatos a patronis competit Episcopo, quamvis institutio tituli collativa pertineat ad prælatum inferiorem vel ad capitulum aut ad regulares quemadmodum tenuit S. Congregatio Concilii in *Tervisina* et *Cremonensi,* et in *Penensi* seu *Cremonensi,* quarum resolutiones in terminis referuntur a Pignatelli *tom. VIII. Consult. VIII. nn. 81. 82.*

9. Immo in Concilio Tridentino *c. 12. sess. 14. de Ref.* statutum est, in fundationibus vel dotationibus in posterum faciendis non posse patronos aliis reservare institutionem, quam Episcopo loci. Inferiores ergo prælati, qui nempe jurisdictione ordinaria quasi-episcopali careant, ex lege fundationis posterioris Concilio jus instituendi assequi nequeunt. Poterunt vero hoc jus habere vel ex fundatione aut dotatione antiquiore ipso Concilio Tridentino vel ex privilegio vel ex consuetudine aut præscriptione legitima.

10. Et quidem Episcopus potest institutionem tituli collativam concedere etiamsi nondum fuerit consecratus. Institutio enim est actus jurisdictionis quam novus Episcopus obtinet statim ac literas apostolicas promotionis suæ Capitulo sive per se, sive per procuratorem præsentaverit juxta ea quæ exposuimus in tit. *De elect. in libro 1°.*

11. 2°. Virtute mandati generalis potest instituere Vicarius generalis *c. 3. h. t.* 3°. Vicarius capitularis sede vacante *c. un. h. t. in 6°.* Institutio enim est actus necessarius.

12. Quinam possunt institui? — Ex regula in *c. 2. h. t.* proposita, laici non possunt institui in beneficiis ecclesiasticis. Nec ratam faceret et legitimam institutionem prima tonsura quæ postea susciperetur *arg. c. 6. De transact.* Igitur solummodo possunt institui qui actu clerici sunt. Ut vero præsentatus a patrono instituatur, debet esse idoneus. Hinc uti vidimus ex *cit. c. 13. sess. 7. de Ref.* præsentatus ad quodcumque beneficium non debet in bene-

ficio institui antequam ab ordinario examinetur et idoneus reperiatur, exceptis illis tantum qui præsentantur ab universitatibus et collegiis generalium studiorum. Hi enim præsumuntur idonei. Porro idoneitas resultare debet non solum ex qualitatibus generalibus ad beneficia obtinenda requisitis de quibus in tit. *De ætate, qualit. et ord. præfic. in libro 1°.;* sed etiam ex specialibus qualitatibus in lege fundationis descriptis. Animadvertenda vero duo sunt: 1°. Si beneficio adnexus simpliciter sit ordo aliquis ex. gr. presbyteratus, valet institutio clerici præsentati, quamvis actu non habeat ordinem illum, dummodo tamen intra tempus a jure statutum possit ordinem hujusmodi suscipere *c. 2. h. t. in 6°.* De hoc tempore a jure statuto sermo fit in cit. *tit. De ætat. qual. et ord. præfic.* Dixi tamen *simpliciter,* idest ratione habitus ex. gr. si fundator voluerit beneficium esse presbyterale. Si enim ordo esset adnexus ratione actus, idest si fundator edixerit, ut beneficium non conferatur nisi clerico, qui jam sit sacerdos, institui non potest diaconus seu requiritur in clerico qualitas sacerdotii jam suscepti. 2°. Posita idoneitate, non potest Episcopus instituere clericos exclusive alicujus nationis, nisi in lege fundationis id cautum fuerit. Hinc in *c. 5. h t.* redarguitur Patriarcha Constantinopolitanus, eo quod instituebat in beneficiis solummodo clericos reipublicæ Venetiarum subditos.

13. Quæritur quot possint institui in Ecclesia. Si Ecclesia est numerata, idest si habeat numerum determinatum præbendarum, licet præbendæ hujusmodi unum corpus et unam causam constituant, non possunt recipi et institui clerici ultra designatum numerum præbendarum. Quare vacantibus singulis præbendis, novi institui debent clerici in singulis beneficiis. Quod si sermo sit de Ecclesiis non numeratis, tot poterunt institui clerici quot ex reditibus ordinariis Ecclesiæ possunt honeste sustentari *c. 1. h. t.* Hinc ex *c. 4. h. t.* si Episcopus ultra vires Ecclesiæ velit canonicos constituere, possunt reliqui canonici eidem resistere.

14. De Ecclesiis non numeratis, seu receptitiis fuse agit Pitonius *De Disceptationibus ecclesiasticis. Part. 1ª. Discept. 17.* Quoniam monasteria regularium subsistunt ad modum Ecclesiarum non numeratarum, hinc Tridentinum de ipsis in *sess. 25. c. 3. De Regul.* statuit: 'In monasteriis tam virorum quam mulierum bona immobilia possidentibus vel non possidentibus is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus pro-

priis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari'. Hoc idem jam fuerat statutum in genere in *c. 1. h. t.*

15. Quoad vero Italiam et insulas adjacentes habemus decretum Urbani VIII. in Const. *'Cum sæpe contingat' diei 21. Jan. 1625.* confirmatum ab Innoc. XII. in Const. *'Nuper' diei 23. Novembris 1697.* In hoc decreto statutum fuit, ut si numerus religiosorum cujuscumque ordinis fuerit designatus et approbatus a S. Congregatione Episcoporum et Regularium non possit a Superioribus sine licentia ejusdem Congregationis augeri sub pœna privationis vocis activæ et passivæ ipso facto incurrenda. Hoc decretum applicatum fuit regnis Hispaniæ ab Innoc. XIII. in Const. *'Apostolici Ministerii'* diei 13. Martii 1723.

16. Quoad vero moniales sequens regula servatur. Videlicet si moniales immediate subsint jurisdictioni episcopali. Episcopus est qui prudentia sua determinare debet numerum sufficientem earundem quæ in monasterio recipiantur. Quod si monasterium fuerit exemptum, ex Constit. Greg. XIII. quæ incipit *'Deo sacris' diei 30. Decembris 1572* determinatio numeri monialium recipiendarum pertinet ad Episcopum simul et superiorem regularem, videlicet pertinet ad Episcopum cum interventu Superioris regularis. Doctores hoc in sensu referunt resolutionem S. Congregationis Concilii. Conf. Reiffenstuel *h. t. n. 87.*

17. Quæritur intra quod tempus institutio danda sit ab eo qui instituendi jure pollet. — In jure non est præfinitum tempus intra quod præsentatus a patrono, et repertus idoneus debeat institui in beneficio. At si nimium protrahatur institutio, adiri poterit superior qui præfinire potest tempus utile ad concedendam institutionem, quo inutiliter elapso, ipse superior instituet. Si in specie vero sermo sit de beneficiis curam animarum adnexam habentibus ex Const. S. Pii V. *'In Conferendis'* constituitur, ceu tempus utile ad institutionem concedendam, bimestre a die factæ præsentationis. Quo elapso patroni poterunt recursum interponere vel penes Metropolitanum aut penes viciniorem ordinarium vel ad S. Sedem. Institutio autem fieri potest qualibet die etiam feriato et extra territorium instituentis. Est enim actus voluntariæ jurisdictionis, qui completur absque extrinseca et publica solemnitate.

18. Tandem ut rite procedat institutio tradunt Doctores arg. *c. ult. de Elect. in 6°.* intimationem per edictum ad valvas Ec-

clesiæ faciendam esse qua invitentur omnes interesse habentes ad propria jura deducenda intra præfixum terminum. Quo elapso, expenduntur si adsint rationes concurrentium et solutis difficultatibus, etiam si opus fuerit per judicialem sententiam, emittitur decretum institutionis quo confertur clerico præsentato titulus beneficii seu jus in re perfectum relate ad beneficium.

De Institutione auctorizabili.

19. Institutio auctorizabilis qua nempe præsentato a patrono conceditur beneficium parochiale id est cura animarum de jure communi pertinet ad Episcopum, qui non aliter admittere debet clericum præsentatum quam probatum per examen circa idoneitatem ad munus parochiale obeundum. Tridentinum *sess. 7. c. 13. et sess. 24. c. 18. de Ref.* Et quidem concessio jurisdictionis parochialis competit Episcopo etiam quando institutio tituli collativa pertinet ad prælatum inferiorem vel ad capitulum vel ad alios clericos. Potestas enim Parochi est participatio jurisdictionis Episcopi.

20. Adeo autem reservatur Episcopo auctoritativa institutio ut eam concedere nequeat Vicarius generalis absque Episcopi consensu arg. *c. 4. de Offic. Archid.* Ex quo capite patet, ab officiali Episcopi acquiri non posse hoc jus concedendi institutionem auctorizabilem ex consuetudine.

21. Potest autem concedi institutio a Vicario Capitulari sede vacante. Agitur enim de actu non liberalitatis sed necessitatis, qui ad ordinariam administrationem diœcesanæ jurisdictionis pertinet.

22. 3°. Jus concedendi approbationem seu institutionem auctorizabilem spectat ad prælatos Episcopo inferiores, qui habent jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum sibi commissum. Prælati enim hujusmodi veniunt in jure sub nomine ordinariorum.

23. 4°. Aliis prælatis inferioribus competere potest hujusmodi institutio ex privilegio Apostolico, non vero ex consuetudine. Conclusio hæc infertur ex cit. *c. 4. de offic. Archid.* in quo cum ageretur de Archidiacono qui, tamquam prælatus inferior, ordinaria gaudebat jurisdictione in diœcesi præsertim in territorio sui archidiaconatus, ait Pontifex, eundem sibi non posse arrogare prætextu alicujus consuetudinis facultatem concedendi institutionem auctoritativam.

De reali institutione seu investitura.

24. Jus ecclesiasticum non solum determinat modum quo clerici designentur legitime ad beneficium ecclesiasticum assequendum; sed etiam comitatur personam clerici usque ad locum officii sui et ad realem illius susceptionem. Hæc disciplina inducta esse videtur, ut confusio evitaretur aut dubitatio circa ipsam personam suscipientem officium. Hinc juridice ipsum officium per actus symbolicos sensibili quadam forma traditur clerico designato, qui ut ajunt in corporalem beneficii aut Ecclesiæ possessionem immittitur.

25. Ex qua notione patet prohibitum esse clerico, quominus auctoritate propria possessionem suscipiat beneficii sibi collati *c. 7. h. t.* et si id attentaverit tamquam temerarius puniri potest superioris arbitrio. Quod si adhibita violentia clericus possessionem aggressus sit proprii beneficii, privatur omni jure quod illi ex collatione, aut ex institutione tituli collativa vel auctorizabili advenerat *c. 18. § Insuper De Præb. in 6°.*

26. Ex eadem notione sequitur nec laicos posse realem possessionem seu investituram concedere in beneficiis ecclesiasticis. Ea enim in *cap. 1. de offic. Archid.* recensetur inter res spirituales. Contra Episcopos vel Abbates suscipientes investituram a laicis in *can. 12. caus. 16. q. 7.* Gregorius VII. præter nullitatem concessionis dignitatis statuit pœnam privationis gratiæ S. Petri et interdicti ingressus in Ecclesiam. Insuper contra clericos investituram recipientes a laicis in ecclesia, vel ecclesiastica dignitate in *can. 17. ejusdem caus. et quæst.* Paschalis II. statuit pœnam excommunicationis. Quam pœnam excommunicationis decernit pariter Pontifex contra laicum investituram conferentem. Notandum vero est in Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX. silentium servari de supradictis pœnis interdicti Gregorii VII. et excommunicationis Paschalis II., adeoque eas cessasse.

27. Quisnam igitur confert investituram in beneficiis? Jure decretalium in beneficiis clericos investiebat Archidiaconus *c. 7. de off. Arch.* At extincta Archidiaconi ordinaria jurisdictione, Episcopus est qui per se, vel per suum vicarium generalem vel per alium clericum delegatum concedit investituram seu corporalem possessionem illorum beneficiorum, quæ ab ipso Episcopo conferuntur vel in quibus ab eo datur clericis præsentatis institutio canonica.

Si autem sermo sit de beneficiis quæ conferuntur a S. Sede, juxta stilum curiæ munus immittendi in realem possessionem clericum provisum committi solet alicui prælato signaturæ papalis Referendario, vel vicario generali Episcopi, et Canonico antiquiori, vel duobus antiquioribus canonicis capituli, ita ut vel duo vel saltem unus ex eis realem possessionem concedant. Ritus vero quo conceditur investitura seu manuductio in beneficium definitus non est. Hinc servanda est cujuscumque loci consuetudo.

28. Immitti autem quis potest in possessionem vel per seipsum vel per procuratorem suum. Hic vero procurator debet constitui cum speciali mandato *arg. c. 17. Si tibi absenti De præb. in 6°.* in quo statuitur nullum jus acquiri ad beneficium ab absente clerico, nisi ipse absens ratam habuerit beneficii collationem sibi factam. Unde in beneficiis recipiendis non sufficit consensus generalis, ac proinde mandatum generale provisi, sed speciale requiritur. Et revera in praxi servatur regula, ut procurator per mandatum speciale constituatur. Animadverti insuper debet, in beneficiis, in quibus a noviter proviso requiritur professio fidei, non sufficere professionem emissam a procuratore, sed ipsum clericum provisum cum accedit eam emittere debere. Conf. expositio *tit. 1. libri 1.*

De effectibus institutionis realis.

29. Primus est ut ex eo die Clericus incipiat facere fructus suos in beneficio quos percipere non poterat ante captam possessionem.

30. 2°. Secundus effectus traditur in regula 35 Cancellariæ Apostolicæ quæ est *de annuali possessione.* Videlicet si quis impetrat beneficium ecclesiasticum, quod per annum præcedentem ab alio clerico pacifice possessum fuerit et certo modo vacare, et injuste ab actuali possessore retineri prætenditur, debet indicare in ipsa impetratione nomen, gradum et nobilitatem possessoris actualis, annos quos hic beneficium possedit et causam specificam ex qua clare constet, nullum jus competere eidem actuali possessori. Quem actualem possessorem insuper debet intra menses sex ad judicium compellere per citationem, causamque inde infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi tenetur; alioquin impetratio et quæcumque inde acta sequuntur nullius firmitatis existunt, et impetrans tenetur reficere damna omnia et expensas ipsi possessori quem conatus est possessione expoliare.

31. 3°. Tertius effectus datur per regulam Cancell. 36ᵃᵐ. Videlicet 'si quis per triennium pacifice possederit quodcumque beneficium ecclesiasticum ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione aut electionis confirmatione, vel institutione post factam præsentationem, dummodo sese non intruserit in beneficium, quod sit dispositioni S. Sedis reservatum ex reservatione generali clausa in corpore juris, et dummodo ejus ingressus in beneficium non fuerit simoniacus, non poterit molestari super beneficio taliter possesso'. Scilicet titulus coloratus quo beneficium possedit, convalidatur triennali pacifica possessione, ita ut non solum in possessorio, sed etiam in petitorio quamlibet exceptionem repellat. Hinc in eadem regula decernitur nulla, et irrita impetratio ab alio facta beneficii taliter possessi ad extinguendas lites quascumque super hujusmodi beneficio. Porro quæ sint reservationes generales de quibus Regula præsens agit jam vidimus supra in titulo de præbendis quando egimus de jure reservationis Romani Pontificis. Censetur vero pacifice possedisse non solum ille, contra quem nemo infra triennium egit, sed etiam ille qui licet passus sit oppositionem, tamen victor in judicio extitit ac favorabilem pro sua possessione retulit sententiam.

32. Quartus effectus est ut per possessionem realem susceptam novi beneficii vacet ipso jure beneficium incompatibile quod Clericus noviter provisus possidebat. Hæc quidem regula ex ipso jure communi deducitur juxta ea quæ superius dicta sunt de incompatibilitate beneficiorum. Et merito. Nam proprie quis habere beneficium non dicitur, nisi illud pacifice possideat. At stylus in Dataria Apostolica introductus fuit a jure communi recedens, qui etiam hodie servatur. Stylus hic in eo consistit, ut ipsis literis apostolicis concessionis novi beneficii non semel apponatur decretum vacationis prioris beneficii. Unde hoc beneficium vacare dicitur per decretum, et alteri illico confertur, quin expectetur immissio clerici noviter provisi in possessionem secundi beneficii. Conf. Pitonius *De Disceptat. ecclesiasticis part. 4. discept. 134. nn. 9. et seqq.*

Verum notandum est, ob actualem conditionem beneficiorum in Italia quorum bona a gubernio civili occupata fuere in praxi Datariæ Apostolicæ inductum fuisse, ut Clericus provisus de beneficio incompatibili cum priore jam possesso possit continuare in possessione prioris beneficii quoadusque non fuerit assequutus civilem possessionem secundi per *regium* quod appellant *Exequatur*.

Titulus VIII.

De Concessione Præbendæ et Ecclesiæ non vacantis.

1. Ut collatio aut institutio in beneficio de jure communi fiat, beneficium debet esse vacans. Hinc ad evitandos abusus, qui in collationibus liberis aut institutionibus obrepere possunt, positus est titulus præsens. Beneficia vacare possunt triplici modo; scilicet vel de jure tantum, vel 2°. de facto tantum vel 3°. de jure et facto. De jure tantum vacat beneficium quando nemo illud possidet legitime; unde qui illud retinet, injuste possidet, ex. gr. quia collator jus non habebat collationis.

2. De facto tantum vacat beneficium quando revera nullus adsit qui actu illud detineat quamvis adsit clericus qui jus seu titulum habet ad illud possidendum. Ex. gr. si clericus rite institutus ob vim vel metum impediatur quominus possessionem adipiscatur beneficii vel etiam post captam possessionem ab eodem abjiciatur.

3. Vacat vero de jure et de facto beneficium quando nemo adsit ad quem spectat ex concessione canonica titulus et jus beneficii, nec simul aliquis exstet qui possessionem actualem ejus habeat. Ex. gr. si is qui legitime possidebat beneficium demoriatur aut renunciet juri suo, beneficium illico vacat de facto et de jure. Hæc tertia species vacationis constituit veram et propriedictam vacationem beneficii ut de eo disponi possit.

4. Porro vacatio contingere potest vel per mortem naturalem, vel per renunciationem acceptatam a superiore, vel per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis vel per assumptionem status religiosi, professione secuta, aut alterius status incompatibilis cum beneficio prout est status conjugalis quoad clericos minores. Vacat pariter beneficium de jure, si non serventur conditiones substantiales, quas fundator ad perpetuandam in persona clerici possessionem beneficii constituit *arg. c. 23. De Jur. Patr. et c. 16. de Censib.* Insuper beneficium vacat de jure ob quædam crimina. Scilicet 1°. ob crimen hæresis *cap. 12. De hæret. in 6°.*, 2°. ob crimen falsificationis litterarum apostolicarum; 3°. ob crimen percussionis aut capturæ S. R. E. Cardinalium *cap. Felicis* § *Si qua De pœnis in 6°.*, aut Episcopi quoad beneficium in illius Ecclesia erectum. *Clem. 1. de pœnis;* 4°. ob crimen assassinii *c. 1. de Homicidio in 6°.;* 5°. ob crimen Sodomiæ *Const. Horrendum 72.*

S. Pii V. § 3. — Tandem vacat jure beneficium per sententiam privationis vel depositionis contra Clericum delinquentem a competenti auctoritate ecclesiastica latam.

5. Ex titulo regula principalis eruitur sequens. Beneficium nequit conferri antequam vacet *c. 2. h. t.* Collatio autem beneficii facta ante vacationem est ipso jure irrita; quamvis vacet de facto tantum. Nam adhuc exstat qui habet jure titulum beneficii. Qui vero passus est se immitti in locum sacerdotis viventis idest in locum legitimi possessoris beneficii adhuc viventis, habetur uti intrusus et excommunicationis pœnæ subjiciendus est *c. 1. h. t.* et absque dispensatione apostolica nec potest legitime obtinere idem beneficium si deinceps revera vacaverit *c. 7. h. t.*

6. Heic referri potest regula 21 Cancellariæ Apostolicæ 'Si clericus postulat, et impetret a Romano Pontifice beneficium quod dicit vacare per mortem ultimi possessoris, qui tamen possessor adhuc vivit hæc impetratio nulla est'. Quid vero si deinde revera vacet beneficium, et idem clericus illud impetret, nulla facta mentione prioris impetrationis per fraudem obtentæ? Hæc etiam nova impetratio nullius est valoris.

7. Quæritur an saltem possit promitti beneficium nondum vacans, et hæc promissio vim habeat. Promitti nequit de jure communi beneficium nondum vacans ex cit. *c. 2. h. t.*, ubi additur ratio, ne scilicet quis videatur desiderare mortem alterius, in cujus locum vel beneficium se credat successurum. At quid si facta sit promissio? Respondent *c. 3.* et *c. 13. h. t.* ipsam non valere. At obstat *c. 14. eod. tit.* in quo adstringitur Episcopus providere clericum de beneficio ob factam promissionem. Ut hæc capita concilientur, sciendum est, duplicis generis esse promissiones vel determinatam scilicet, vel genericam. Promissio determinata locum habet cum superior spondet Clerico se illi concessurum fore vel beneficium primo vacaturum vel determinatum beneficium cum vacaverit. Altera promissio quæ indeterminata est et vaga locum habet cum Superior dicat Clerico 'Conferam tibi beneficium'. Porro in hac generica formula promissionis semper subintelligitur conditio *cum potero* . . Prior promissio odiosa est et ingreditur rationem prohibitionis Conc. Lateran. relatam in *c. 2. h. t.* Hinc reprobatur a jure in *c. 2. et 13. h. t.*

8. Altera vero promissio desiderium mortis alicujus non secumfert. Nam qui promissionem obtinuit certus non est de assecutione

beneficii quod vacet, superior enim potuit facile sese eximere a petitione clerici postulantis collationem alicujus beneficii quod vacat. In promissione enim superior non determinavit beneficium clerico conferendum. Hinc hæc promissio non comprehenditur sub prohibitione Concilii Lateran. et alioquin potest esse justa; quia superior potest subdito suo sive ex titulo remunerationis, sive ex motivo consulendi ejus sustentationi promittere canonicam positionem in Ecclesia. De hac promissione generica loquitur *cap. 14.* objectum, et statuit, eam servandam esse.

9. At *capiti 14. h. t.* derogatum est per constitutionem Bonifacii VIII. in *c. 2. h. t. in 6°.* quod incipit: *'Detestanda Nos malis hujusmodi'*. Quo in capite reprobantur et nullius valoris esse dicuntur promissiones beneficiorum nondum vacantium quæcumque, et sub quovis modo, aut forma verborum de cætero faciendæ, etiam sub clausula *cum potero* vel *si facultas sese obtulerit.* Uno verbo prohibet Bonifacius quascumque promissiones beneficiorum, per quas vel directe vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura. Ratio hujus rigidæ legis fundatur in experientia ex qua patet istas promissiones ut plurimum per nimiam importunitatem vel mali ambitus sensum extorqueri solere, et exinde multoties concedi beneficia illis clericis, quibus concedenda non forent. Bonifacio consentit Tridentinum in *c. 19. sess. 24. de Ref.*

10. Quare de jure communi abrogatæ fuerunt gratiæ expectativæ et mentales reservationes quæ locum habebant cum Romanus Pontifex per Bullam sibi reservabat aliquod beneficium, vel in genere vel in specie conferendum alicui Clerico quem non nominabat. Ceterum in *c. 21. sess. 25. de Ref.* Tridentinum Concilium declaravit S. Sedis auctoritatem in omnibus salvam esse debere. Ex rebus expositis sequitur nullum Prælatum summo Pontifice inferiorem conferre aut promittere posse sive in genere sive in specie beneficium nondum vacans.

11. Sequitur etiam non valere promissionem patroni de nominatione concedenda ad beneficium vacaturum. — Quæritur an de jure communi possit a Canonicis et ab Episcopo clericus admitti in fratrem eidem conferendo veram canoniam?

12. Si quis admitteretur in fratrem in capitulo, seu canoniam reciperet, præter sedem in choro et vocem in capitulo si assiduis servitiis satisfecerit obligationibus capitularibus, in jure decretalium inductum erat ut quamprimum fieri posset de præbenda

provideretur. Id decernitur in *c. 8. h. t.* et in *cap. Relatum 9. de Præb.* Concordant *capp. 19. eod. et c. 9. de Constit.* Quibus positis, concessio canoniæ implicat promissionem concessionis præbendæ vacaturæ. Quare concessio canoniæ videtur adversari dispositioni Conc. Lateranensis in *c. 2. h. t.* necnon in *c. 2. h. t. in 6°.* et *c. 19. sess. 24.* Tridentini *de Ref.* in quo gratiæ omnes expectativæ nullius roboris esse dicuntur. Profecto si jus antiquum consideremus, dicendum est canonias non fuisse abolitas a Conc. Lateran. III. Nam canonici sine præbenda quibus tamen conferatur præbenda quando facultas sese obtulerit, admissi sunt ab Innoc. III. in *c. 19. de Præb.* Ratio enim est, quia in concessione canoniæ nulla revera efficitur promissio expressa conferendi præbendam proxime vacaturam, sed solummodo clericus per canoniam inter canonicos adnumeratur, ut onera sustineat et quædam jura habeat. Quodsi jus disponit ut recepto in fratrem clerico præbenda concedi debeat a Superiore ecclesiastico, id procedit ex æquitate quæ non sinit clericum diu in Ecclesia adlaborare et nullum emolumentum percipere ex reditibus Ecclesiæ ad vitæ suæ sustentationem. Quare concessio præbendæ non procedit vi promissionis factæ canonico supranumerario sed consequitur ex titulo æquitatis, quæ innititur et supponit laudabile clerici servitium in Ecclesia *c. 9. de Præb.* Hinc si in ipso actu, idest dum quis in Canonicum supranumerarium recipitur vel distincto actu eidem promittatur præbenda vacatura, adnotant doctores post glos. in *c. 2. h. t. in 6°. v. indirecta* concessionem canoniæ utique valere, nullius autem esse roboris factam promissionem vacaturæ præbendæ. Cessat ergo ratio *capp. 2. h. t. et 2. h. t. in 6°.* necnon dispositionis Tridentinæ in *c. 19. sess. 24. de Ref.* In istis enim locis juris interdicitur promissio beneficii vacaturi. Hæc dicta sint summo jure inspecto.

13. At inspecta praxi Sacræ Congregationis Concilii binas habemus resolutiones quæ videntur a conceptu veteris canoniæ excludere jus obtinendi præbendam proxime vacaturam. In causa *Veliterna 23. Aug. 1727.* cum ob imminutum divinum cultum expostularetur facultas conferendi canonicatum sine participatione fructuum et distributionum cum conditione tamen quod taliter provisus obtinere deberet præbendam primo vacaturam; S. Congregatio censuit, tribuendam esse Ordinario facultatem concedendi canonicatum sine fructibus et distributionibus non esse vero ad-

jiciendam conditionem. In alia autem causa diei *1. Decemb. 1731* ead. S. Congregatio respondit, Episcopum successorem non teneri obligatione ulla conferendi præbendam vacantem clerico illi, qui ab antecessore habuerat canonicatum sine fructibus: scilicet adnumeratus fuerat inter canonicos supranumerarios. Quare hodiernis moribus, nisi specialis detur consuetudo loci, non videtur amplius locum habere proprie dicta vetus canonia, qua electus vel receptus in fratrem jus acquirebat obtinendi quam primum fieri posset præbendam in sua Ecclesia. Hinc qui inter canonicos supranumerarios adjicitur non potest de jure communi compellere ordinarium collatorem ut sibi conferat præbendam quæ vacet.

De Canonicis honorariis.

14. Jure decretalium honor, et dignitas intime connexa erat alicui officio fixo et determinato in Ecclesia idest alicui stabili et canonicæ positioni clericorum cui propria jura unita erant. Quare etiam canonia licet actu præbenda careret, tamen certam spem assequendi illam includebat, et simul secum ferebat onus præstandi servitium chori et altaris, et jus conferebat habendi sedem in choro et vocem activam, et passivam in Capitulo. Siquidem per canoniam clericus a canonicis recipiebatur in fratrem, et quamprimum clericus provideri debebat etiam de præbenda. *Cap. Relatum* et *cap. Dilectus De Præb.* Quapropter jure Decretalium canonici causa tantum honoris non agnoscebantur, et cum aliquod canonicatus honorifici exemplum apparuit, doctores illum appellarunt *nomen vacuum, dignitatem ventosam.* Ita Fagnanus *com. in cit. cap. Dilectus De Præb. n. 10.* Verum mutatis circumstantiis et præsertim ob diminutas præbendas canonicales, factum est, ut ad augendum divinum cultum, et ad decorandum Episcopi senatum in multis capitulis instituerentur Canonici honorarii. Ex quo sequitur, in electione Canonici honorarii habenda esse præ oculis particularia personæ merita ob quæ honorabili collegio Canonicorum et sedi episcopali decus accedat.

15. Si quæratur cuinam competat jus eligendi Canonicum honorarium, respondemus, prætermissa peculiari consuetudine alicujus diœceseos, regulam generalem esse, hoc jus competere simul Episcopo et capitulo ita ut consensus utriusque simul debeat concurrere. Ita tenuit S. Congregatio Concilii in causa *Fulginatensi diei 26. Febr.* et nuperrime in causa *diei 6. Julii 1867,* in qua pro-

posito dubio 'An Archiepiscopus privative a seipso Canonicos ad honorem nominare, etiamque honorem hunc quibusdam officiis, veluti doctoribus Seminarii, Parochis civitatum etc. assignare valeat, vel potius hoc agere (debeat) de consensu vel consilio Capituli', S. Congregatio respondit 'Negative ad primam partem, affirmative ad secundam' *(acta S. Sedis tom. III. pag. 138.)*.

16. Quin immo Canonici honorarii non possunt sibi vindicare jura quæ eis ab Episcopo concessa fuerint contra voluntatem Capituli. Ita resolvit S. Congregatio Concilii in causa proposita die *17. Decemb. 1836. (acta S. Sedis tom. IV. pag. 584.)* Ratio hujus regulæ est: quia electio Canonici honorarii exhibet negotium commune Episcopi simul, et Capituli. Dum enim ex una parte nemo ex facto subditorum, invito vel ignorante Episcopo potest juridice honorificum munus assequi et in canone Ecclesiæ describi, ex altera autem parte electio canonici honorarii, quæ refert imaginem antiquæ canoniæ, idem est ac receptio in fratrem, quæ actum constituit capituli proprium.

Sed quæ jura pertinent ad Canonicum honorarium? — Clericus qui eligitur, nominatur Canonicus honoris causa. Unde ejus positio est solummodo honorifica. Quare nullum jus habet Canonicus honorarius ad præbendam vacaturam obtinendam, nec pariter habet vocem sive activam sive passivam in Capitulo, prout infertur ex decisione S. Congregationis Concilii *diei 11. Januarii 1868.* (conf. *acta S. Sedis tom. IV. pag. 189.)* Verum Canonicus honorarius obtinet jus induendi vestes, insignia et honores canonicales, et si divinis officiis assistere velit, sedem habet in choro post ultimum canonicum titularem ante reliquos clericos beneficiarios seu mansionarios aut capellanos, qui inter canonicos non numerantur. Ita tenuit eadem S. Congregatio Concilii in cit. causa *diei 6. Julii 1864. in responsione ad 2um et 3um dubium.* Quoad vero peculiaria jura dicendum est, Canonico honorario ea tantum jure spectare, quæ eidem in concessione tributa fuere aut ex alio titulo ipsi legitime competunt. Id infertur ex resolutione S. Congr. *diei 29. Maji 1869. (acta S. Sedis tom. IV. pag. 579.)*

17. Quod si canonicus honorarius in eadem Ecclesia habeat Beneficium, quod servitium chori exigat, illud præstare non potest in habitu canonicali, et si id faciat, punctaturis subjicitur. Ita censuit S. Congr. in causa proposita die 19. Aug. 1868 *(acta S. Sedis tom. IV. pag. 317.)*.

18. Tandem animadverti debet juxta resolutionem S. R. Congregationis ann. *1847* relatam a *De-Angelis h. t. n. 3.* circa finem, non posse Canonicum honorarium suo munere privari nisi ejus indigna conversatio exigat ut contra illum de more procedendum sit ad majora scandala præcavenda. Antequam huic de Canonicis honorariis tractationi finem imponimus, opportunum censemus, Instructionem, quam S. Congregatio Concilii ad abusus in præsenti et in alia simili materia vitandos Episcopis per epistolam communicavit, adjicere. En ejus tenor:

Perillustris ac Reverendissime Domine uti Fr.

Quamvis Ecclesiasticos Viros maxime deceat humanos honores non quærere, sed de benefactis retributionem a Domino unice expectare, consuevere tamen Ecclesiæ Præsules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui, præ cæteris, de re christiana meruerunt: dum enim præstantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno prætio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli Episcopi conquesti sunt, ut dum Sacerdotes, ætate ac omni virtutum genere venerandi, amant nesciri et pro nihilo reputari, juniores et qui parum adhuc aut nihil in Ecclesiæ bonum contulerunt dignitates appetant, insignia titulosque inhient. Et ubi nulla spes illis adrideat hæc omnia apud suos obtinere, externos circumeunt Pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo sæpissime accidit, ut miseri isti in propria Diœcesi, inscio Ordinario, et omnibus admirantibus, vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis præditos jactent, et ita meliores despiciant.

Porro Eminentissimi Patres Tridentini Juris interpretes ac vindices dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confi-

dunt Amplitudinem Tuam nil intentatum relicturam, ut omnes de Clero Tibi concredito, æmulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament cœlestia, et nonnisi in cruce D. N. Jesu Christi glorientur.

Ne vero in posterum et dignioribus injuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres, Sanctissimi mandata exequentes, auctores Tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia Clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cujus potestati subduntur.

Hæc dum Tibi nomine hujus S. C. significo, impensum animi mei studium profiteor Amplitudini Tuæ, cui fausta quæque ac salutaria precor a Domino

Amplitudinis Tuæ

Romæ 16. Septembris 1884

Uti Fr. Stud.
Secretarius S. Congreg.

Porro ceu verba ipsa ferunt, sensus ultimi paragraphi *Ne vero* est absolutus et præceptivus, et per consequens legem constituit S. Congregationis, mandatis Summi Pontificis roboratam.

19. Quæritur intra quod tempus beneficium vacans sit conferendum. Si beneficium vacans sit liberæ collationis, conferendum est intra semestre *c. 2. h. t. § cum vero et c. 5. h. t. § fin.* Si vero collatio facta fuerit post semestre ea de rigore juris potest irritari quia facta est postquam collator ex sua negligentia potestate conferendi intra tempus juridicum usus non est. At ipso jure nulla non est. Nam Concilium Lateranense in *c. 2. h. t.* non intendit directe inferre pœnam negligenti collatori sed potius voluit ut quam cito beneficium vacans provideretur de rectore. Facit ad rem *cap. 4. De supplenda neglig. Prælat.*

20. Ex exposita vero regula excipienda sunt beneficia Ecclesiæ non numeratæ. Nam cum certus numerus Canonicorum seu præbendarum non habeatur neque dari potest proprie dicta vacatio. Hinc juxta *c. 25. De præb.* in assumptione seu electione novi Cano-

nici Ecclesiæ non numeratæ, jus novum quodammodo creatur, quod nascitur cum electione novi Canonici, et desinit cum Canonicus demoritur. Hinc transacto semestri jus designandi novum canonicum non devolvitur ad Superiorem *c. 10. h. t.* Verum negligente nimium collatore ordinario, si Ecclesia facultates habeat canonicum sustentandi; ex intentione juris expressa in *c. 1. De inst.* ubi decernitur, tot esse destinandos canonicos quot Ecclesia alere possit, potest superior præfinire terminum eidem collatori ordinario, ut ipse secundum Ecclesiæ consuetudinem provideat eam de novo Canonico; quo elapso ipse superior supplebit negligentiam collatoris ordinarii.

21. Huc referri potest Const. Greg. XIII. *'Humano vix judicio'* ex qua habemus Episcopum posse conferre beneficia quæcumque liberæ collationis quæ vacaverint per renunciationem coram se factam etiam in mensibus papalibus. Collatio autem hæc facienda est intra mensem et provisus intra tres menses debet eam publicare, et possessionem accipere. Quod si hæc duo tempora non serventur, provisio beneficii Papæ reservati nulla est, et beneficium a Summo Pontifice confertur.

22. Si beneficium sit electivum distinguendum est. Si est prælatura regularis vel prælatura principalis Ecclesiæ Cathedralis scilicet si eligendus sit Episcopus vel Abbas ordinariam habens jurisdictionem, tempus utile electionis perficiendæ est trimestre *c. 41.* et *42. De elect.* Si vero est beneficium minus, tempus utile ad eligendam personam est semestre *c. 12. h. t.*

23. Si beneficium est patronatum, Patronus ecclesiasticus habet semestre ad præsentandum, laicus vero quadrimestre. Ita in *tit. 38. De jurepatr.*

24. Adnotanda vero sunt. 1°. Hoc tempus quod conceditur pro conferendo beneficio vacante non decurrere ignorantibus; scilicet sive trimestre sive quadrimestre, sive semestre incipit decurrere a die habitæ notitiæ vacationis: nec corruit legitime impedito *c. 5. h. t.* et *c. 3. De suppl. negl. Prælat.* 2°. Hoc autem tempus ex quo decurrere incipit, est continuum, scilicet currit etiam diebus feriatis, et de die ad diem computatur. Hæc dicta sint de concessione præbendæ vacantis de jure et de facto.

25. Quid si vacaverit de jure solum præbenda, idest de facto ab aliquo detineatur? Ex dispositione *c. 6. h. t.* inspiciendum est, utrum possessio sit colorata; idest ex titulo colorato habita, vel

non. Si primum, fieri potest ut ex ea enatum sit jus seu titulus beneficii, quemadmodum si possessio fuerit triennalis. *Regul. 36. Canc. Apostolicæ.* At si jus hoc non fuerit enatum, poterit beneficium conferri, quemadmodum etiam beneficium conferri poterit quando notum sit, possessionem esse prorsus illegitimam seu neque coloratam. At citari debet semper possessor ut rationes suas deducat. Quod si possessor vel defecerit in illis exhibendis, vel non comparuerit tempore utili, a possessione ejicitur et beneficium alteri confertur.

Titulus IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur.

1. Nomine sedis præcipue intelligitur Ecclesia Cathedralis, seu Episcopalis; ea enim proprie appellatur sedes; idque docet *c. 1. h. t.* At ob similitudinem juridicam, nomine sedis veniunt etiam abbatia, præpositura, aliæque dignitates quæ reguntur a prælatis ecclesiasticis jurisdictione præditis *c. 41. De elect.* Immo ex *glos. in c. 1. De reb. Eccl. non alienand. in 6.* in sensu tituli nostri vocabulum *sedes* ad beneficia etiam minora extenditur.

2. Sedes autem vacare dicitur cum Cathedralis Ecclesia vel beneficium careant proprio rectore sive titulari sive commendatario. Dicimus *sive commendatario;* nam hodiernis moribus concessio beneficii in commendam æquiparatur concessioni in titulum. Si quæratur quoadusque vacare Ecclesia vel beneficium censeatur, distinguendum est. Si sermo sit de sede episcopali, censetur vacans quoadusque literæ apostolicæ de novo Episcopo promoto vel confirmato in curia Romani Pontificis non fuerint præsentatæ Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Idemque dicendum de sedibus abbatialibus, de prioratibus etiam regularibus, quorum provisio pertineat ad Sedem Apostolicam. Utramque dispositionem habemus in *extr. 1ª. De elect. inter comm. § Præsenti,* in qua decernitur, Episcopos aut alios prælatos electos aut confirmatos in curia Pontificis non posse absque literis Apostolicis accedere ad suas Ecclesias, et administrationem bonorum suscipere, nec ab aliquo recipi posse, et obedientiam exigere ante ostensionem literarum ipsarum. Hanc dispositionem renovavit et explicavit Pius IX. in *Const. Rom. Pontifex* edita *V. kal. Sept. 1873,* cujus summam exhibuimus in tit. *De elect.,* cum ageremus de juribus electi ad prælaturam vacantem.

3. Quod si agatur de aliis beneficiis quorum collatio aut confirmatio non perficitur in curia Pontificis, vacare censentur quoadusque eorum titulus et possessio non fuerint a Prælato jurisdictionis collata.

4. Sede autem vacante nihil est innovandum. Ecclesia enim æquiparatur minori *c. 3. De in integrum restit.*, quæ proinde curatore suo indiget seu legitimo defensore, qui alius non est, quam rector illius. Quare sedes vacans censetur carere defensore suo *c. 1. h. t.* Cum vero iniquum censeatur, pupillum vel minorem præjudicium tolerare debere ob tutoris vel curatoris deficientiam; hinc a jure ecclesiastico, sede vacante interdicitur innovatio ex qua sequi possit præjudicium Ecclesiæ: scilicet interdicitur innovatio per quam status Ecclesiæ innovatur aut jura ejusdem lædantur. Quare ex. gr. in *c. 1. h. t.* sede vacante prohibitum est, quominus monasterium unitum Ecclesiæ cathedrali ab ea separetur atque iterum sub regimen abbatis sui restituatur.

5. Pariter statutum est, ut sede vacante tempus inceptum præscriptionis contra Ecclesiam non decurrat *c. 4. et c. 15. De præscr.* Sub vero eadem prohibitione ne aliquid innovetur, comprehenditur etiam quidquid præjudicium affert successori. At cum hæ dispositiones a sacris canonibus inductæ sint in similitudinem juris civilis, hinc concludunt doctores, ob paritatem conditionis Ecclesiæ et pupilli, valere illas innovationes quæ in evidens emolumentum redundant Ecclesiæ vacantis. Scilicet Ecclesiæ vacantis conditio melior reddi potest non vero deterior. *§ 1. Inst. de auctoritate Tutorum.*

6. Quæritur a quo et quomodo sedes vacans regatur. Cum in titulo nomine sedis vacantis veniat præcipue sedes episcopalis, hinc quæstio hæc reducitur ad administrationem diœceseos. Cum vero ex dispositione sacrorum canonum sede vacante jurisdictio episcopalis devolvatur ad capitulum, et hodierno jure *sess. 24. c. 10. de Ref. in Tridentino* ad vicarium capitularem, quæstio eo reducitur, ut determinetur quid possit vicarius capitularis sede vacante. Responsio generalis exhibetur in *capp. 11. et 14. De Major. et obed.* et in gl. ibi, clarius autem traditur in *cap. un. eod. tit. in 6°.* Videlicet Vicarius capitularis Capitulum repræsentans succedit Episcopo in iis omnibus, quæ sunt episcopalis jurisdictionis ordinariæ et necessariæ, exceptis illis negotiis et juribus, quæ expresse prohibita sunt in sacris canonibus. Quænam vero sint hujus juris-

dictionis capita et quæ sint limitationes explicavimus in *lib. I. in tit. 28. De officio Vicarii,* dum egimus de auctoritate Vicarii Capitularis.

7. In specie vero aliquid dicendum est de judiciis circa negotia, vel jura Ecclesiæ vacantis. Cum Ecclesia vacans carere censeatur proprio et legitimo defensore; hinc sede vacante non solum non potest inchoari novum judicium, sed nec fieri potest prosecutio judicii jam incepti, sive Ecclesia partes habeat actoris sive rei conventi *c. ult. h. t.* Hinc sententia lata contra Ecclesiam vacantem non sustineretur arg. legis *Acta S. S.* § *ult. De re judicata,* quæ id statuit in causa minorum. Prosecutio vero judicii fieri potest quoties periculum sit in mora. Sic audiri possunt testes quando sunt senes, vel in periculo versantur mortis non remotæ. Sic etiam judicium institui aut continuari potest cum Ecclesia prævideatur esse diu vacatura. At semper in casu litis debet constitui Ecclesiæ curator seu legitimus defensor, qui rationes et jura Ecclesiæ sustineat. Defensor autem hujusmodi pro Ecclesiis cathedralibus a Romano Pontifice constituendus erit juxta probatissimos doctores, pro minoribus vero beneficiis ab Ordinario debet constitui.

Titulus X.

De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.

1. A primis Ecclesiæ temporibus licet agnosceretur potestas episcopalis supra presbyteris quibus poterant Episcopi imponere leges, tamen mos invaluit, ut Episcopi præsertim in rebus gravioris momenti presbyterorum sententiam exquirerent. Sic ex. gr. cum ageretur de assumendis ad ordines. Hinc cœtus presbyterorum appellabatur Senatus Ecclesiæ. Ita Origenes in *Matth.* Ita S. Hieronymus *lib. 2. in c. 3. Isaiæ.*

2. Antea omnes clerici diœceseos constituebant hunc senatum, at processu temporis aucto numero clericorum necnon diœcesis protractis limitibus, non poterant frequenter adire ad Episcopum clerici omnes Diœcesis. Hinc cœtus Episcopo assistens conflabatur ex clericis civitatis episcopalis. Deinde senatus Episcopi constitutus est ex solis canonicis Ecclesiæ cathedralis, qui cum peragerent cum Episcopo majora negotia totius diœceseos majori cœperunt dignitate pollere præ aliis clericis diœcesis, et constituere visi sunt unum corpus, cujus caput erat Episcopus. Ex quo patet

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cur inducta sit regula juris communis, ut sede vacante, jurisdictio episcopalis Capitulo committeretur.

3. Pro tituli intelligentia animadvertenda sunt duo. 1°. Nomine prælati præcipue venit Episcopus, et nomine capituli venit capitulum Cathedralis Ecclesiæ. Verum quæ simul de Episcopo et ejus Capitulo dicuntur applicanda sunt etiam Abbatibus, et eorum Monasteriis, necnon Collegiatis Ecclesiis, et eorum præpositis.

4. 2°. Animadvertimus consensum tunc revera locum habere, quando capitulares per suffragium de negotio cum Prælato deliberant, ita ut prælatus sub pœna nullitatis actorum teneatur sequi sententiam collegii, cujus ipse caput, et præses existit, idest majoris partis collegii. Hoc in casu Canonici dicuntur habere suffragium deliberativum.

5. Hinc consensus differt a consilio. Nam licet prælatus aliquando debeat pro expediendo facilius, et tutius aliquo negotio, exquirere mentem, et animadvertiones capitularium, tamen non tenetur consilium datum amplecti et sequi. Hoc in casu Capitulares habere dicuntur votum consultivum. Huc referuntur *c. 7. De arbitris* et *c. 1. De capell. Monach.*

Quæritur quæ fiant a prælatis sine consensu capituli?

6. Generica responsio est, ut dicamus Episcopum absque capituli consensu, jure decretalium inspecto, ea negotia peragere potuisse quæ ordinaria sunt, idest pertinent ad quotidianam diœceseos administrationem vel a jure gravissima non reputantur. A jure enim constitutum est, ut Capitulum Episcopum efficaci assistentia, et opere coadjuvet in regimine totius diœceseos. Episcopus namque et canonici censentur unum corpus constituere cujus caput est Episcopus, membra vero canonici, *c. 4. h. t.* Hinc ex sensu contrario Episcopus non poterit in negotiis, quæ in jure gravissima reputantur absque capituli sui consensu procedere.

7. Inter vero hæc negotia gravissima ea adnumeranda non sunt in quibus Episcopus procedit potestate non ordinaria sed delegata. Nam in delegatione censetur electa industria personæ Episcopi cui commissum est negotium expediendum. Hinc pariter excipi debent negotia quæ licet in se inspecta sint gravissima tamen ob periculum in mora differri ad ulteriora tempora nequeunt, et interim Capitulum convocari nequeat ob particulares temporis circumstantias. Ex. gr. si capitulares grassante peste in civitate non commorentur.

8. At quæ negotia in specie requirunt Capituli consensum? 1um est alienatio rerum immobilium vel mobilium prætiosarum pertinentium ad Ecclesiam, vel Capitulum *c. 1. h. t.* 2°. Requiritur consensus Capituli quando contrahenda est obligatio ab Ecclesia ex. gr. ex deposito, fidejussione, aut mutuo *cap. 1. De deposito. 4. De fidejuss. et c. 2. De location.* Verum quoad duo exposita capita res immutata est per const. *Ambitiosæ* Pauli II. de qua sermo erit in *tit. De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.* 3°. Cum agitur de collatione, vel præsentatione ad beneficium quod conferre, aut ad illud præsentare ex speciali lege beneficii Episcopus nequeat absque capituli consensu *c. 6. h. t.* 4°. Cum sermo sit de suppressione Canonicatuum aut unione beneficiorum perficienda propter tenuitatem præbendarum in Ecclesia Cathedrali, vel in Collegiatis insignibus *sess. 24. c. 16. de Ref.* Cui concordant *capp. 8. De const. et 33. De præb. in 6.* 5°. Si extra sacram visitationem procedendum sit ad applicandam pœnam contra clericum pertinentem ad Capitulum exemptum sive Ecclesiæ Cathedralis, sive Ecclesiæ collegiatæ, quo in casu Episcopus procedere debet cum duobus membris Capituli ab eodem capitulo designatis. Ita in *c. 6. sess. 25. de Ref.* Conf. Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. 13. c. 9. n. 6.* ubi refert plures resolutiones S. Congr. Conc.

9. Quæsitum insuper est pluries a S. Congregatione Concilii utrum sine consensu capituli Episcopus possit indicere Synodum Diœcesanam, vel edere in Synodo posset constitutiones pro sua diœcesi sine consensu Capituli, et responsum est posse utique indicere Synodum diœcesanam absque consensu et consilio Capituli. Relate vero ad constitutiones in Synodo edendas respondit S. Congregatio Conc. Episcopum requirere debere consilium Capituli, non teneri autem obligatione, illud amplecti et exequi. Referuntur hæ resolutiones a Benedicto XIV. *De Syn. l. XIII. c. 1.* Concordat *c. 5. h. t.* Tenetur insuper exquirere consilium Capituli Episcopus in destitutione et institutione clericorum in Ecclesia sua *c. 4. h. t.* necnon in corrigendis et puniendis clericorum defectibus *c. 5. h. t.*

10. Hac vero in re animadvertendum est, hæc de jure communi vera esse; at plurimum attendendam esse locorum consuetudinem qua fieri potest ut Episcopus contra capitulum præscribat jura liberæ administrationis qua non teneatur exquirere sive consensum sive consilium Capituli. Hæc theoria ex *c. 6. h. t.* in quo consuetudo hæc dicitur præscriptiva jurium liberæ administrationis,

et valida dicitur. Concordat *c. 3. De consuet. in 6°.* et *c. 31. in fin. De elect.* Quare in praxi regula servari potest quæ ex loci consuetudine inducta est. Conf. Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. 13. c. 1. n. 8. et seq.*

11. Adnotant autem auctores, titulum præsentem ferme recessisse a moribus hodiernis cum Episcopi fere omnia negotia soleant expedire sine consensu capituli *Conf. Giraldi Jus Pontif. part. 1. Sect. 432.* Verum haud facile admitterem consuetudinem contra ea, quæ in materia tituli præsentis decernit Conc. Tridentinum. Nam S. Sedes præsertim per organum S. Congregationis Concilii Episcopis jugiter inculcat observantiam legum tridentinarum.

Titulus XI.

De his quæ fiunt a majore parte Capituli.

1. Nomine capituli venit aliquando associatio omnium clericorum qui ad aliquam Ecclesiam pertinent, aliquando vero nomine capituli veniunt solummodo Canonici. Si capituli vocabulum ad sæculares clericos referatur illud sumimus in secundo sensu. Quod si vocabulum hujusmodi ad Regulares referatur, illos comprehendit, qui vocem habent, seu partem habent in exercendis juribus communibus familiæ religiosæ. Nomine igitur Capituli in sensu tituli si de Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis sermo sit, veniunt solummodo Canonici, nisi consuetudo, aut peculiares Ecclesiæ constitutiones aliter postulent. Ita auctores communiter innixi *c. 4. De his quæ fiunt a prælatis.* in quo traditur, Canonicos solummodo, qui fratres Episcopi appellantur, constituere unum corpus cum Episcopo. Hinc quoad suffragium edendum generaliter ad Capitulum non pertinent beneficiati, mansionarii, aliique inferiores clerici servitio Ecclesiæ addicti. Dixi *generaliter.* Nam ex lege peculiari alicujus Ecclesiæ aut ex consuetudine Beneficiati, aliique clerici possunt jus habere interveniendi capitularibus congregationibus, præsertim si massam communem habeant cum canonicis, et agatur de negotiis ad eandem massam spectantibus; quemadmodum censuit S. Congreg. Conc. in causa *Astensi diei 12. Julii 1682.* At ex ipsis canonicis in cathedralibus et collegiatis Ecclesiis et ex religiosis in regularibus Ecclesiis, illi quoad suffragium edendum capitulum solummodo constituunt, qui vocem habent in capitulo. Hinc qui in sacris ordinibus constituti non sunt, cum vocem non

habeant in capitulo ex *clem. 2. De Act. et Qual.* cui consonat *Tridentinum in c. 4. sess. 22. de Ref.* sub nomine capituli in sensu tituli non veniunt. Ex qua dispositione patet clericum saltem non subdiaconum neque ex aliorum concessione admitti posse ad suffragium edendum in capitulo.

2. Hisce præmissis, actus dicitur capitularis quando est positus ex deliberatione capituli legitime congregati. Quoad vero congregationem Capituli animadvertendum est, quædam capitula seu capitularium congregationes celebrari lege ordinaria, et solitis anni temporibus, pro negotiis ordinariis et quæ nimis ardua non sunt Alia vero extraordinaria esse, quæ celebrantur pro extraordinariis negotiis. Pro capitulis prioris generis specialis convocatio non requiritur, pro secundis vero convocatio necessaria est.

3. Convocare potest Capitulum Episcopus, et præter Episcopum convocat capitulum Decanus, aut is ad quem ex vi constitutionum capitularium vel consuetudine spectat. Hisce vero non extantibus, Capitulum convocat antiquior inter Canonicos. Vocari autem debent omnes Capitulares, qui in loco præsentes sunt et possunt ad capitulum accedere.

4. Aliquando citandi sunt etiam absentes. Doctores cum glossa in *c. 2. De testibus in 6°. v. Ipsorum* tres casus adsignant nempe 1°. cum electio prælati facienda est *cap. 42. De elect. et electi potest.* 2°. In electione novi Canonici et præbendarum collatione *c. 33. De præb. in 6°.* 3°. In decernenda cessatione a divinis *c. 8. De off. ordin. in 6°.* Quod si qui vocari debebat præteritus est, agere potest de spreto, ut quæ acta a capitulo sunt eo absente, rescindantur; *c. 36. De elect.* § *electionem.* Hinc per se hujusmodi acta capitularia valent *c. 28.* § *1. De elect.*

5. Ut vero ad celebrationem capituli procedatur, Canonistæ cum Abbate in *cap. Cum omnes 6. n. 13. De const.* et Fagnano in *cap. Cum ex injuncto 2. De novi operis num.* distinguunt duos casus. Primus est, quando Capitulum convocatum est ab eo qui jus habet convocandi. Hoc in casu vocatis omnibus qui debent vocari illi qui conveniunt, poterunt negotium expedire et absentes censentur uti contumaces, adeoque privantur pro illa vice jure suffragii edendi *c. 19. De elect. et arg. c. 21.* § *adjicimus de officio Deleg.*

6. Secundus casus est quando nemo adsit, qui jus habet convocandi capitulum, et hoc in casu necesse est ut saltem conveniant

ad capitulum binæ tertiæ partes Capitularium præsentium in loco capituli. Nam universitas non censetur sufficienter repræsentari nisi saltem binæ tertiæ partes membrorum simul concurrant. *L. nulli ex lege plane ff. Quod cujusque Universitatis nomine.* At exceptio facienda est, nisi complementum negotii urgeat, et periculum sit in mora. Quo in casu minor pars debet vocare alios, qui si non accedant, præsentes possunt decernere de negotio. Nequeunt enim præsentes jure suo privari ob aliorum negligentiam. Convocatis autem, et præsentibus Capitularibus negotium discutitur, et ex communi seu capitulari deliberatione finitur. Porro ut valor deliberationis capitularis rite determinetur duplex est distinguendus casus. 1°. Quando negotium quod discutitur tangit omnes uti singulos. 2°. Quando capitulares respicit in communi. Jam vero negotium tangit omnes uti singulos 1°. quoties agitur de remissione juris proprii et individualis quemadmodum verificatur quando designantur compromissarii ad eligendum prælatum quo in casu cum singuli habeant jus suffragii cedit quisque hoc jus alicui vel aliquibus personis. 2°. Quoties agitur de suscipienda obligatione prorsus voluntaria et indebita; sive obligatio hæc omnibus imponi velit, sive imponi velit uni aut aliquibus capitularibus ex. gr. contribuendi in aliquo pio opere libero. Hinc si agitur de negotio quod incidit jam sub dispositionem legis saltem in genere non censetur tangere singulos uti singulos sed ipsum capitulum. Exemplum habemus in *cap. 4. h. t.* in quo agitur de portione fructuum a canonicis cedenda ad reparandam Ecclesiam Cathedralem et regula traditur ut negotium expediatur quemadmodum expediuntur negotia quæ omnes in communi canonicos tangunt. Et ratio est, quia ex lege canonica capitulum ligatur obligatione reparandi Ecclesiam Cathedralem fatiscentem. *Cf. Pirrhing h. t. n. 8.*

7. Si sermo sit de prioris generis negotiis, idest de negotiis, quæ tangunt canonicos uti singulos, ut resolutio capitularis valeat, debet ab omnibus et singulis probari 'nam quod omnes tangit ab omnibus probari debet'. *Reg. 25. juris in VI°.* Hæc theoria certa est apud DD. qui citant etiam *cap. 6. De const.* Conferri possunt Pirrhing *h. t. not. 4.* circa *cap. 4. h. t.;* Fagnanus comm. ad *cap. 1. h. t. n. 12.* et Pignatelli *tom. 10. Consult. 82. n. 5. et 6.* Quare si major pars capituli alicui capitulario ex. gr. Decano vel Archidiacono onus aliquod imponere intendat quod non habebat, puta servitium altaris per turnum, decisio capituli non valet nisi ipsa

persona gravanda onere consensum præbeat. Et quidem si consensum præbeat, ipsa persona onus implere tenebitur, non autem successor ejus. Ratio est quia actualis possessor beneficii facto proprio non potest reddere pejorem conditionem successorum. Ex exposita theoria sequitur etiam, decisionem capituli infirmari ex unius tantum capitularis dissentione, quando negotium omnes uti singulos tangit, quemadmodum notat Pignatelli loc. cit.

8. Quod si negotium respiciat omnes in communi seu ipsum Capitulum, sufficit consensus majoris, et sanioris partis capituli; *capp. 1. et 4. h. t.* At quoadusque non probatur, majorem partem insano ductam esse consilio, semper præsumptio stat pro eadem parte majore, ut scilicet sit simul sanior. At in hoc etiam videnda est praxis singularum Ecclesiarum. Potest enim locum habere regula specialis ut numerus determinatus suffragiorum capitularium præsentium necessarius sit pro negotio expediendo quemadmodum ex. gr. verificatur de electione Rom. Pontificis, ad quem eligendum requiruntur binæ tertiæ partes suffragiorum Cardinalium in conclavi præsentium *c. 6. De elect.*

9. Inter ea, quæ a Capitulo constitui solent, quæque speciali mentione digna sunt, recensentur constitutiones capitulares, nec non decreta servitium chori et altaris respicientia. Et primo quidem Capitulum condere potest Constitutiones suas, quæ si fuerint ab Episcopo probatæ, veram legem efformant; ac proinde ligant etiam successores, et perdurant quoadusque non fuerint revocatæ vel reformatæ. Revocatio autem seu reformatio fieri debet a Capitulo cum consensu Episcopi, si fuerint ab Episcopo confirmatæ. Quemadmodum enim fert Reg. 1. Juris in Decret. Greg. IX. 'Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur'. Ob eandem rationem si Constitutiones capitulares fuerint a S. Sede in forma specifica confirmatæ, revocari aut corrigi nequeunt inconsulta eadem Apostolica Sede. Qua in re animadvertimus in Synodo romana *ann. 1725. tit. 2. capp. 4. et 5.* legem latam fuisse, qua cavetur, Capitula sive Cathedralium sive Collegiatarum Ecclesiarum suas Constitutiones intra sex menses condere debere, easque proprio Episcopo exhibendas esse confirmationis obtinendæ causa. Hæc autem dispositio extenditur ad omnia Capitula etiam extra Provinciam romanam existentia. Quare S. Congregatio Concilii sive in generalibus conciliis, sive in responsionibus ad rela-

tiones Episcoporum super statu Diœcesum, quoties occasio verificatur, solet inculcare ut præfatæ dispositioni pareant ea Capitula, quæ propriis constitutionibus carent. Potest insuper, uti diximus, Capitulum decreta condere, quæ internum regimen respiciunt, vel quæ moderantur servitium chori et altaris; at in his condendis non potest Capitulum lædere jus tertii quæsitum uti supra demonstravimus, nec obviare potest juri communi, aut Constitutionibus suis a Superiore confirmatis.

10. Ultimo loco quæritur an Canonici in electionibus sive ad aliquod officium in Capitulo sive ad aliquam præbendam seu Cappellaniam cujus collatio ad Capitulum pertinet, suffragium dare possint alicui consanguineo.

Responsio datur in lege *Illud* et in lege *Item Dig. Quod cujusque Universitatis* ubi Juris consultus hæc habet: 'Prodest suffragium patris filio, et filii patri, item eorum, qui in ejusdem patris potestate sunt: quasi Decurio enim illud dedit suffragium, non quasi domestica persona: in iis quippe, quæ juris publici sunt, præsumitur, quod magis ad bonum publicum moveatur, quam ex alia causa particulari affectionis'. Huic legi adhæsit S. Congregatio Concilii in quæstionibus sibi propositis. Sic ex. gr. in causa *Pisana diei 19. Sept. 1713*, cum ad præbendam vacantem a Capitulo conferendam concurreret clericus consanguineus cujusdam Canonici Del Bono, quæsitum fuit a S. Congregatione 'an Canonicus del Bono ab electione de qua agitur rejiciendus sit a ferendo suffragio in casu'. Sacra autem Congregatio respondit 'Negative'. Pariter in causa *Turetina diei 1. Martii 1834* proposito dubio 'An et quomodo jure suffragii gaudere debeant Canonici intra tertium gradum propinqui concurrentium ad Cappellaniam in casu', responsum fuit, 'Affirmative per orta secreta'. Idem tandem fuit sensus resolutionis ejusdem S. Congregationis in causa definita *die 28. Julii 1865.* (Acta S. Sedis Vol. I. pag. 162.)

At hæc theoria valet vi juris communis, quod non prohibet quominus ex Constitutionibus particularibus vel ex consuetudine legitime præscripta Canonici arceantur a suffragio edendo, quoties agitur de electione vel de negotio aliquo personæ vinculo sanguinis vel affinitatis sibi conjunctæ.

Titulus XII.

Ut ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

1. Rubrica tituli cum sensum habeat absolutum et præceptivum veram legem constituit. Consonat dispositio tridentina in *c. 5. sess. 25. de Ref.* ubi hæc statuit Concilium: 'Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa onera illis sunt injuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur'. Hæc in genere præmittenda erant.

2. Pluribus autem modis beneficia diminutionem possunt pati. De aliquibus jam sumus locuti in tit. 5°. nunc de tribus pertractandum remanet. Primus modus est, si manentibus pro Clerico iisdem juribus, et reditibus beneficii, nova quædam onera imponantur ex. gr. si beneficii possessori instituendo obligatio imponatur legendi scripturam in Ecclesia, vel Missam celebrandi diebus et horis statutis. Inspecto jure communi et ordinaria œconomia, Episcopus, aut alius inferior quilibet collator non possunt nova onera imponere beneficio vacanti et futuro ejus successori. Hæc dispositio juris insinuatur in intentione canonum, et præsertim in *c. un. h. t.* Traditur autem in *c. 8. De consuet.* et in *c. 7. De Censibus,* in quo Conc. Lateran. III. decernit 'ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis prælatis novi census imponantur Ecclesiis nec veteres augeantur, sed libertatem quam sibi majores conservare desiderant minoribus suis bona voluntate conservent. Si quis vero aliter fecerit, irritum quod gerit habeatur'. Fagnanus autem com. *ad c. XI. De præb. n. 3.* refert S. Congregationem Concilii respondisse, non posse Episcopum novum onus beneficiis imponere in eorum collatione.

3. In specie autem habemus plures resolutiones ejusdem S. Congregationis in ordine ad onus celebrationis Missarum. Et primo quidem in *Pisaurensi 6. Aprilis 1647* (lib. *Decret. 18. pag. 231.)* S. Congregatio respondit: oppidensem oratorem obtinentem beneficium simplex in Ecclesia cathedrali pisaurensi cum onere celebrandi Missas duobus diebus cujuslibet hebdomadæ, et aliquibus diebus festis non posse cogi ab Episcopo pisaurensi ibidem celebrare vel celebrare facere certis diebus, et horis per eundem Epis-

copum pisaurensem præscriptis; sed tantummodo posse illum hortari ut celebret vel celebrare faciat'. Consonat resolutio in alia *Pisaurensi diei 17. Maji ann. 1633. (Decret. lib. 19. pag. 243.)* ubi S. Congregatio respondit 'Episcopum non posse cogere hujusmodi Capellanos ut missas celebrent, vel celebrare faciant certis diebus, et horis'. In *Florentina diei 18. Aprilis 1863.* eandem dedit S. Congregatio responsionem, quam dederat in 1ª Pisaurensi. — Eadem est resolutio in causa proposita *die 9. Decembris ann. 1865.* Concludi ergo potest ex lege generali, si in aliqua fundatione beneficii, vel Cappellaniæ non determinentur dies, et horæ quibus missa celebrari debeat, dum confertur beneficium, vel cappellania, non posse novo possessori imponi onus celebrationis perficiendæ certis diebus et horis, idest onus, quod in fundatione statutum non fuerat.

4. Attamen obstare videtur *c. 11. De præb.* in quo cum ageretur de onere Missæ quotidianæ imposito a canonicis Clerico cum eidem conferrent præbendam, Pontifex in genere approbat collationem hujusmodi cum onere adjecto. Ut hanc difficultatem solvant, nonnulli dicunt, ideo validam fuisse hanc oneris impositionem, quia eam probavit Summus Pontifex. At hæc responsio non arridet, quia Pontifex in casu agebat partes judicis, qui decernere debebat utrum agendi ratio Capituli legitima fuisset vel non. Potius cum aliis DD. dicendum est, regulam generalem esse, collatorem non posse novum onus imponere; at, necessitate cogente, onus hujusmodi imponere posse. Cum vero caput 11. citatum novis dispositionibus non fuerit abrogatum; hinc doctores et interpretes ajunt, ob necessitatem urgentem posse Episcopum beneficio vacanti honestum onus imponere, et a fortiori posse modificationem inducere in oneribus jam existentibus ut eorumdem implementum utilius Ecclesiæ resultet. Conf. Pasqual. *De Sacrif. Missæ q. 844. n. 11.* et Pitonius *de Controv. Patron. alleg. 100. n. 29.*

5. Secundus modus quo beneficia pati possunt diminutionem est, si in collatione solutio aliqua seu præstatio exigatur pro una vice vel ad aliquod tempus. Hæc pariter diminutio a canonibus prohibita est ceu patet ex capp. 9. *De off. Ord. in 6°.* et *40. De elect. in 6°.* Interdicitur etiam a Trid. in *c. 14. sess. 24. De Ref.* Ex qua dispositione Concilii patet prohiberi reservationes nec non promissiones, et compensationes in ipsa collatione, institutione, præsentatione etc., quæ juxta statuta capitularia vel consuetudinem fiunt favore capituli in quo novus canonicus vel bene-

ficiatus recipitur. Verba Conc. hæc sunt 'In pluribus Ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, et parochialibus ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis Ecclesiæ vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes, aut etiam quæ in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra interponantur. Hæc cum S. Synodus detestetur mandat Episcopis, ut, quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur aut ingressos eos qui simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant'. Concordat Constit. S. Pii V. *Durum nimis diei 31. Maji 1570.*

6. At ex concordantiis jurium præsertim in cit. loco Tridentini et *c. un. h. t.* § *ult.* inferunt auctores, posse Episcopum exigere partem fructuum beneficii vacantis in actu collationis, interveniente tamen necessitate, et ita, ut reservatio duret solummodo quoadusque necessitas perseveret. Causa autem legitima haberetur, si solvenda essent debita contracta nomine Ecclesiæ, vel si reparanda esset fabrica Ecclesiæ Cathedralis vel ejus Ecclesiæ in qua erectum est beneficium.

7. Conditiones vero sunt 1°. ut congrua portio ad honestam vitæ sustentationem relinquatur Clerico instituendo in beneficium. 2°. Ut consensus accedat eorum qui in beneficium interesse habent; quemadmodum essent electores, vel patroni. 3°. Ut reservatio fructuum fiat in collatione, sed nullo interveniente pacto vel conventione cum clerico cui beneficium confertur. Scilicet reservatio facienda est absolute absque ullo respectu ad personam clerici cui beneficium confertur; secus enim periculum esse potest simoniæ.

8. Quæritur quid dicendum sit de annatis vel mediis annatis, quæ exigi solent ab Apostolica Sede in collatione beneficiorum? Viderentur et hæ comprehendi sub lege explicata qua interdictum est ne aliquid recipiatur in collatione beneficiorum. Ipsæ enim solvuntur Cameræ Apostolicæ in ipsa expeditione bullarum, ita ut non expediantur litteræ Apostolicæ collationis et per consequens collatio vires non obtineat nisi fiat earundem annatarum solutio. Quare cum solutio annatarum induat indolem conditionis sine qua non, potest suspicionem gignere intentionis simoniacæ. At anna-

tarum solutio optime defenditur ab omni contraria animadversione. Nam nomine annatarum veniunt fructus primi anni quos ex beneficiis Sedis Apostolicæ reservatis percipit Camera Apostolica in expeditione Bullæ collationis beneficii. Antiquus est annatarum usus, et earum origo refertur ad Concilium Viennense anni 1311. De hisce sermo est in *extrav. 2. Suscepti Joannis XXII. De elect.* et in Concilio Constant. *sess. 40. diei 30. Octobris 1417.* Quod vero annatarum solutio non comprehendatur sub exposita prohibitione et quod ab omni labe simoniaca immunis est, innotescit si pauca considerentur. Sciendum est prohibitionem ut nihil exigatur in collatione beneficiorum inductam non fuisse præcise et absolute quia aliquid recipere in collatione beneficiorum sit simoniacum: nam si nullo interveniente pacto et ex legitima causa hoc aliquid exigatur, exactio prorsus licita esset ex disp. *cap. un. h. t.* circa finem. Jamvero hæc est sincera notio annatarum ut nempe ex legitima causa absque pacto aliquid exigatur. Nam revera primitus inductum fuit ut clerici beneficium adepti, vel per biennium vel per annum partem fructuum beneficii sui Romanæ Sedi impenderent ut ope horum fructuum Romanus Pontifex suæ honestæ sustentationi nec non S. R. E. Cardinalium decori consuleret, et ex hisce fructibus erueret unde necessitatibus Ecclesiarum et emergentibus eventibus præsertim bellorum cruciatorum provideret. In hac re Rom. Pontificem usum fuisse jure suo nemo est, qui non videat: si quidem per hanc dispositionem determinata fuit ratio qua clerici ex bonis ecclesiasticis concurrerent ut satisfacerent exigentiis universalis Ecclesiæ. Designati hinc fuerunt in variis regionibus Apostolici Commissarii qui a Clericis noviter de beneficio provisis annatas exigerent. Sed cum abusus frequenter in hac exactione obrepsissent tum ex parte Clericorum qui assecuti beneficia onus solutionis Sedi Apostolicæ non adimplebant, tum ex parte quorundam Commissariorum qui nimium forsan clericos vexabant, suumque potius quam Sedis Apostolicæ negotium curabant, Bonifacius IX. statuit legem ut annatæ anticipata solutione solverentur scilicet computatione facta fructuum beneficii in ipsa collatione, æqua portio fructuum Cameræ Apostolicæ solveretur. Ex qua notione patet annatas non haberi loco pretii concessionis beneficii, sed esse tributum quoddam ex justo titulo quod solvitur primæ Sedi, solvi autem in ipsa collatione beneficii ad evitandos abusus qui verificarentur si alius esset modus solutionis.

9. Animadvertimus hodie in collationibus beneficiorum exiguam esse prorsus quantitatem pecuniæ quæ titulo annatæ solvitur S. Sedi. Tandem Benedictus XIII. in Const. *Pius et Misericors IV. idus Maji 1725* quæque refertur in appendice Synodi Romanæ ejusdem anni præcipit, ut Episcopi in collationibus beneficiorum imponant clericis provisis annatas applicandas fabricæ Ecclesiæ cathedralis.

10. Tertius modus quo beneficium vacans diminutionem patitur locum habet cum portio fructuum separatur dispositione non precaria sed stabili, et constanti ita ut, manentibus integris privilegiis, et obligationibus, beneficium quoad fructus in plura dividi videatur. Separatio autem hujusmodi portionis fructuum vel efficitur per dismembrationem beneficii vel per pensionem alicui concessam supra beneficium ab altero possessum. De dismembratione locuti sumus in tit. 5. Nunc aliquid dicendum superest de Pensione.

11. Pensio est 'jus percipiendi certam portionem fructuum ex alieno beneficio auctoritate legitima, et justa interveniente causa alicui concessum'.

12. Cum sit jus percipiendi fructus de bonis Ecclesiasticis sequitur id posse lege communi concedi clericis solummodo, et laicos id assequi ex dispositione juris communis non posse. Quoad ætatem requisitam in clerico ut pensionem assequi possit nihil est determinatum in jure. Quare non requiritur ætas annorum 14 de qua in Tridentino pro assequendis beneficiis. Beneficium enim non est, sed requiritur ætas septennio major. Monacelli *tom. 2. tit. 14. Form. 7. n. 3.* cum aliis, et refert decr. S. Congr. Conc. in causa *Nullius 24. Martii 1627.*

13. Ex beneficio alieno constituitur, hinc revera titulum beneficii non constituit, scilicet beneficium non est. Attamen quia pensio est delibatio ecclesiasticæ substantiæ seu fructuum bonorum ecclesiasticorum in aliquibus æquiparatur beneficio. Nempe pensionarius 1°. tenetur quotidianam persolvere recitationem officii parvi B. M. V. nisi ex alio titulo teneatur ad recitandum divinum officium. *Constit. 135. S. Pii V. In Proximo.* 2°. Tenetur habitum, et tonsuram deferre si pensiones simul sumptæ excedant 60 ducata auri de Camera et actu eam summam percipiat, vel saltem per eum steterit quominus eam percipiat. Quod si hic pensionarius habitum clericalem dimiserit tanto tempore, quo ab omnibus reputetur uti

laicus, eo ipso absque ulla monitione, citatione, aut judicis decreto, vel ministerio pensionem amittit idest pensio ipsa extinguitur. *Const. Pastoralis Sixti V.* Conf. de Luca *de Pensionibus disc. 48. n. 7.*

14. Pensio dicitur separatio fructuum ad tempus, quia non separantur fructus a beneficio irrevocabiliter, sed ad certum tempus. Nihilominus pensio alia dicitur temporanea, alia perpetua. Temporanea est quæ imponitur potius personæ beneficium possidenti quam ipsi beneficio. Hinc pensio hujusmodi non gravat successores in beneficio.

15. Perpetua vero pensio ea est, quæ beneficio imponitur ita ut donec vivat pensionarius eidem semper sit solvenda pensio sive beneficium semper ab uno possideatur, sive alteri conferatur. Hinc pensio perpetua est quæ datur ad vitam pensionarii.

16. Quæstio proponitur quinam possit pensiones in beneficiis constituere? Legitima obveniente causa, Romanus Pontifex imponere potest pensiones tum temporaneas tum perpetuas, quippe qui in jure censetur habere plenariam de beneficiis ecclesiasticis dispositionem *c. 2. de Præb. in 6°.* et *Clem. 1. § ult. Ut lite pendente.*

17. Si vero sermo sit de aliis ordinariis collatoribus certum est apud omnes non posse ab iis imponi pensiones perpetuas; nam cum pensio perpetua ipsum afficiat beneficium penes quemcumque possessorem ea considerari potest ceu onus reale beneficii, seu diminutio beneficii ipsius, ac proinde pensio perpetua comprehenditur sub prohibitione ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. Conf. *c. 21. de Præb.*

18. Quod si sermo sit de temporanea pensione seu ad vitam clerici possidentis beneficium, quamvis in genere dici posset concessionem hujus pensionis subjici prohibitioni tituli præsentis, tamen communior Doctorum sententia est, ut Episcopus et alius collator ordinarius Papa inferior possint in favorem alterius ex justa causa pensionem temporaneam constituere super fructibus beneficii alicujus. Insinuatur hæc dispositio in *c. 21. de Præb.* in quo reprobatur expresse solum pensio perpetua et toleratur temporanea collata ab ordinario. Solent vero, si ex commendatione Episcopi fiat postulatio, pensiones temporaneæ confirmari a Sede Apostolica, ut perpetuæ fiant. Postulatio hæc exhibetur Datariæ Apostolicæ.

19. Ex hisce explicatis sequitur non posse auctoritate Episcopi aut alterius collatoris Pontifice inferioris admitti resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis in favorem resignantis supra beneficium, cui renunciat. Justa tamen obveniente causa, potest Episcopus in favorem Clerici resignantis constituere pensiones temporaneas seu duraturas ad vitam clerici, cui resignatum beneficium confert. *arg. c. 21. De præb.*

20. Si quæratur quibusnam beneficiis possint imponi pensiones, respondemus jure Tridentino in *sess. 24. c. 13.* ab onere pensionis eximi Cathedrales Ecclesias idest Episcopatus quorum reditus summam ducatorum mille, et beneficia curata, quorum reditus annui summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt. At accessit decretum Innoc. XII. *11. Nov. 1692.* publicatum per organum Datariæ, confirmatum deinde in Const. Bened. XIV. *Quanta, 15. Sept. 1724* quo prohibitum fuit ne ordinarii aut alii collatores Ecclesiarum Parochialium etiam jurispatronatus laicalis nullo modo prædictis Ecclesiis pensiones imponerent, et ne earundem resignationes admitterent cum reservatione pensionis favore cujuscumque et quovis titulo etiam alimentorum.

De translatione pensionum.

21. Translatio pensionis nihil aliud est nisi concessio pensionis vel in toto, vel in parte facta a clerico pensionario favore alterius clerici. Facultas transferendi pensiones tribui potest a solo Romano Pontifice ad exclusionem inferiorum collatorum, ceu tenet communis Doctorum sententia. Ratio est, quia nemo potest disponere de jure percipiendi fructus bonorum Ecclesiasticorum, qui ipsi concessi fuerint ad honestam sustentationem quoadusque vixerit. Unde pensionis assecutio de sui natura constituit jus personale, quod personam ipsam clerici pensionarii non egreditur.

22. Antiquitus commune erat collegiis, et officialibus Romanæ Curiæ privilegium transferendi pensiones. At Urbanus VIII. in Const. *Cum S. R. E. Cardinales, kal. Aprilis 1631* abolevit privilegium hujusmodi quoad omnes pensiones, exceptis solummodo S. R. E. Cardinalibus pro quibus illud sartum, tectumque servari voluit. Per Constitutionem vero *'Inter gravissimas' 8. Sept. 1636.* idem Pontifex etiam Cardinalibus illud privilegium abstulit. Verum Innocentius XI. in Const. *'Circumspecta' 7. Febr. 1678* revocavit

Const. *Inter gravissimas* Urbani VIII., et concessit S. R. E. Cardinalibus facultatem transferendi solummodo medietatem pensionis vel pensionum quas possident.

Præterea ex speciali concessione Summi Pontificis solet competere etiam aliis, et præsertim Conclavistis facultas transferendi pensiones. At regula jugiter servatur Constitutionis *'Circumspecta'* ut nempe non ultra mediam partem pensionum translatio fiat. Et quidem si translatio facta fuerit ultra terminos in citata constitutione, vel in concessione indulti definitos, valet solummodo pro quantitate a Pontifice constituta. Conf. Card. De Luca *De Pensionibus Disc. 66.* et Ferrari *Biblioth. Canon. v. Pensio n. 82.*

23. Fieri autem potest translatio pensionis etiam in articulo mortis, ceu patet ex indultis quæ solent concedi. Quare relate ad pensiones non militat Regula Cancellariæ Apostolicæ *De infirmis intra 20 dies morientibus.*

24. Forma servanda in translatione est, ut fiat per actum Notarii coram persona aliqua in dignitate constituta, vel saltem coram canonico Cathedralis Ecclesiæ et testibus, et quidem pensionarius debet Notario exhibere indultum Pontificis, ex quo resultet facultas translationis faciendæ. Cardinales vero ab hac obligatione eximuntur, et valet translatio pensionis ab iisdem facta coram solo Notario et testibus. Monacelli in suo *formulario tom. 2. tit. 14. Form. VII.* exhibet formulam translationis. Cum vero tempore pestis difficile possit haberi copia personæ in dignitate constitutæ et Notarii, hinc Alexander VII. in Const. *'In supremo' 18. Sept. 1656.* decrevit ut, grassante peste, quilibet sacerdos sæcularis vel regularis in translatione pensionis supplere possit vices Notarii et sufficiant duo testes. Voluit vero ut testes tres esse debeant; si sacerdos, qui supplet vices Notarii sit ille idem, in quem pensio transfertur.

25. Quæritur: Quomodo pensiones sunt solvendæ?

Resp. Servanda est lex constituta in Litteris seu Bullis collationis pensionis. Hinc 1°. solutio fieri debet statis temporibus in Bulla designatis; 2°. integre est solvenda pensio absque compensatione onerum, quæ imponantur a publica auctoritate sive ecclesiastica sive civili. Edicitur enim in bulla, ut integra solvatur pensio. Regula hæc legitima est: nam ex una parte pensionarius non possidet beneficium; hinc oneribus beneficii nequit gravari, ex altera autem parte cum conceditur pensio, Superiori notæ sunt

beneficii vires, et detractio pensionis a beneficii fructibus ita fit ut consideratis etiam futuris probabilibus eventibus congrua, et sufficiens portio beneficiato remaneat.

26. Attamen, in pejus mutatis conditionibus Ecclesiæ in Italia præsertim quoad beneficia, alia regula adoptari cœpit. Postquam scilicet ob nova vectigalia valde imminuti sunt reditus beneficiorum, S. Sedes, rebus perpensis, decretum edidit die *28. Jan. 1871.* per Congr. Episc. et Regularium quod incipit *Cum nuperrimis* in quo pro Italia statuitur 1°. ut amissio vel minutio redituum in communi beneficiarios, et pensionarios afficiat, nullo facto discrimine inter ipsa beneficia et pensiones, ita ut minutis reditibus vel amissis, imminuantur pro rata, vel cessent pensiones. 2°. Pro Cathedralibus vero Ecclesiis idest pro mensis episcopalibus, et pro Ecclesiis parochialibus pensionum oneri subjectis integra semper servetur congrua ad formam Tridentini. Præterea declaratur 1°. ut quodvis dubium vel quæstio inter beneficiarios et pensionarios unice sit cognoscenda a Congreg. Episc. et Regularium nec non de bono et æquo dirimenda. 2°. Ut si clericus aliquis ordinatus titulo pensionis remaneat privatus partim, vel omnino sacro patrimonio ob executionem normæ in Decreto expressæ, nullam suspensionem incurrat nec pœnis ecclesiasticis sit obnoxius.

3°. Ut si ante decreti emanationem aliquæ pensiones vel in toto vel in parte solutæ fuerint in majori quantitate, quam ea quæ in Decreto constituitur, nullum jus ex eo oriatur ad easdem pensiones veluti indebitas repetendas, aut in ratas futuras supputandas.

27. Quoad hoc decretum adverto 1°. rationem ejus fundamentalem in eo esse positam ut verificetur notabilis seu gravis diminutio redituum beneficii. Porro ut hæc rite computetur attendendus est status beneficii cum pensio collata fuit. Hinc si ob quascumque rationes vel circumstantias beneficium aliquod non fuerit passum hanc diminutionem norma decreti nequit a beneficiario contra pensionarium invocari, sed beneficiarius tenetur onera, seu taxas solvere. In facto habemus resolutionem Congregationis *die 20. Sept. et 28. Oct. 1878.* cum Capitulares Vaticanæ Basilicæ pensionariis in pensionibus solvendis vellent detrahere onera civilia proportionaliter. Quæstio proposita, et agitata fuit in Congregatione, rationibus utriusque partis expensis. Cumque Eminentissimus Archipresbyter retulisset beneficia Ecclesiæ ab

anno 1871 ad 1874 magnam passa fuisse imminutionem ob taxas civiles et hanc pro annis subsequentibus disparuisse, S. Congregatio ad dubium 'an pensionarii reintegrari debeant in damnis hactenus sibi illatis signanter per taxam *di ricchezza mobile del 13 e* $^1/_2$ % a Capitularibus retentum in casu', respondit: quoad annos a 1871 ad 1874 inclusive, *negative:* quoad posteriores *affirmative.*

28. 2°. Adverto: quando pensionarii recurrunt ad Congregationem si agatur de pensionibus impositis Ecclesiis parochialibus, S. Congregatio committere solet Curiis episcopalibus respectivis officium expendendi et æstimandi annuos reditus parœciæ, ut salva maneat, et incolumis congrua parochialis juxta Tridentinam regulam. Hoc posito quomodo hæc congrua computanda est? Principium traditum a Doctoribus, et a tribunalibus Ecclesiæ receptum exhibet hanc regulam 'ut illa sit certa, et determinata'; inservire enim debet honestæ Rectoris sustentationi: hinc adagium: venter pendere non debet ab incerto, venter enim dilationem non patitur.

29. Hoc posito certum est congruam ex reditibus certis parœciæ resultare debere. Quoad incerta emolumenta, alia habent fundamentum fixum quæque certa dici possunt generice seu quoad genericam perceptionem in singulis annis, quamvis incertum sit quid reapse percipiatur. Unde certa dicuntur quoad qualitatem non quoad quantitatem ex. gr. decimæ præstatio prædialis in quarta vel quinta parte fructuum fundi. Ista emolumenta absque dubio sunt computanda. Alia non habent fundamentum fixum, et reale sed pendent vel ab eventibus possibilibus ex. gr. funera, benedictiones etc. vel ab omnimoda fidelium liberalitate.

30. In genere autem a DD. ista emolumenta dicuntur incerta tum quoad qualitatem tum quoad quantitatem. Attamen agentes de congrua debita Vicario Curato qui actualem curam gerat vice et nomine corporis moralis juxta regulam traditam a S. Pio V. in Const. '*Ad exequendum*' distinguunt DD. emolumenta quæ ab absoluta fidelium liberalitate pendent, et quæ pendent a perceptione Sacramentorum et ex funeribus; prima nullimode computari possunt in congrua, altera vero aliquam certitudinem habent, nam ut notat De Luca *De Parochis Disc. 18. n. 12.* nequit populus non nasci, non mori, non baptizari, matrimonia non contrahere; hinc ista emolumenta, inspecta media quadam proportione annorum præcedentium, approximative determinari possunt, et in congrua sunt

computanda. V. Giraldi *p. 1. De potestate Parochi c. 2. n. 154.* De Luca *De Beneficiis Disc. 90. n. 72.* Hanc regulam in præsenti nostra materia sequitur S. Congr. Episc. et Reg.

31. Quæritur quomodo cessent pensiones.

1°. Quoad temporaneas, eo ipso quo persona provisa cessat a jure possessionis beneficii, cessat jus pensionarii. 2°. Quoad perpetuas hæ durant quoadusque pensionarius moriatur vel renuntiet tacite vel expresse juri suo, aut indignus habeatur a jure privilegio pensionis. Cessant ergo 1°. morte pensionarii; 2°. ejus renunciatione expressa; 3°. per ejusdem matrimonium: quamvis enim canonica legislatio minores conjugatos admittat quoad privilegia canonis, et fori, quoad reliqua, uti vidimus supra in tit. *De clericis conjugatis* illos comparat laicis; 4°. si pensionarius militiam voluntarie ingrediatur, et monitus non recedat, dixi voluntarie: requiritur enim in illo præsumpta voluntas renunciandi; 5°. si professionem religiosam emittat in aliquo ordine regulari ab Ecclesia approbato *c. 4. de Reg. in 6°.* Quid si emittat solum vota simplicia? Jure Decretalium non agnoscebatur nisi professio votorum solemnium, et aliquem fieri monachum idem erat ac religionem solemniter et in perpetuum profiteri. Hinc incompatibilitas inducta a jure antiquo inter facultatem possidendi pensionem et statum religiosum respicit religiosos emittentes vota solemnia. Revera Card. de Luca *De Reg. disc. 62. n. 12. et Adnot. ad Conc. Trid. disc. 13. n. 6.* tamquam de re certa loquitur et tradit alumnos societatis Jesu post simplicem professionem trium votorum, et ante professionem solemnem quarti voti posse pensiones retinere: a pari ergo in congregationibus regularibus ubi simplicia vota emittuntur, et in antiquis ordinibus religiosis post emissionem votorum simplicium religiosi poterant pensiones possidere. Hoc tamen doctrinaliter dictum sit: nam positivam resolutionem non habemus. 6°. Extinguitur pensio si clericus reus fiat criminis hæreseos, vel læsæ Majestatis, vel percussionis Cardinalium aut Episcoporum in quorum Diœcesi pensio possidetur *c. 9. de hæret.* et *c. 5. de pœnis in 6°.* et *Clem. 1. de pœnis;* 7°. si clericus pensionarius obtineat beneficium pensione gravatum, et illud possideat; quia tunc omnes fructus percipit beneficii; 8°. si clericus promoveatur, et possideat Episcopatum residentialem nisi ex indulto speciali Rom. Pontificis facultatem obtineat retinendi pensiones. Hoc indultum si petatur concedi solet. Excipiendi sunt Episcopi Suburbicarii; ita S. Congr.

particularis deputata ab Alexandro VII. apud De Luca *De Pension. disc. 56. n. 10.* et Episcopi titulares De Luca *De Pension. Disc. 43. 58. et 75.*

32. Tandem animadvertimus pensionem nec vendi posse nec locari ad longum tempus. Ratio est, quia pensiones nihil aliud sunt quam portiones fructuum bonorum ecclesiasticorum quorum venditio et locatio ultra triennium absque beneplacito Apostolico vetita est a Paulo II. in Const. *'Ambitiosæ' inter Extrav. comm.* in tit. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Præterea præstat referre dispositionem Benedicti XIV. in Const. *'In sublimi' IV. Kal. Sept. 1741.* Scilicet cum aliqui clerici beneficium possidentes ea resignabant cum reservatione pensionis approbante Summo Pontifice, sed eodem tempore pactum privatum inibant extinguendi pensionem, mediantibus quibusdam anticipatis solutionibus; Benedictus hæc pacta tamquam injuriosa S. Sedi, et injusta, et vilia condamnat, et irritat; necnon irritat extinctiones pensionum annuarum per unam tantum simul anticipatam solutionem, jubetque hanc solutionem restitui, simulque tam resignantes quam resignatarios ad beneficium possidendum, et ad accipiendam pensionem inhabiles reddit.

Titulus XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

1. Alienatio, si stricto sensu sumatur, secumfert ideam transitus rei de uno in alium dominum. In sensu tituli nomine alienationis lata significatione accipitur ut scilicet exprimat actum, quo in alium transfertur dominium sive plenum, sive solummodo directum aut utile, aut etiam usufructus, aut jus quoddam rerum Ecclesiæ; etiam jus hypothecæ, *c. 5. h. t.* Hinc nomine alienationis prohibitæ veniunt contractus ex quibus fieri pejor conditio posset Ecclesiæ, et induci posset amissio alicujus juris. Proinde sub hoc nomine veniunt donatio, venditio, permutatio, constitutio pignoris et hypothecæ concessio in feudum vel emphyteusim, transactio vel centio super rebus Ecclesiæ.

2. Ecclesiæ nomen pariter in sensu lato accipitur ita ut significet non solum locum, in quo cultus Deo præstatur sed quodcumque religiosum institutum, auctoritate ecclesiastica erectum, ad opera religionis vel charitatis destinatum. Hinc nomine Ecclesiæ

in sensu tituli veniunt hospitalia, xenodochia auctoritate Ecclesiæ erecta, Monasteria, Congregationes, et collegia ecclesiasticarum personarum.

3. Nomine rerum quæ sub rubrica tituli cadere possunt, veniunt res pretio æstimabiles. Excluduntur igitur res mere spirituales, prout sunt jura sacra, aut res, quæ ob religiosam indolem et naturam extra commercium positæ sunt et pretio non æstimabiles, quemadmodum sunt reliquiæ Sanctorum.

4. Quæ vero pretio æstimari possunt, et corporales seu temporales dicuntur 1°. aliæ sunt immobiles aliæ mobiles vel se moventes. Nomine rerum immobilium veniunt prædia, fundi et jura vel servitutes reales, quæ fundis adhærent.

Res mobiles aliæ sunt quæ servando servari possunt, aliæ quæ servando servari non possunt, quæque scilicet ad modicum tempus, idest non ultra triennium solummodo possunt servari, et inde corrumpuntur ex. gr. fruges, et arborum fructus, aut res mobiles quæ usu consumuntur et non fructificant. Conf. Fagnan. in *c. 5. h. t. n. 23.* Insuper res mobiles aliæ sunt pretiosæ, aliæ vero non. Pretiosæ sunt quæ vel thesaurum Ecclesiæ constituunt, vel singularis splendoris, et ornamenti causa sunt pro eadem. Hinc quædam res dicuntur pretiosæ ob quantitatem vel qualitatem materiæ, ex qua constant ex. gr. lapides qui pretiosi dicuntur, notabilis quantitas seu pondus argenti vel auri. Quædam vero res dicuntur pretiosæ ob celebritatem operis et artificis famam ex. gr. elaborata incisio, pictura perillustris auctoris. Se moventes etiam possunt in pretiosas dividi et non pretiosas. Pretiosæ habentur quæ vel ex quantitate vel ex fructu quem ordinarie referunt, divitias Ecclesiæ constituunt. Sic ex. gr. dum ovis non est res pretiosa tamen grex totus est res pretiosa et magnum valorem præ se fert, et ex eo diuturnum emolumentum fructusque annuos percipere solet Ecclesia.

5. Si quæratur utrum pecuniæ quantitas ceu res pretiosa haberi debeat vel non, respondendum est regulariter pecuniam non comprehendi sub censu rerum pretiosarum quia reposita nullum affert fructum. At si pecunia numerata sit in magna quantitate ac proinde considerari possit ceu thesauri pars notabilis designata pro rebus immobilibus comparandis, vel Ecclesia ædificanda aut reparanda, etiam ipsa pecunia inter res mobiles pretiosas adnumeratur *arg. l. 3. ff. de contraria tutela, vel utili actione.*

6. Res pariter immobiles in duas classes dividuntur, ut aliæ exigui, aliæ magni valoris esse dicantur. Exigui valoris sunt quæ comprehenduntur in celebri can. *terrulas 53. c. 12. q. 2.* quæque alienari poterant ex veteri jure a Prælatis sine consensu Capituli. Ex practica interpretatione, res hujusmodi illæ dicuntur quarum valor 25 scutata aurea de camera non excedit, scilicet scutata antiquæ monetæ Romanæ 41 idest francos 220,37. Communiter vero harum rerum valor protenditur ad 50 scutata antiquæ monetæ romanæ idest fr. 268, 75. ita scilicet ut prædia et aliæ res immobiles dicantur exigui valoris, quæ hunc pecuniæ valorem non excedunt. Quæ vero excedunt appellantur magni valoris.

7. Quæritur, quænam regula servanda sit in alienatione rerum Ecclesiæ?

Intentio juris nostri est ut res Ecclesiæ conserventur ne divinus cultus, et decus Ecclesiæ imminuatur, ne ministri sacri careant necessaria et honesta sustentatione, et ne desint media pro pauperibus sublevandis. Hanc conservationem tueri volens canonicum jus in genere prohibet alienationem bonorum Ecclesiæ *c. 5. h. t.* cujus prohibitionis ratio desumitur etiam ex periculo ne aliqui administratores quærentes magis quæ sua sunt quam quæ sunt Ecclesiæ patrimonio ejus præjudicium inferrent.

8. Verum ab ipso jure alienatio bonorum Ecclesiæ aliquando permittitur. In genere autem in hac alienatione a jure duo requiruntur: 1°. Causa legitima; 2°. solemnitas quædam. Causa autem esse potest necessitas vel Ecclesiæ utilitas *can. Terrulas caus. 12. q. 2. et cap. 8. h. t.* § *Possessiones.* Ex canone autem *70. Aurum caus. 12. q. 2.* deprehendimus pro rebus mobilibus Ecclesiæ immo etiam pro vasis sacris alienandis causam esse posse ipsam pietatem, seu caritatem pro redimendis captivis et pro sublevandis pauperibus fame pereuntibus. Solemnitas vero est modus procedendi a jure statutus, et servandus in alienatione.

9. In omnibus alienationibus rerum Ecclesiæ legitima causa requiritur. Quid vero dicendum de solemnitate?

1°. Si sermo sit de rebus mobilibus, quæ servando servari non possunt absque ulla solemnitate juris possunt alienari, et ordinarie nisi Episcopus aliter disposuerit, eas res alienat ipse rector vel administrator Ecclesiæ. 2°. Rerum mobilium non pretiosarum, et immobilium exigui valoris dispositio penes Ordinarios locorum residet. Hinc absque alia solemnitate juris alienatio harum rerum ab Epis-

copo ex justa causa fieri potest. *Can. Terrulas c. 12. q. 2.* cujus hic est tenor: 'Terrulas aut vineolas exiguas et Ecclesiæ minus utiles aut longe positas, parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem'. 3°. Si sermo sit de rebus immobilibus non exigui valoris, vel de mobilibus aut se moventibus pretiosis, non solum causa requiritur aliqua ex dictis, sed et solemnitas juris ut alienatio viribus consistat.

10. Ex antiquo jure decretalium expresso in *c. 8. h. t. § ult.* et *c. 1. De his quæ fiunt a prælatis,* et *can. 52. sine exceptione c. 12. q. 2.* solemnitas hujusmodi erat ut in alienationibus harum rerum Episcopus exquirere deberet consensum Capituli, qui consensus daretur a majori, et saniori parte. Hinc nec Episcopus sine consensu Canonicorum nec Abbas sine consensu Monasterii poterat alienare res immobiles non exiguas aut mobiles pretiosas. Porro consensus hujusmodi jure decretalium exquirendus erat a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, quando agebatur de rebus, quæ ad capitulum ipsum, vel ad mensam Episcopi, licet a bonis capitularibus separatam, pertinebant, vel quando ipse Episcopus volebat disponere de rebus Ecclesiarum inferiorum arg. *c. 1. h. t.* Ratio est quia jus antiquum Episcopo diœcesim administranti adjutorem constituebat Capitulum Cathedralis Ecclesiæ. Verum si agatur de alienatione rei pertinentis ad Ecclesiam inferiorem, quam alienationem peragebat Prælatus inferior cum Capitulo suo vel Rector Ecclesiæ quæ carebat Capitulo non requirebatur consensus Capituli Cathedralis Ecclesiæ, sed requirebatur, et sufficiebat auctoritas Episcopi approbantis alienationem arg. *can. Abbatibus c. 2. q. 1.* et *Clem. 1. h. t.*

11. Quidquid sit de hac solemnitate, quæ ex dictis in tit. X. hujus libri præscribi potest ab Episcopo contra Capitulum, introducta est a Bonifacio VIII. in *c. 2. h. t. in 6°.* nova solemnitas et confirmata a Paulo II. in *Extrav. 'Ambitiosæ' un. h. t. inter Comm.* ut scilicet pro alienandis rebus immobilibus non exigui valoris, et rebus mobilibus aut se moventibus pretiosis requiratur venia Romanæ Sedis, idest beneplacitum Apostolicum. Hæc dispositio communis est non solum pro bonis Ecclesiarum sæcularium sed etiam respicit bona Ecclesiarum regularium. Animadvertendum autem est, aliquas familias religiosas privilegia obtinuisse pro necessitate vel utilitate Monasterii alienandi etiam bona immobilia absque venia Romanæ Sedis et Ordinarii localis; sed ob ab-

usus deinde hæc privilegia revocata fuisse ita ut intra Europam religiosæ familiæ non amplius possint immobilia alienare absque licentia S. Sedis, ceu patet ex decreto Urbani VIII. edito per organum S. Congr. Concilii *die 7. Sept. 1624.*

12. Animadvertendum insuper est solemnitatem hanc non solum requiri cum alienatio conficitur ab Ecclesia in favorem laicorum sed insuper quando alienatio fit ab una alteri Ecclesiæ. Nam in *c. 1. h. t. in 6°.* requiruntur debitæ solemnitates in alienatione decimarum inter duas Ecclesias.

13. At dantur quædam exceptiones. Ex sensu *c. 5. h. t.* diximus nomine alienationis comprehendi contractus omnes quibus deterior fieri potest conditio Ecclesiæ. Hinc in genere etiam concessio in emphyteusim, et locatio prohibetur. Quadruplex vero exceptio datur: 1°. si evidens Ecclesiæ utilitas apparet, necessaria non est licentia Romanæ Sedis quoties sermo sit de rebus et bonis in emphyteusim concedi solitis; 2°. si locatio non fiat ultra triennium. De utraque exceptione cavet dicta constitutio Pauli II. *Ambitiosæ.* Porro juxta communem sententiam prohibitio locationis ultra triennium verificatur quoties res fructificat quolibet anno, non vero, quando ex re locanda fructus percipiuntur quolibet biennio solummodo, aut quolibet triennio. Hoc enim in casu locatio fieri potest vel ad sexennium vel ad novennium. Nam in Const. *Ambitiosæ* dum prohibetur locatio ultra triennium respicitur fructus triennalis idest triennium fructuum, non vero spatium ipsum temporis triennii. At non facile admitteretur locatio ultra novennium.

3ª. Exceptio a lege Pauli II. in cit. const. datur quoad res immobiles exigui valoris. Nam ceu refert Fagnanus *in 5. h. t. n. 25.* S. Congregatio Conc. declaravit *die 11. Jan. 1596,* canonem *Terrulas* non fuisse abrogatum tum a Paulo II. in Const. *Ambitiosæ* tum etiam a Conc. Trid. in *c. 11. sess. 25. de Ref.* Hac vero in re duo sunt animadvertenda: 1°. Privilegium concessum Episcopis in can. *Terrulas* extendi etiam ad Abbates *vere nullius,* non autem competere aliis superioribus regularibus etiam majoribus. *Decr. S. Congr. diei 17. Novem. 1703* relat. a Card. Petra *Com. in Const. v. Pauli II.*

2°. Nec admitti potest abusum Episcopi qui res magni valoris per plures alienationes modicas diversis vicibus distrahat: censentur enim alienationes istæ partiales factæ in fraudem legis. Ita declarasse S. Congr. Conc. refert idem Petra *cit. loco n. 65.*

4°. Locum non habet Pauli II. Const. quando sermo est de alienatione quæ fiat ex necessitate juris. Ex. gr. si legata sit res ut vendatur, et pretium in pios usus convertatur.

De pœnis contra male alienantes.

14. Inter veteres canones habemus *cann. 13. et 22. c. 12. q. 2.* ex quibus deprehendimus olim constitutam fuisse pœnam excommunicationis, et depositionis contra alienantem absque necessitate bona Ecclesiæ. Porro depositionis pœna statuta etiam erat contra Episcopos et Abbates alienantes bona Ecclesiæ *can. 19. c. 12. q. 2.* In *c. 5. h. t.* canonica virtus tribuitur constitutioni Leonis Imp. *l. Jubemus. C. de sacr. Eccl.* in qua decernitur, nullius valoris esse alienationem rerum immobilium Ecclesiæ. Hanc sanctionem nullitatis alienationis confirmavit Paulus II. in Const. *Ambitiosæ*, eamque extendit ad res mobiles pretiosas.

15. Præterea si alienatio rerum ecclesiasticarum fiat contra canonicas leges, tam alienator, quam ille cui alienatio fiat excommunicationi subjiciuntur *c. 5. h. t.* et extr. *Ambitiosæ.* Pauli II. Porro juxta citatam constitutionem ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur temeraria præsumptio. Hinc excusat ignorantia tum juris, tum facti, nisi ea fuerit crassa, et supina, quæ dolo comparatur. Notandum autem est: pœnam excommunicationis statutam in extr. *Ambitiosæ.* renovatam fuisse in Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis IV. Id. Oct. 1869* eamque recenseri inter excommunicationes nemini reservatas. Præterea si alienantes bona Ecclesiæ contra regulam Const. *Ambitiosæ* præfulgeant dignitate pontificali, vel abbatiali, subjiciuntur pœnæ interdicti ingressus in Ecclesiam. Quod si in interdicto, et in obstinata voluntate alienans perseveraverit per sex menses, hisce elapsis, a regimine, et ab administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterii in spiritualibus et temporalibus suspenditur ipso facto. De hoc autem interdicto tacet cit. Const. *Apostolicæ Sedis* adeoque non amplius viget. Inferiores autem prælati vel Clerici habentes dignitatem, personatum, officium, beneficium, præbendam vel administrationem, si alienent bona proprii beneficii, vel dignitatis etc. ipso facto decidunt a jure beneficii, ita ut de ipso tamquam de beneficio vacante collator ordinarius providere possit. Animadvertendum vero est Const. Paulianam *Ambitiosæ* non ubique fuisse receptam teste Bened. XIV. *De Syn. l. 12. c. 8. n. 9.* qui etiam animadvertit juxta plurium

auctorum sententiam in locis, ubi non est recepta, non valere quidem quoad pœnas incurrendas, vigere tamen pro actuum nullitate: quia Apostolicum beneplacitum in Const. *Ambitiosæ* videtur locum tenere solemnitatis, quæ formam et valorem afficit actus.

16. Ut vero hujusmodi pœnæ incurrantur, alienatio debet esse completa. Hinc si revocetur alienatio ante traditionem excommunicatio non incurritur *c. 6. h. t.* nam res alienata proprie non dicitur nisi fuerit tradita.

17. Quæstio non inutilis proponenda est utrum scilicet Prælatus vel alius administrator Ecclesiæ repudians sine causa legatum oblatum Ecclesiæ præsertim in rebus immobilibus censeatur incurrere pœnas constitutas contra male alienantes bona Ecclesiæ?

Quamvis hæc repudiatio legati videretur esse alienatio rei Ecclesiæ, quia ex lege civili res legata dicitur recta via transire ab eo qui legavit ad legatarium, tamen intimius alienationis inspecta indole, dicendum est hanc repudiationem non esse proprie dictam alienationem. Nam alienatio vera locum non habet quando repudiatur res quæ non pertinet ad Ecclesiæ dominium quemadmodum in *l. 2. ff. De Verb. sign.* exprimitur: 'Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare'. Atqui res legata non censetur fuisse Ecclesiæ, si fuerit repudiatum legatum, ex principio posito in *l. Si tibi homo § Cum servus ff. De legato.* Igitur repudiatio legati cum non sit vera alienatio nec secumfert pœnas alienationis, scilicet non incidit sub sanctionem legum prohibentium Prælatis, et aliis administratoribus Ecclesiarum alienationes rerum ad eas pertinentium, præsertim cum aliud sit alienare quod suum est, aliud non acquirere quod est alienum: et in casu repudiati legati Prælatus videtur potius non acquirere quod est alienum quam imminuere patrimonium, quod habet Ecclesia. Hinc repudiatio hæc absque causa, et solemnitate juris facta a Prælato vel alio administratore valet.

18. At cum repudiatio hujusmodi Ecclesiæ damnum certe inferat, duplex remedium conceditur a jure ad idem damnum sarciendum. Primum remedium est actio personalis contra prælatum recusantem vel ejus hæredes ad præstandum quanti interest non fuisse acceptatum legatum. Secundum remedium est beneficium restitutionis in integrum exemplo minorum *l. 7. ff. § 6. et seq. De Minoribus* et *c. 1. De in Integr. Restit.* Quod de repudiato legato dictum est, applicari merito potest repudiationi hæreditatis.

De revocatione alienationis.

19. Revocari bona Ecclesiastica male alienata possunt et debent: 1°. ab ipso rectore, seu prælato, qui alienaverit *c. 6. h. t.* Nec obstat principium juris expressum in *l. cum. a Matre c. De Rei vindicat.* 'neminem posse venire contra factum proprium'; nam principium hujusmodi tunc revera locum habet, quando quis nomine proprio, et pro sua particulari utilitate velit insurgere in factum proprium non vero quando procedit nomine tertiæ personæ, et in casu nostro nomine Ecclesiæ et pro ejusdem commodo. 2°. A successore prælati vel clerici alienantis *c. 2. De precariis.* 3°. Negligente rectore vel prælato Ecclesiæ agere possunt, et debent ad revocandam alienationem clerici omnes addicti servitio Ecclesiæ cujus bona alienata sunt *c. 6. h. t.* Immo clerici hujusmodi puniri possunt si scientes res propriæ Ecclesiæ fuisse absque solemnitatibus alienatas contra alienationem non insurgunt *c. 6. h. t. in 6°.*

20. Revocatio autem duplicem respicere potest casum: casum nempe validæ alienationis ob servatam formam juris, et casum invalidæ alienationis ob non servatam eandem formam. In 1°. casu si graviter læsa est Ecclesia, eo quod quamvis videretur adfuisse justa et legitima causa, tamen hæc revera non aderat, competit Ecclesiæ beneficium restitutionis in integrum quo resolvitur contractus, et res in eum statum restituitur in quo fuerat ante contractum. Idest Ecclesia recuperat bona sua alienata, et simul restituit alteri id, quod ex alienatione receperat *c. 11. h. t.* Ditior enim fieri non debet Ecclesia ex bonis alienis.

21. In 2°. casu habet Ecclesia tum actionem personalem contra prælatum vel alium administratorem beneficii, et ejus hæredes, ut servetur indemnis *can. Minorum c. 12. q. 2.* tum actionem realem ad persequendam rem penes quemcumque possessorem, ut res ipsa restituatur cum omnibus suis fructibus, et accessionibus *c. 6. h. t.* Nam per alienationem ipso jure nullam dominium translatum non est, sed in ipsa Ecclesia permansit, et per consequens Ecclesia persequitur res suas.

Titulus XIV.

De precariis.

1. Precarium ab Ulpiano in *l. 1. ff. De precario* definitur: 'Precarium est quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu qui concessit patitur'. Precarium igitur est contractus civilis juris.

2. Jus vero Canonicum novum hac in specie introduxit contractum quem precarium, vel precarius dixit, quique definiri potest 'Contractus a jure canonico introductus quo alicui ad preces conceditur res ecclesiastica frugifera, et immobilis ad usum, vel usumfructum pro certo tempore, vel ad dies vitæ ita tamen ut singulis quinquenniis renovatio hujus concessionis peti debeat: ita *cann. 3. et 5. c. 20. q. 2.* et *c. 1. h. t.*

Contractus hujusmodi est species liberalitatis Ecclesiæ, qua solita fuit de re christiana optime meritis remunerationis, et grati animi erga bona sua utenda, fruenda concedere. Hinc nil mirum si pro suo modo, et prudentia normas contractui huic dederit Ecclesia, formamque novam induxerit distinctam a contractu precario qui juris civilis est.

3. Precariæ vero differunt a precario 1°. quia precariarum objectum est res immobilis, cum precarium civile tum immobiles tum mobiles res comprehendere potest. 2°. Precarium juris civilis est ad tempus indeterminatum, et perseverat rei usus quoadusque dominus eam ad se non renovaverit, precariarum vero concessio tempus habet determinatum, vel saltem pendet a vita illius cui facta concessio est. Hinc in *c. 3. h. t.* et circa finem Greg. IX. ait: 'Precariæ quæ quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent non sunt pro voluntate concedentium revocandæ' scilicet quoad durationem ususfructus servanda est lex concessionis.

4. 3°. Speciale est hujus contractus ut quolibet quinquennio debeat renovari, ne memoria beneficii pereat, et processu temporis fingatur forte titulus vel ad perpetuandum usumfructum, vel ad ipsam proprietatem rei sibi adscribendam. Animadvertimus etiam res Ecclesiæ posse dari ad preces alicujus, ut retineantur quoadusque placuerit concedenti.

5. Qua in re tamen duo notanda sunt: 1ª. Res Ecclesiæ sacras non posse concedi nisi ad usus sacros. 2°. Res quæ precario conceduntur quamvis possint, quando placuerit, revocari, tamen non

posse revocari præcipiti intimatione cum gravi damno illius qui eas possidet ex concessione. Nam concessio hæc beneficium exhibere debet non vero damnum inferre, et injuriam. Hinc merito jus Romanum in *1. in commodato § sicut ff. Commodati vel contra* statuit principium 'adjuvari quippe nos non decipi beneficio oportet'. Cum contractus precariæ speciem liberalitatis exhibeat has conditiones excludit quæ damnum Ecclesiæ inferrent. Hinc ex *c. 2. h. t.* irrationabiles precariæ concessiones non valent et successor in Ecclesia non obligatur pœnis quas antecessor apposuit pro securitate contractus seu pro observantia concessionis irrationalis.

Pariter cum contractus hujusmodi contineat alienationis speciem, perfici nequit nisi ex gravi causa, et adhibitis solemnitatibus juris quæ in alienationibus rerum ecclesiasticarum requiruntur.

6. Expirat vero precariarum contractus: 1°. morte illius cui concessum fuit jus utendi, fruendi: etenim est beneficium personale in gratiam meritorum personalium; 2°. finito tempore designato in concessione, si præfinitum illud fuerit; 3°. si possessor rem alienaverit aut graviter læserit; 4°. si elapso quinquennio non postulaverit contractus renovationem.

Titulus XV.

De Commodato.

1. Prosequitur tractatio de contractibus quos institutos a jure civili suos fecit jus nostrum.

Commodatum definitur 'rei alicujus non fungibilis ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio'. Dicitur concessio gratuita, si enim pro usu merces rependeretur, aut aliquid loco mercedis, haberetur potius contractus locationis, et conductionis. Hinc commodatum quod utilitatem parit uni solum ex contrahentibus nempe commodatario non vero commodanti, pertinet ad contractuum unilateralium classem. 2°. Res conceditur ad aliquem specialem usum.

2. Ex hac qualitate contractus commodati plura consectaria descendunt. 1°. Si rei usus concedatur, non vero dominium, sequitur materiam hujus contractus esse solummodo res, quæ usu non consumuntur: hinc res fungibiles commodari non possunt. Possunt vero commodari etiam res sacræ dummodo usibus profanis non destinentur. 'Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius

transferendum'. Ex principio superius posito sequitur 2°. commodatarium non posse rem adhibere ad alium usum, nisi ad quem commodata fuit. Quæ conditio adeo servanda est, ut si commodatarius ad alium usum rem commodatam transferat juxta leges civiles teneatur de furto *l. Si ut certo § Nunc videndum ff. h. t.* Commodans autem non potest impedire usum concessum, quod si fecerit, commodatarius habet actionem quæ dicitur *actio commodati contraria*, contra commodantem, ut ei usum rei commodatæ restituat, et damna sarciat. Immo ne usus in hoc contractu frustretur, leges dederunt eandem actionem commodatario, quoties commodans scienter commodaverit rem vitiosam. Sequitur 3°. expirante tempore usus præfiniti, aut cessante ipso usu rei commodatæ, cessare ipsum commodatum, et commodatarium restituere debere rem commodatam in sua specie. Hinc restituendus est equus commodatus non vero alius pro eo. In hoc enim commodatum differt a mutuo: ut in mutuo genus restituatur, in commodato autem ipsa res in sua specie restituenda sit.

3. Quid vero si res immutata est et passa est damnum?

Si damnum hujusmodi sit consectarium usus rei, reficere illud commodatarius non obligatur, immo ad nihil tenetur commodatarius si absque sua culpa in usu res pereat *l. ult. ff. h. t.* At cum sit contractus gratuitus, et proinde unilateralis, commodatarius in cujus utilitatem penitus vertitur contractus, tenetur rem commodatam exactissima diligentia custodire. Hinc non solum tenetur præstare dolum, sed etiam culpam levem, et levissimam, illam scilicet, quæ opponitur vigilantiæ diligentissimi patrisfamilias. Ita *c. un. h. t.* post leges civiles in *cit. l. Si ut certo § Nunc vivendum ff. h. t.* et in *l. In rebus § 1. ff. h. t.*

4. Casum vero fortuitum non præstabit commodatarius, nisi 1°. se obligaverit ex pacto ad illum præstandum; 2°. nisi ex ejus culpa factum sit ut res in ea conditione reperiretur, in qua casum fortuitum seu infortunium subiret; 3°. nisi commodatarius in mora fuerit restitutionis, et interim res commodata passa est casum fortuitum *c. un. h. t.*

5. Expleto usu, vel elapso tempore præfinito commodans habet actionem directam contra commodatarium, ut sibi restituat rem, et damna, si res ex ejus culpa facta sit deterior. Commodatarius autem habet actionem commodati contrariam contra commodantem

ut sibi reficiantur majores expensæ factæ pro conservatione rei commodatæ: dixi majores, nam ordinariæ, et minores expensæ gravant commodatarium.

Titulus XVI.

De Deposito.

1. Depositum aliquando sumitur pro re, quæ alicujus fidei custodienda traditur, aliquando pro contractu, quo rei custodia committitur. Depositum sub hoc respectu definitur: 'Contractus quo res alicui gratis custodienda traditur'. Qui rem custodiæ causa tradit, dicitur deponens, qui eam recipit, depositarius.

2. Ex definitione plura sequuntur: 1°. In hoc contractu custodiam rei concedi ut integra restituatur, non vero concedi usum rei: ex qua conditione depositum distinguitur a precario et a commodato. Quod si depositarius utatur re deposita sine consensu vel expresso vel tacito deponentis juxta leges civiles reus furti perhibetur *l. Si sacculum ff. h. t.* Cum in hoc contractu solum custodia tradatur, contractus hic perficitur in commodum deponentis. Hinc sequitur 2°. rem esse restituendam quoties deponens eam requisierit *c. 2. h. t.* Nec obstat tempus fuisse præfinitum custodiæ, nam tempus præfinitur contra depositarium ad determinandam ejus obligationem, quatenus nempe non possit cogere deponentem ad rem suam recipiendam, sed teneatur rem depositam custodire per integrum tempus in contractu designatum. Verum si novum quid emergit quod restitutionem reddat noxiam vel privato deponentis bono, vel bono societatis, restitutio poscenti facienda non est. 3°. Custodia hæc est gratuita: hinc regulariter nulla intercedere debet merces.

3. Quæritur an clerici possint onus suscipere depositarii?

Responsio affirmativa datur ab Alex. III. in *c. 1. h. t.* Ratio ex eo deducitur quod contractus hujusmodi rejicit indolem contractus mercenarii, qui clericum non decet, sed potius induit naturam obligationis fiduciæ inter amicos existentis. Potest vero depositum tradi Ecclesiæ, vel loco pio, cujus clericus sit rector, vel administrator, aut fieri potest clerico uti personæ singulari. In primo casu si res pereat vel deterior fiat ex dolo vel culpa pulsari potest ipsa Ecclesia vel locus pius, quia principaliter obligantur erga depositorem qui Ecclesiæ fidei rem suam credidit. In secundo casu cum censeatur electa industria personæ clericus ipse

pulsandus est, et Ecclesia nullo modo tenetur nisi rei depositæ pretium in utilitatem Ecclesiæ fuerit conversum: scilicet Ecclesia tenetur non actione depositi, quia depositaria non fuit, sed actione *de in rem verso* quia ditior facta est rebus alienis. Ita *c. 1. h. t. et glos.* ibi.

4. Quæri potest quandonam depositarius de re amissa, vel imminuta respondere teneatur?

Ex legibus civilibus *l. 1. c. et l. 1. ff. h. t. § ult.* nec non ex *c. 2. h. t.* depositarius pulsari potest quando res perierit, vel deterior effecta est ex ejus malitia. Hinc principium invaluit depositarium præstare debere dolum, et culpam latam: culpa enim lata dolo æquiparatur. Non tenetur vero ultra malitiam, quia cum nullam percipiat utilitatem, tenetur solummodo uti ordinaria diligentia ad rem conservandam. Nullius autem esset valoris pactum quo depositario remitteretur obligatio præstandi dolum futurum. Pactum enim hujusmodi esset contra bonam fidem *l. 1. ff. h. t.*

Præsumitur vero malitia seu mala fides depositarii quando, rebus suis salvis, amiserit res depositas cum potuisset eadem diligentia vel etiam minori simul servare alienas *c. 2. h. t. et l. Quod novum ff. h. t.* Hæc porro regula non valet quoties in casu fortuito ex. gr. in incendio depositarius nequeat simul servare res suas et alienas suæ custodiæ concreditas; quisque enim prius suas, quam alienas fortunas curat honeste.

5. Aliquando autem depositarius tenetur etiam de culpa levi aliquando etiam de levissima, immo et de casu fortuito. De culpa levi tenetur quoties aliquid loco mercedis recipiat, tunc enim contractus unilateralis redditur utrinque onerosus. De culpa autem etiam levissima tenetur depositarius si sese obtulerit ad depositum recipiendum. Hoc enim in casu veluti in gratiam depositarii censetur creatum depositum. Hinc in legibus civilibus traditur in hac hypothesi periculum rei esse apud depositarium. De culpa levi, levissima, aut etiam de casu fortuito tenetur depositarius, quoties in contractu specialis conditio posita fuerit et hæc omnia depositarius in se susceperit, vel cum in mora fuerit restitutionis rei, depositore exposcente *c. 2. h. t.*

6. Ex deposito oritur actio directa depositi, quæ competit depositori, et ejus hæredibus adversus depositarium ejusque hæredes, ut sibi restituatur res integra, vel ejus æstimatio, quoties res perierit vel deterior effecta fuerit, ex dolo vel culpa depositarii in

sensu superius explicato. Oritur insuper actio depositi contraria, qua depositarius repetere potest impensas factas ad rem sibi concreditam conservandam. Non potest vero depositarius compensatione uti, aut deductione alterius crediti quod habeat contra depositorem, ne videatur recepisse rem depositam in hunc finem, ut scilicet ex deposito deducat vel compenset suum creditum, ac proinde contractus depositi, qui est contractus fiduciæ inter amicos ad perfidiam referretur ceu docet *c. 2. h. t.* § *Sane.*

Titulus XVII.

De emptione et venditione.

1. Quoniam legislatio ecclesiastica imitata est jus civile Romanorum, illudque in pluribus capitibus Ecclesiarum bonis applicavit, ad intelligentiam præsertim eorum discipulorum qui soli juri canonico addiscendo dant operam quædam notiones in præsenti materia utiles ex jure civili depromptæ hic explicandæ sunt. Contractus est species conventionis. Conventio definitur ab Ulpiano ut sit ‚duorum, vel plurium in idem placitum et consensus' *l. 1.* § *2. ff. De pactis.*

2. Cum innumeræ possint celebrari conventiones inter cives quumque voluntas suscipiendi obligationem vel per consensum expressum pandi possit, vel merito præsumi possit ex facto; hinc romana legislatio aliquas frequentiores conventiones elegit, et probavit in quibus admisit causam obligationis sive in expresso consensu sive in facto aliquo, quod præsumere facit consensum. Scilicet quasdam recognovit conventiones, ita ut concederet iisdem viam, et medium quo civiliter seu in judicio unaquæque ex personis convenientibus urgere posset observantiam conventionis contra aliam, vel alias personas contrahentes. Istas conventiones appellavit contractus, medium quo judicialiter obtineretur observantia contractus appellavit actionem. Insuper quibusdam contractibus usitatioribus eadem legislatio romana dedit proprium nomen alios autem innominatos dixit.

3. Ceterarum conventionum, quas pacta nuncupavit, observantiam in genere jus civile remisit bonæ fidei civium, et eisdem solummodo dedit exceptionem. Videlicet qui pactum iniit, licet non possit agere, idest petere in judicio observantiam conventionis, tamen si ab alia parte in judicio actione pulsetur contra fidem ipsius

conventionis, potest adversus actorem exceptionem proponere ex pacto inito. De pactis plura non dicimus nam de iis titulus specialis adest in libro primo. Contractus definiri potest 'Conventio habens proprium nomen, et causam civilem obligandi aut, nomine deficiente, habens saltem civilem obligandi causam' *l. 7. § 1. et 2. De pactis.*

4. Omissis aliis divisionibus duas dabimus divisiones. 1°. Contractus dividuntur in reales, et consensuales. Consensuales illi sunt qui solo consensu partium perficiuntur nec aliquid aliud requirunt ad obligationem gignendam. Ex. gr. emptio, venditio. Reales illi sunt qui re perficiuntur, idest qui ad gignendam obligationem præter consensum postulant etiam vel positionem facti alicujus vel traditionem rei ex. gr. contractus innominati: do ut facias, do ut des etc. et inter nominatos contractus depositi, mutui, commodati, pignoris.

2°. Contractus dividuntur in unilaterales, et in bilaterales. Primi contractus ii sunt in quibus unus solummodo contrahens directe obligatur. Secundi generis contractus ii sunt ex quibus directa obligatio utrinque nascitur. Primi generis contractus dicti sunt stricti juris eo quod in judicio circa ipsos contractus standum est strictæ interpretationi verborum conventionis. Unde ex virtute horum contractuum nihil est præstandum ultra id de quo expresse convenit inter partes. *l. 99. ff. De verb. oblig.* Secundi generis contractus dicuntur bonæ fidei eo quod ex voto communi contrahentium non tantum spectatur quod lingua nuncupatum est, sed etiam quod ratio boni, et æqui utrinque postulat. Hisce præmissis agendum est in titulo de contractu emptionis, et venditionis.

5. Emptio venditio est 'Contractus bonæ fidei solo consensu initus, quo de re pro certo pretio, deque certo pretio pro re tradenda convenitur'. Dicitur 1°. bonæ fidei contractus quia utrinque obligatio nascitur. Venditor enim suscipit obligationem tradendi rem, emptor vero obligatur ad pretium solvendum. Quare juxta ea quæ diximus, in quæstione, quæ proponatur circa hunc contractum judex potest juxta boni, et æqui rationem arbitrari. 2. Solo consensu initus, quia obligatio mutua plene consistit ex solo consensu, nec requiritur traditio rei vel pretii. Quare posito solummodo consensu habetur perfectus contractus idest nascitur hinc inde obligatio quamvis consummatio seu implementum contractus

ipsius habeatur per traditionem rei, et pretii. 3°. De re pro certo pretio tradenda, et vicissim de pretio tradendo pro re, quia ideo institutus est contractus hujusmodi ut qui rem suam alienat ejus valorem in pecunia numerata recipiat. Quare tria sunt elementa contractus hujusmodi scilicet res, pretium, consensus.

6. Quoad rem quæri potest: quænam res vendi, et emi potest? Omnis res vendi et emi potest quæ sit pretio æstimabilis nec extra commercium sit posita. Hinc vendi possunt et emi res mobiles, et immobiles, corporales et incorporales, idest jura ex. gr. nomina debitorum, actiones. At nec vendi nec emi possunt res mere spirituales aut spiritualibus adnexæ ex. gr. concessio præbendæ quæ datur propter officium sacrum *can. ult. et penult. Caus. 1. q. 3.* Ratio est quia simoniæ vitium verificatur, quum pretium pro re spirituali funderetur. Pariter res sacræ qua tales nec vendi nec emi possunt quia extra commercium positæ sunt. Possunt vero vendi, qua pretio æstimabiles ad usus sacros. Res vero temporales ad Ecclesias pertinentes vendi, et emi possunt, servatis tamen conditionibus, et juris solemnitatibus supra expositis in titulo *De reb. Eccl. alien. vel non.*

Proponi solent et aliæ quæstiones circa res quæ hujus contractus possunt esse vel non esse objectum. Ita ex. gr. an res aliena vendi possit, et emi, an pariter res furtiva. At quum hæ quæstiones potius ad civile jus pertineant, hinc innuisse sufficiat validam esse venditionem scilicet utrinque nasci obligationem in favorem emptoris, quoties ipse bona fide arbitretur rem esse venditoris *l. 34. § 3. ff. De Contrah. Empt.*

7. Relate ad pretium dicendum est pretium emptionis, et venditionis esse debere verum, certum et justum. Verum, nempe fingi non potest, sed revera intercedere debet ut contractus perficiatur. Debet esse certum idest determinatum, debet enim repræsentare valorem rei determinatæ. Id vero non impedit quominus determinatio pretii possit remitti arbitrio hominis periti, vel arbitrio judicis aut etiam vendi possit res quanti vendatur die vel loco præfinito. Porro determinatio pretii secumfert etiam, ut in pecunia enumerata computetur. Hinc licet loco pecuniæ præstetur alia res, tamen res computari debet tamquam repræsentans certam pecuniæ quantitatem, secus enim non emptio venditio, sed alius contractus fieret ex. gr. permutatio. 3°. Pretium debet esse justum scilicet debet respondere valori, et communi æstimationi rei, nec augeri

potest extraneis, et peregrinis, sed pro istis etiam, ex jure canonico, servanda est norma ordinaria loci venditionis *c. 1. h. t.* Cavet insuper jus nostrum ut pondera justa sint *c. 2. h. t.*

8. Quod si pretium justum non fuerit, verificatur læsio. Læsio potest esse vel levis vel gravis, idest enormis, vel enormissima. Levis quæ etiam communis dicitur locum habet quando pretium solutum non fuerit minus medietate veri pretii rei emptæ. Hinc læsio hæc toleratur a legibus: scilicet contractus emptionis et venditionis sustinetur etiamsi læsio hæc contigerit: nam secus nulla forsan salva, et tuta foret venditio cum in contractu hujusmodi, ob valorem rei non semper undequaque determinatum, facile aliqua læsio locum potest habere. Præterea ex natura contractus bonæ fidei præsumitur utrinque tacita condonatio læsionis communis. At excipitur casus doli: si videlicet ex dolo notabilis læsio facta fuerit, poterit emptor ex dolo agere ad damni reparationem obtinendam *cap. 16. De Rescriptis.*

9. 2°. Læsio gravis idest enormis, seu ultra normas, verificatur, cum nec dimidia pars justi pretii fuerit soluta, scilicet cum læsio fuerit ultra medietatem justi pretii ex. gr. si res valeat 100 scutatis et empta fuit pro scutatis 49 vel infra. Hoc in casu contractus valet: at venditor potest compellere emptorem ut vel pretium compleat vel recepto pretio soluto rem restituat. Hinc optio vel supplendi pretium, vel rescindendi contractum datur emptori. *l. 2. C. De rescind. vend.* In qua dicitur: 'si emptor elegerit' et *capp. 3. et 6. h. t.*

10. 3°. Læsio enormissima locum habet cum nec tertia pars justi pretii fuerit soluta ab emptore: scilicet cum læsio fuerit ultra bessem, seu ultra binas tertias partes justi pretii. In casu hujus læsionis non transit in emptorem nec dominium rei nec legitima possessio quia videtur defuisse unum ex elementis venditionis ac proinde venditio non videtur celebrata in favorem emptoris qui, ut est auctor læsionis, censetur esse in mala fide. Quare eidem aufertur optio legis *2. c. De Rescr. vend.* et *c. 3. h. t.* restituendi nempe rem, vel supplendi pretium. Sed venditor est qui eligit vel restitutionem rei vel pretii complementum.

11. Animadvertendum vero est, quantitatem læsionis æstimari non quidem inspecta re tempore querelæ institutæ, sed tempore initi contractus venditionis, inspectis etiam quibusdam extrinsecis circumstantiis ex. gr. copia mercium, et paucitate emptorum, lucro

cessante, vel damno emergente utriusque contrahentis, inspecto labore, impensis, uno verbo inspectis conditionibus ex quibus res majoris vel minoris æstimationis sit capax.

12. Regula vero in hoc contractu servanda est, ut non liceat rem vendere supra summum pretium vel emere infra minimum. Animadvertendum 2°. est venditorem requirentem justum pretium non teneri ad pandendum emptori vitium occultum rei venditæ, nisi duobus in casibus; 1°. quando emptor expresse venditorem interrogat de vitio rei; 2°. quando emptor rem expostulat ad certum usum, ad quem venditor cognoscit rem esse inutilem vel etiam damnosam. Quibus in casibus leges civiles non solum adstringunt venditorem ad excessum pretii solvendum, si plus datum fuit, sed etiam ad sarcienda damna ex. gr. si ex empto ligno vitioso domus dilabatur, vel per ovem morbidam grex lue inficiatur *l. 13. ff. De act. empti l. 1. ff. De ædilitio edicto.* Vitium externum et visibile indicare non tenetur venditor.

13. Tertium elementum contractus emptionis et venditionis est consensus. Consensus potest esse purus vel conditionatus. Hinc contractus potest esse vel absolutus, vel a conditione pendere.

14. 2°. Potest esse simplex, vel potest secumferre pacta adjecta. Ex. gr. ut res determinato in loco tradatur, ut pretium in tali pecunia solvatur, potest adjectum habere pactum legis commissoriæ, quo cavetur inter partes ut nisi intra certum tempus solutum fuerit pretium ab emptore, contractus nullus censeatur, seu res non censeatur empta *l. 2. ff. De lege commissoria.* Vi hujus pacti, elapso tempore præfinito, quin fuerit pactum solutum, est in potestate venditoris vel uti privilegio legis commissoriæ et rem repetere, vel urgere implementum contractus seu pretii solutionem *l. 4. De leg. comm.* Quare si vel partem pretii accepit, vel petat pretium, censetur renunciare juri suo de lege commissoria *l. 4. c. De pactis inter empt.*

15. Pariter contractui adjici potest pactum addictionis in diem: pactum scilicet quo venditor sibi reservat jus ut, si intra certum tempus alius emptor rem petat, offerens meliores conditiones, possit venditor huic alteri rem vendere, et tradere *l. 1. ff. De in diem addictione.* Conditio autem præsertim vel pretii quantitatem, vel securitatem solutionis vel etiam locum solutionis respiciat *l. 4. ff. De in diem addictione.*

16. Quæritur utrum venditioni possit adjici pactum retrovenditionis: scilicet pactum ut emptor vel possit, vel etiam debeat retrovendere rem emptam venditori vel intra certum vel intra tempus indefinitum. De hac re agit *c. 5. h. t.* in quo excluditur hujusmodi pactum tamquam usurarium. Tamen non solum in lege civili ceu in *l. 2. c. De pact. inter empt.* et *in l. 68. ff. De rei vindicat.*, sed etiam in jure canonico admittitur pactum retrovenditionis quemadmodum in *Extrav. 1ª. et 2. h. t. inter comm.* et insinuatur etiam in *c. 10. De fide instrum.*

17. Ut vero concilientur hæc loca juris animadvertendum est, in *c. 5. h. t.* ideo fuisse reprobatum pactum retrovenditionis, quia ceu notat Pontifex palliatam usuram continebat, et ideo fuerat celebrata venditio ut emptor effugeret pœnas Lateranensis Concilii contra usurarios, cujus dispositio refertur in *cap. 3. De usuris.* Igitur non in genere fuit reprobatum pactum retrovenditionis de quo loquuntur alia loca juris, sed fuit illud pactum in specie reprobatum quod animum usurarium revelat. Hanc vero malam intentionem manifestabat modicitas pretii quod vix medietatem justi pretii attingebat. Sciendum enim est rem minoris utique esse æstimandam sub conditione pacti retrovenditionis eo quod emptor possit urgeri ad eam restituendam, nec definitive eandem faciebat suam: at si pretium nimis imminuatur, potest ingerere dubium circa intentionem contrahentium qui noluerint serio contractum emptionis et venditionis perficere, sed finxerint hunc contractum ad tegendam usurarum perceptionem ex mutua pecunia quæ tenet locum pretii. Scilicet usurarius videns ratione mutui nullum posse exigere fructum pecuniæ simulat emptionem bonorum mutuatarii ac exiguum constituit pretium, restituendum intra certum tempus per retrovenditionem. Mutuatarius certe ne bona penitus amittat, pecuniam restituit, ac interim mutuans seu emptor percipit fructus bonorum qui pro eo constituunt vere, et proprie fructus pecuniæ. Pactum igitur retrovenditionis in casu exhibet palliatam usuram. Hinc inferunt doctores pactum retrovenditionis adjectum in contractu in quo pretium nimium inferius est isto pretio præsumptionem inducere animi usurarii.

De periculo rei venditæ.

18. Si res non solum vendita fuerit, sed etiam tradita, totum periculum est penes emptorem qui dominus factus est ita ut rem

ceu suam possideat. Quare merito invocatur principium 'Res, quæ perit, domino perit'. Hæc conclusio valet etiam quando adhuc pretium emptor venditori non solverit, ad quod solvendum ex ipso contractu tenebatur *l. 14. ff. De peric. et com. rei vend.* Nam venditor nondum recepto pretio est solummodo creditor non autem amplius dominus rei venditæ.

19. Quid vero si res nondum tradita vel pereat, vel deterior fiat?

Distingui debet inter genus, et speciem. Genus in jure idem est quod pro philosophis est species. Hinc emptio et venditio generis locum habet quando ex pluribus individuis ejusdem speciei, et æstimationis unum vel plura comprehendantur, quin determinate designentur. Species pro juristis idem exprimit ac individuum pro philosophis. Hinc emitur, aut venditur species cum unum, vel plura individua determinata non solum in numero sed etiam in corpore designentur, idest designentur cum qualitatibus individuantibus. Pariter si sermo sit de rebus, quæ mensuræ vel ponderis sunt capaces. Distinguendum est, utrum venditio facta sit ad corpus, vel ad mensuram. Ad corpus perficitur venditio, quoties plures species venduntur ad modum unius absque ulla consideratione ponderis aut mensuræ. Ex. gr. si vendatur totum frumentum quod in horreo continetur. Huic venditioni aliquando adjici potest quantitas ponderis, vel mensuræ; at hæc adjectio non fit taxative, sed solummodo demonstrative. Ex. gr. si dictum fuerit: vendo tibi totum frumentum quod in meo horreo conservatur, cujus quantitas centum modiis comprehenditur. Venditio ad mensuram perficitur quando quantitas rei, seu pondus exprimitur taxative; idest quando venditur determinata quantitas rei ex. gr. si ex acervo tritici decem modiorum quantitas vendatur.

20. Si emptio venditio perficiatur in genere, aut in pondere vel mensura, res quæ perit ante traditionem, vel mensuram, perit venditori: scilicet periculum rei quemadmodum et commodum proprium est venditoris. Si autem venditio facta est in specie vel ad corpus, periculum rei etiam ante traditionem est penes emptorem. Hinc emptori vel in ejus damnum deterior fit nisi id contigerit ex mora, vel culpa venditoris. Ratio prioris partis ex eo deducitur quod cum res vendita non sit plene determinata in individuo definiri non potest in facto, an perierit res quam contrahentes intel-

ligebant vel alia res creditoris. Verum quando res fuerit determinata, sive quia vendita est species, sive quia venditio facta est ad corpus res per contractum perfectum incipit esse emptoris, qui habet actionem ad rem illam determinatam obtinendam, et juxta regulam 15. juris ff. 'is qui actionem habet rem ipsam habere censetur.' Unde cum ex contractu venditor teneatur tradere emptori rem determinatam si ea ex infortunio pereat venditor non amplius rei traditionem exequi potest. Porro ad impossibile nemo tenetur, et proinde eo ipso venditor eximitur ab onere traditionis.

21. Quod si venditio fuerit conditionalis hoc in casu si pereat vel deterior fiat post eventum conditionis si vendita sit species vel res ad corpus damnum est penes emptorem, si nondum sit verificatus eventus, venditor subit periculum rei. In contractu autem generis vel rei ad mensuram, aut pondus non attenditur eventus conditionis, sed traditio qua res determinatur.

22. Quid vero si res fuerit evicta? Principium a jure statuitur, venditorem præstare debere evictionem. Evictio definiri potest 'recuperatio rei propriæ per legitimum judicium obtenta'. Hinc evicta res dicitur quoties dominus eam ab alio possessam iterum assequitur per judicis sententiam. Jamvero venditor cum rem alienat duas suscipit obligationes 1°. ut rem tradat; 2°. ut concedat emptori jus pacifice possidendi eandem rem. Quapropter si res evincatur ob vitium antecedens ipsum contractum tenetur venditor præstare evictionem scilicet in judicio rem suam fuisse tueri, et si fuerit evicta reddat indemnem ipsum emptorem. Quare venditor non solum restituere debet pretium acceptum in venditione, sed etiam debet præstare quanti interest rem non fuisse evictam idest emptori damna reficere debet.

23. At tribus in casibus non est præstanda evictio a venditore juxta *c. ult. h. t.* 1°. Quando emptor in judicium vocatus non denunciaverit motam litem venditori tempore utili pro necessaria defensione instituenda. 2°. Si emptor contumaciter abfuerit tempore sententiæ promulgatæ. Quo in casu ait Ulpianus in *l. 55. De evict.* 'Magis emptor propter absentiam victus videtur quam quod malam causam habuerit'. Ratio etiam est quia cum judicium institutum sit contra emptorem ceu rei possessorem, sententia eidem intimatur, et ob ejus absentiam contumacem seu culpabilem potest causa detrimentum pati præsertim quoad amissionem juris ap-

pellandi. 3°. Si sententia per injuriam fuerit lata. Scilicet tum quando judex processerit spretis formis juris quo in casu judicium dicitur injustum, tum quando sententia manifeste adversatur principiis justitiæ. Quo in casu dicitur sententia iniqua. Dixi manifeste. Nam si probabiliter tantum fuerit contra jus data sententia, præstanda est a venditore evictio. In duobus autem aliis casibus judicii injusti, vel sententiæ iniquæ non præstat evictionem venditor quia non tenetur respondere de abusivo, et illegitimo facto personali judicis.

Appendix.

24. De bonis ecclesiasticis quæ alienantur ab invasoribus et præsertim a variis guberniis civilibus quæ eadem bona illegitime occupaverunt.

In *cap. 18. De restit. spoliat.* sequens regula traditur. Quamvis jus civile romanum remedium recuperandæ possessionis spoliato tribuat directe contra eum qui spolium commisit, et ejus hæredes universales, quin respectum habeat ad tertium possessorem, *l. Cum a te ff. De vi, et vi arm.;* tamen Pontifex in *cit. cap. 18.* statuit beneficium restitutionis rei ablatæ urgeri posse etiam contra tertium possessorem, qui scienter rem acquisivit ab invasore, et rationem adducit: eo quod non multum intersit quoad periculum animæ injuste detinere, ac invadere alienum. Quare ex hoc capite infertur illegitimam esse acquisitionem bonorum ecclesiasticorum, quæ fiat ab invasore alienante, necnon sequitur acquirentem participare de vitio invasoris, bonaque acquisita restituere debere.

25. Eadem vero quæstio pertractatur a Benedicto XIV. in Epistola ad Secretarium S. Congregationis de Propaganda fide quæ incipit *Urbem Antibarum 19. Martii 1752* occasione capta aliquarum quæstionum quas proposuerat Archiepiscopus Antibarensis circa bona Ecclesiarum occupata ab infidelibus, et deinde empta a Christianis. In *§ 22.* tradit Pontifex ex sententia theologorum bona mobilia taliter empta posse tuta conscientia a fidelibus emptoribus retineri, dummodo eadem acquisiverint animo illa restituendi quotiescumque a domino cui fuerunt ablata, oblata fuerit pecunia soluta in emptione. Contrarium tamen docet Pontifex de bonis immobilibus, scilicet ea restituenda esse cum fructibus Ecclesiæ absque ulla compensatione pretii soluti.

26. Accessit dispositio Concilii Tridentini in *sess. 22. c. 11. De Ref.* in qua decernitur pœna excommunicationis Romano Pontifici reservatæ contra usurpatores quorumcumque bonorum ecclesiasticorum. Porro, cum emptores acquirendo scienter bona usurpata actione sua concurrant cum ipsis usurpatoribus saltem quatenus perpetuent usurpationem, dici optimo jure potest ipsos etiam emptores eadem censura ligari, præsertim cum verba Concilii amplissima sint ut sanctio sese extendat etiam ad eos qui impediant quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, quominus bonorum usurpatorum fructus ab iis percipiantur ad quos jure pertinent. Hæc autem conclusio confirmatur ex responsione S. Congr. Supr. Univers. Inquisitionis quam inferius referemus.

27. Præ oculis etiam haberi debet nuperrima Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis IV. Idus Octobris 1869.* In hac constitutione inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatas sub *n. 11.* decernitur excommunicatio contra usurpatores, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, et reditus ad personas ecclesiasticas pertinentes ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum. Præterea inter excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatas sub *n. 3.* decernitur excommunicatio contra 'alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam extravagantis *Ambitiosæ De Reb. Eccles. non alienand.*'

Hæc sanctio, uti patet, directe respicit alienationes bonorum quæ fiant absque licentia Sedis Apostolicæ ab ipsis administratoribus, seu a rectoribus Ecclesiarum vel Beneficiorum. Solemnitas enim Beneplaciti Apostolici juxta jus canonicum antiquum constituta fuit ad procurandam tutelam, et utilitatem Ecclesiarum in alienationibus quæ antea fiebant a Prælatis cum consensu capituli.

28. Insuper præstat referre responsionem S. Congregationis S. Officii datam *die 23. Aprilis 1873.* Siquidem interroganti Episcopo Augustano: 'An excommunicationem incurrant illi qui sine debita licentia acquirunt per contractum bona ecclesiastica a primis emptoribus qui illa a gubernio usurpatore acceperunt'. S. Congregatio respondit 'Affirmative' et ad mentem. Mens autem hæc fuit. Præscindendo etiam a quæstione, utrum isti incidant sub dispositionem art. XI. Const. *Apostolicæ Sedis*, tamen dubitari nequit istos emptores comprehendi sub censura Concilii Tridentini

sess. 22. c. 11. quæ juxta eandem Constitutionem manet cum aliis censuris ab eodem Concilio latis.

29. Ut autem conscientiis fidelium consuleretur, pro temporum circumstantiis adoptata fuerunt ab Ecclesia opportuna remedia. Et quidem post rerum publicarum eversionem quæ sub finem elapsi sæculi et sub initium præsentis in variis Europæ regionibus contigit, S. Sedes per concordata cum Guberniis civilibus, et per subsequentes declarationes providit fidelibus qui bona usurpata a civili potestate acquisiverunt.

Quare praxis inducta est ut si recurrerent emptores illorum bonorum quæ comprehensa sunt in Concordato vel in authentica declaratione S. Sedis, provideretur per declaratoriam et hortatoriam. Per hanc formulam S. Sedes declarat bona empta retineri posse a possessoribus ceu propria, de iisque libere disponere posse, hortatur vero eosdem possessores, ut onera, si quæ sint adnexa bonis, adimpleant.

30. Quod si ageretur de ecclesiasticis bonis non comprehensis in concordatis et declarationibus S. Sedis servata regula est ut oratoribus recurrentibus concederetur absolutio a censuris, simulque daretur facultas bona acquisita retinendi sub conditionibus 1°. standi mandatis S. Sedis desuper ferendis; 2°. adimplendi pia onera bonis adnexa, et 3°. certiorandi hæredes et successores de hujusmodi obligationibus susceptis.

Quoniam vero conditio bonorum ecclesiasticorum, quæ a civilibus guberniis usurpata, et alienata fuerunt sub finem elapsi, aut sub initium labentis sæculi, diu suspensa manere non poterat, cumque observantia prædictarum obligationum non paucas conscientiarum angustias gignere poterat, hinc factum est ut fideles recurrentes ad S. Sedem regulariter admitterentur ad compositionem. Porro compositio in eo consistit ut soluta aliqua discreta summa pecuniæ omnibus inspectis circumstantiis taxanda, concedatur possessoribus facultas retinendi bona acquisita in pleno dominio cum jure de iis libere disponendi.

31. Nunc in specie agendum est de acquisitione bonorum ecclesiasticorum, quæ a gubernio civili nostra ætate occupata fuerunt, et alienata. — Quoad acquisitionem istorum bonorum præter generales dispositiones canonicas superius allatas, habemus etiam publicas protestationes pluries emissas a Summo Pontifice Pio IX. s. mem. quibus declaratum solemniter est, S. Sedem reprobare usur-

pationes bonorum Ecclesiæ a civili gubernio in Italia peractas et eorundem bonorum alienationes.

32. Verum ut tranquillitati conscientiæ fidelium consuleretur, factum est, ut regula designaretur tum quoad acquisitiones faciendas cum venia S. Sedis tum quoad acquisitiones jam peractas sine eadem venia. Regula hujusmodi, approbante Summo Pontifice, constituta fuit a S. Pœnitentiaria Apostolica cui a Summo Pontifice de hac materia tractandi munus præcipue commissum est. Et primo quidem quoad acquisitiones faciendas legitima causa interveniente, concedi a S. Pœnitentiaria solet facultas acquirendi bona a gubernio civili occupata sub quinque conditionibus. Porro hæc facultas conceditur per rescriptum in forma commissaria ab ordinario loci, ubi bona acquirenda existunt, exequendum. Et quidem regulariter exigitur prævia ipsius ordinarii informatio, et votum. Dixi regulariter: nam si tempus urgeat, nec possit ordinarius audiri, facultas conceditur ordinario permittendi contractum emptionis quatenus ita in Domino expedire judicaverit.

33. Conditiones autem sunt: 1°. Retinendi bona ad nutum Ecclesiæ, ejusque mandatis subinde parendi. 2°. Conservandi eadem bona, ac in eis rem utilem gerendi. 3°. Satisfaciendi piis oneribus, si quæ dictis bonis adnexa sint, et erogandi reditus eorundem bonorum, qui, facta proportione, excedant solutum pretium, vel in favorem personarum, aut locorum piorum ad quæ dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptione soluti, quatenus emptor illud repetere velit, prout ordinarius judicaverit. 4°. Solvendi pretium emptionis annuis ratis juxta privilegium a lege civili concessum. 5°. Certiorandi hæredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngraphum subscriptam ad hoc, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

34. Ut autem istæ conditiones intelligantur quædam animadversiones faciendæ sunt. Et primo quidem emptor suscipit onus conservandi bona. Quare sine venia Sedis Apostolicæ non potest emptor hæc bona alienare. 2°. In tertia conditione agitur de adimplendis piis oneribus. Jamvero circa hanc conditionem duo sunt animadvertenda: 1°. Mens S. Pœnitentiariæ est, ut possessor bonorum teneatur onera pia adnexa adimplere solummodo quando aliunde non adimpleantur. Quare possessor pia onera adimplere debet in subsidium aliorum, et per consequens ab omni obligatione eximitur quoties vel gubernium satisfactioni onerum sufficienter

providerit, vel rectores Ecclesiarum aut beneficiorum ad quæ bona pertinent, præsertim in casu conversionis eorumdem bonorum in reditus publici ærarii, teneantur oneribus satisfacere. 2°. Si omnes reditus bonorum vel eorum major pars ex lege fundationis eroganda sit in satisfactionem onerum ex. gr. in Missarum celebrationem, salvi semper esse debent possessori eorumdem bonorum annui fructus pecuniæ solutæ in emptione ad rationem quinque pro quolibet centenario, et residua pars redituum eroganda est in satisfactionem piorum onerum.

35. Præterea sciendum est S. Pœnitentiariam ex expressa Apostolica auctoritate ordinariis petentibus ad annum duraturas sequentes facultates concedere, quibus sive per se, sive per aliam idoneam personam ecclesiasticam ab iis ad hoc specialiter deputandam licite, et libere uti valeant: 1°. Indulgendi christifidelibus, ut res annonarias, fructus terræ, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas ad Ecclesias, aut loca pia spectantes, et a Gubernio usurpatas acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore præsertim Ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsæ spectabant, ab ordinario, sive a confessario taxanda, quatenus emerint pretio quod judicio ipsius ordinarii, aut confessarii fuerit minus justo: ita tamen ut, si agatur de rebus quæ non sunt usu consumptibiles, sive quæ servando servari possunt, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocumque Ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio, restituere, et curando pro viribus, ut suppellectiles, vasa, ac utensilia sacra in usum aliarum Ecclesiarum seu oratoriorum transferantur nec in usus profanos assumantur.

2°. Providendi sub iisdem conditionibus, et prævia eorum absolutione cum congrua pœnitentia salutari iis, qui easdem res jam emerint, excepto tamen casu in quo res emptæ superent valorem quingentorum scutatorum.

36. 3°. Similiter facultatem ad annum duraturam concedit indulgendi iisdem christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio usurpata conducere, seu jam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu Ecclesiarum ad quas eadem bona de jure pertinent, quatenus conduxerint pretio, quod judicio ordinarii seu confessarii fuerit minus justo, et obligatione faciendi quantum poterunt sub ordinarii directione pro conservatione

præsertim sacrarum ædium ac templorum, quæ iisdem bonis fuerint adnexa, ac prævia absolutione cum pœnitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, necnon remoto, et reparato scandalo.

Quamvis autem optandum maxime sit ut hujusmodi conductiones ad breve tempus fiant tamen S. Pœnitentiaria declarat, non obstare, quod, sic jubente Gubernio, conductio fiat ultra triennium, cum hujusmodi conductionis contractus sit ipso jure nullus, et indultum Apostolicum concedatur conductori tantum pro suæ conscientiæ tranquillitate, et sit ad nutum S. Sedis omnino revocabile.

37. Quoad vero facultatem recipiendi in emphyteusim bona ecclesiastica a Gubernio usurpata, nec non redimendi canones emphyteuticos, vel census aut alias præstationes quæ impositæ sunt bonis ad familias privatas pertinentibus juxta praxim nuperrime inductam, recurrendum est ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium.

38. Modo aliquid dicendum de acquisitionibus bonorum ecclesiasticorum immobilium, et redemptionibus canonum, censuum et aliarum præstationum jam peractis absque venia S. Sedis.

Ut consuleretur conscientiis fidelium datæ sunt locorum ordinariis literæ a S. Pœnitentiaria die 1. Junii 1869 in quibus peculiares facultates concessæ fuerunt sub quibusdam conditionibus ut perdurarent tempore Jubilæi indicti per literas Apostolicas diei 11. Aprilis ejusdem anni. Quare, cessante Jubilæo, hujusmodi etiam facultates illæ cessarunt. Attamen S. Pœnitentiaria christifidelibus recurrentibus post acquisitionem bonorum ecclesiasticorum immobilium, aut post redemptionem canonum etc. initam cum Gubernio absque venia S. Sedis, solet ordinariis concedere facultatem in singulis casibus absolvendi oratores qui ad eandem S. Pœnitentiariam recurrunt, et iisdem indulgendi ut bona vel acquisita vel redempta retineant sub conditionibus designatis in iisdem literis diei 1. Junii 1869.

39. Videlicet emptores sine venia juxta præscriptionem ipsarum literarum sub *n. 4.* debent per syngraphan subscriptam vel coram testibus subsignatam in curia episcopali custodiendam, acceptare sequentes conditiones:

1°. Retinendi bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.

3°. Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.

4°. Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis ad quæ de jure pertinent.

5°. Monendi hæredes, et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

40. Circa istas conditiones juxta praxim S. Pœnitentiariæ animadvertendum est 1°. etiam istos emptores teneri ad onera pia adimplenda solummodo quando aliunde non adimpleantur; 2°. quantitatem subventionis, de qua in quarta conditione, determinandam esse judicio prudentium personarum, et præsertim Ordinarii, vel Confessarii, omnibus inspectis circumstantiis; 3°. ne causæ piæ ditiores fiant aliena jactura in casu restitutionis bonorum salvam esse posse possessori compensationem utilium meliorationum in bonis peractarum judicio peritorum virorum taxandam habita præ oculis regula forensi 'quod minus est inter impensum et melioratum'. Videlicet causa pia solvere debebit pecuniæ summam respondentem expensis factis a possessore, si expensæ hujusmodi minores sint meliorationum valore, et viceversa.

Quod si possessor bonorum acquisitorum a Gubernio eadem absque venia S. Sedis alienaverit, S. Pœnitentiaria facultatem concedit in singulis casibus absolvendi oratores a censuris sub sequente conditione expressa in citatis literis sub *n. 5.* videlicet: 'Deposito lucro exinde injuste percepto in manibus ordinarii ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quæ damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriæ consulant conscientiæ, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis'.

41. Si sermo sit de Christifidelibus, qui bona ecclesiastica a Gubernio in emphyteusim sine venia S. Sedis receperunt, S. Pœnitentiaria in singulis casibus providit, ut supra, sub sequentibus conditionibus expressis in iisdem literis sub *n. 8.*: 1°. Conservandi bona, et in eis rem utilem gerendi. 2°. Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad canonis affrangationem. 3°. Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis parendi quoad eorumdem bonorum restitutionem. 4°. Adimplendi pia onera eisdem bonis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur. 5°. Solvendi annuum canonem, illumque augendi ad tramites justitiæ et juxta æstimationem peritorum timoratæ conscientiæ, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.

6°. Monendi hæredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

42. Quid vero dicendum, si Christifideles non solum receperunt a Gubernio bona ecclesiastica in emphyteusim, sed etiam eadem bona redimere absque venia S. Sedis non dubitarunt?

Sacra Pœnitentiaria juxta cit. literas *diei 1. Junii 1869 sub n. 9.* solet providere sub iisdem conditionibus quæ in iisdem literis *diei 1. Junii 1869* referuntur in *n. 4.* quas supra exposuimus quoad emptores bonorum sine venia Sedis Apostolicæ. Si agatur de Christifidelibus qui privato arbitrio redemptionem peregerint censuum, et aliorum jurium ecclesiasticorum de natura sua redimibilium S. Pœnitentiaria easdem per medium ordinarii juxta præfatas literas sub *n. 10.* absolvit, dummodo prius in manibus ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, ad quæ census seu jura redempta pertinebant.

43. Tandem si agatur de canone, vel aliis præstationibus de natura sua non redimibilibus, redemptis absque licentia S. Sedis, S. Pœnitentiaria facultatem ordinariis concedit in singulis casibus fideles absolvendi sub conditionibus expressis in cit. literis *diei 1. Junii 1869 sub n. 11.* idest

1°. Retinendi fundos sic invalide affractos ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi eadem bona et rem utilem in eis gerendi.

3°. Servandi indemnia quocumque tempore loca pia super integra perceptione canonis, libelli ac præstationis, ac super quibusvis aliis juribus quæ ad ipsa loca pia subinde spectabant, necnon adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa quatenus aliunde non adimpleantur.

4°. Monendi hæredes, et successores per syngrapham subscriptam, de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

44. Animadvertimus vero expositas conditiones ordinarie imponi Christifidelibus recurrentibus ad S. Pœnitentiariam: at hoc non prohibere quominus ob peculiares circumstantias ab ordinariis in informatione recognitas, eadem S. Pœnitentiaria speciale aliquod rescriptum concedat, in quo ex expressa Summi Pontificis approbatione ab expositis conditionibus recedat, et mitiorem normam adoptet. Quare unaquæque Curia Episcopalis omnia fideliter, et

accurate in suis literis testimonialibus exponere debet, ut S. Sedes singulorum oratorum casui rite providere, et remedium magis minusque benignum adoptare valeat.

45. Ut vero conscientiæ fidelium censuris illaqueatæ citius consulatur S. Pœnitentiaria de speciali et expressa apostolica auctoritate in hodierna praxi solet ordinariis petentibus concedere indultum ad annum duraturum quo iisdem facultas tribuitur sive per se, sive per alias idoneas personas ecclesiasticas singulis vicibus deputandas intra fines suæ diœceseos Christifideles sibi subjectos, qui in casus expressos in literis *diei 1. Jun. 1869 sub n. 4. 5. 9. 10. et 11.* incurrerint, et humiliter absolvi petierint, absolvendi, impositis unicuique conditionibus respectivis cum congrua pœnitentia salutari, et obligatione reparandi scandalum meliori modo quo possit fieri et caute monendi socios, ut et ipsi conscientiæ suæ consulant. Prohibentur vero Ordinarii quominus conditiones in iisdem literis expressas mutent, aut modificent, et iisdem præscribitur, ut si speciales circumstantiæ exigant mutationes vel modificationem conditionum rem deferant ad eandem S. Pœnitentiariam.

Quinam vero sint casus comprehensi sub cit. numeris literarum *diei 1. Junii 1869* de quibus sermo est in indulto, jam supra exposuimus. Sunt vero 1°. casus emptorum sine venia; 2°. emptorum qui bona empta alienarunt; 3°. fidelium qui bona in emphyteusim receperunt a Gubernio et simul affregerunt canonem; 4°. fidelium qui affregerunt census, et alias præstationes redimibiles; 5°. fidelium qui affregerunt canones, et alias præstationes de natura perpetuas, et irredimibiles.

Titulus XVIII.

De locato et conducto.

1. Locatio-Conductio est 'contractus bonæ fidei solo consensu initus, quo usus, vel fructus rei, aut opera personæ conceditur pro certo pretio, vel pro mercede'.

Qui promittit usum aut fructum aut operam ut recipiat pretium vel mercedem dicitur locator; qui pretium promittit aut mercedem ut persentiat commodum rei aut operæ dicitur conductor vel locatarius. Objectum hujus contractus est triplex: 1°. usus si agatur de re, quæ non fructum, sed usum præstare potest ex. gr. domus. 2°. Fructus si concedatur prædium frugiferum ex. gr. hortus,

vinea. 3°. Operæ serviles, et pretio æstimabiles. Hinc non dominium rei transfertur in conductore sed solum usus aut fructus.

2. Ex quo duo sequuntur: 1°. Objectum hujus contractus esse non posse res fungibiles seu quæ usu consumuntur. 2°. Contractum locationis non posse constituere titulum præscriptionis etiam longissimi temporis. Locationis, et conductionis contractus potest in genere perfici ab omnibus qui ex una parte possunt disponere de rebus locandis et ex altera possunt obligationem suscipere. In jure autem nostro clerici, et religiosi viri prohibentur conducere prædia laicorum ob scopum exercendæ negotiationis. Hinc si conducat Clericus prædium in alium finem non prohibetur conficere contractum hujusmodi. Cf. possunt *can. 1. caus. 21. q. 5. et c. 1. Ne Clerici, vel Monachi.* Hæc vero dispositio facta est in similitudinem juris Romani quod in *l. 31. c. h. t.* conductionem prædiorum militibus interdicebat ne impedirentur ab exercitio armorum.

Locare autem prædia sua non prohibentur Clerici, vel religiosi viri.

3. At quid de rebus ecclesiasticis: possuntne conduci-locari? Res temporales Ecclesiæ quæ usum præstare possunt aut fructum absque periculo simoniacæ pravitatis locationis objectum possunt constituere. Verum pro rebus immobilibus servanda est dispositio Extr. *Ambitiosæ un. inter comm. De reb. Eccles. non alien.*, ut scilicet absque juris solemnitatibus requisitis in alienationibus locatio fieri non possit ultra triennium. Triennium vero hujusmodi ceu alias notavimus est triennium fructuum rei, non vero temporis ordinarii, seu triennium computatur ex tribus collectionibus fructuum.

4. Quod si locatio facta fuerit ultra triennium utile absque solemnitatibus, sustineturne saltem pro primo triennio? Si contractus factus sit per modum unius, nullimode valet. Si divisio facta sit ita ut possit primum triennium separari a reliquo tempore, pro quo possit contractus protrahi vel confirmari, aut iterum celebrari, contractus sustinetur pro primo triennio.

5. Quid vero si antequam expleatur triennium factæ locationis, vacet Ecclesia, vel præbenda, cujus bona locata sunt? Successor teneturne observare contractum antecessoris?

Doctores distinguunt inter duas species. Prima est si prælatus, vel generatim possessor beneficii locat bona pertinentia ad suam præbendam quorum bonorum fructus ad ipsum possessorem

spectant; 2ª. si locat bona Ecclesiæ quæ nempe non sunt destinata ad sustentationem ejusdem locatoris in individuo, sed cedunt favore Ecclesiæ vel monasterii. In prima specie locatio facta est nomine ipsius prælati, et possessoris beneficii, in secundo vero nomine Ecclesiæ. In primo casu igitur censetur contractus, et obligatio personalis. Hinc cessante persona, cessat etiam obligatio. In secundo obligatio perseverat, quia Ecclesia numquam deficere censetur. Rationem vero pro prima specie afferunt ex *capp. ult. de off. ord. in 6.* et *12. De Testam.* in quibus statuitur regula sequens, ut nempe fructus beneficii vacantis ipso jure pertineant ad successorem, eique servandi sint. Quare si locatio antecessoris obligavit successorem, antecessor disposuisset de re aliena. E contra locatio de bonis Ecclesiæ facta a prælato vel rectore nomine Ecclesiæ æquiparatur contractui quem de bonis pupilli, vel minoris perficit tutor, vel curator, cujus obligatio ipsum pupillum vel minorem etiam tangit *l. 8. ff. De administr. Tutor.*

Concludunt igitur in prima specie non teneri successorem bene vero in secunda ad observandum contractum locationis initum ab antecessore.

De obligationibus et juribus locatoris et conductoris.

6. Locator tenetur præstare conductori rem locatam pro tempore, et usu in contractu designatis, ita ut si secus fiat, debeat pretium restituere pro rata non usus, et simul præstare quanti interest non fuisse completum usum. Hinc ex. gr. si locator antequam expleatur tempus locationis domum vendat, quoniam emptor, nisi speciale pactum in venditione fuerit adjectum, non tenetur ad observantiam contractus locationis a venditore initi, conductor expulsus ab emptore potest urgere venditorem ad observantiam locationis. *Cf. l. 15. § 8.* et *l. 9. c. h. t.*

7. At etiam non finito tempore locationis, potest locator rem suam recuperare et invito conductore 1°. si conductor pensionem depactam non solverit notabili tempore; 2°. si usibus propriis locatoris inserviat res, vel 3°. si res indigeat reparatione quæ ultra differri nequeat; 4°. si in re locata conductor male fuerit versatus *c. 3. h. t.*

8. Conductor vero tenetur rem conductam custodire diligenter: hinc tenetur de dolo, et de culpa lata, et levi, si res perierit, vel facta fuerit deterior *l. 9. § 3. ff. h. t.* Insuper eam adhibere debet

ad usum designatum in contractu secus actione locati tenetur *l. 40. ff. De furtis.* Tenetur tandem ad solvendum integrum pretium, vel mercedem statutam *l. 28. ff. h. t.* intra tempus designatum in contractu. Nulla facta designatione temporis in contractu pretium solvitur ordinarie locatione completa.

9. Quid vero si locato prædio frugifero, deficiant vel in toto, vel in parte fructus rei: imminuine debet pretium constitutum? Responsio exhibetur in *c. 3. h. t.* Cum pretium vel pensio constituatur ad repræsentandos fructus rei locatæ, sequitur saltem ex æquitate, ut cum ob sterilitatem, vel alium eventum, citra culpam conductoris fructus vel prorsus non percipiantur, vel solum in exigua quantitate, simul vel in toto, vel in parte pretium vel pensio condonetur. Ita in cit. *c. 3. et l. 15. ff. h. t. § 2.*

At nonnulli excipiuntur casus 1°. ex eod. *c. 3.* si damnum ex sterilitate præcedentis, vel subsequentis anni ubertate compensetur. 2°. Si conductor susceperit in se omne periculum imminutionis fructuum, et etiam casum fortuitum. 3°. Si sterilitas sit consueta, aut oriatur ex vitio quod manifeste inhæret rei. Hoc enim in casu præsumitur conductor renunciasse juri compensationis cit. *l. 15. ff. h. t. § 2.*

10. Quærunt doctores utrum nulla posita conditione in contractu, conductor teneatur augere mercedem in casu notabilis ubertatis, et majoris copiæ fructuum.

Nullum dubium moveri potest, si major copia fructuum ex industria coloni seu conductoris derivaverit: hoc enim in casu fructus honesti considerantur ceu merces, et præmium laboris, et diligentiæ conductoris ipsius. At ex juris intentione exigi nequit augmentum pensionis quando major ubertas ex tempestatum favore proveniat. Nam tunc solum in jure augenda dicitur pensio ex fertilitate, quando ob sterilitatem minus fuerit solutum anno præcedenti *cit. l. 15. § 4. ff. h. t.* Ratio autem diversitatis juridicæ hujus dispositionis ab alia dispositione favore conductoris ex eo deducitur quod leges propensiores sint damnis sarciendis quam agenti de lucro captando. *Reg. 33. juris ff.*

11. Quum emphyteusis similitudinem habeat cum locationis contractu, cumque in *cap. 4. h. t.* de emphyteusi agatur, hinc quædam de emphyteutico contractu dicenda sunt.

Emphyteusis est ‘contractus stricti juris quo res immobilis cum translatione dominii utilis, retento dominio recto seu proprie-

tate, alteri colenda, fruenda pro annua pensione in recognitionem domini directi conceditur vel in perpetuum vel ad certum tempus'. Ille, penes quem remanet dominium directum, dicitur dominus directus, qui obtinet utile dominium dicitur emphyteuta. Dicitur contractus stricti juris quia ex sua institutione contractus hujusmodi censetur esse in commodum præcipuum emphyteutæ, qui pensionem annuam non solvit pro utilitate seu fructibus quos percipit, sed in recognitionem domini directi. Quare pensio debet esse exigua nec respondens, aut æquiparanda fructibus rei emphyteuticæ.

12. Animadvertimus id esse ex institutione primitiva contractus, at inde processu temporis factum esse ut pensio augeretur, et forsitan modo non celebratur contractus emphyteuticus quia annuus canon enorme æquipararetur fructibus rei. Hinc incipit distingui inter emphyteusim propriam, et impropriam, ita ut impropria appellaretur emphyteusis in qua pensio destinatur in contemplationem fructuum rei, quæ impropria emphyteusis non differt a locatione longi temporis.

13. Dicitur vel in perpetuum vel ad tempus determinatum. Nam aliquando conceditur res absque ulla restrictione temporis et emphyteusis dicitur perpetua, aliquando vero ut emphyteusis perduret certo tempore, et præsertim ad certas generationes emphyteutæ: et hoc in casu emphyteusis dicitur temporanea. Animadvertimus in emphyteusi rerum ecclesiasticarum ad certam generationem, ex. gr. ad tertiam, vel quartam, nisi aliter expresse cautum fuerit, primam generationem computari a prima persona quæ recipit investituram emphyteusis, ita ut filii ejusdem personæ constituant secundam generationem.

Præcipua divisio est ut alia sit simpliciter hæreditaria et transitoria ad quoscumque, alia autem quæ dicitur inita cum pacto, et providentia. Prima conceditur ita ut possit transire ad quoscumque hæredes etiam extraneos. Secunda determinatam habet lineam successionis, sive in familia sive in gente seu agnatione primi emphyteutæ. In hac secunda emphyteusi alienatio emphyteusis non nocet successoribus eo quod isti succedunt in emphyteusim nomine proprio seu jure ipso primæ institutionis emphyteusis.

14. Quæritur an res Ecclesiæ possint in emphyteusim concedi? Cum contractus hujusmodi res immobiles respiciat, ac exhibeat speciem alienationis: hinc sequitur in emphyteusim concedi in genere non posse res Ecclesiæ, nisi ex gravi causa et adhibitis juris

solemnitatibus *l. 12. c. 12. q. 2. c. 5. De reb. Eccl. alien.* et *Extr. Ambitiosæ eod. tit. inter commun.*

15. Excipi autem debent res exigui valoris, quæ scilicet possunt alienari absque juris solemnitatibus, nec non res quæ solent in emphyteusim concedi. Res enim hujusmodi si utilitas Ecclesiæ verificetur possunt a prælatis absque alia juris solemnitate concedi in emphyteusim *cit. Extr. Ambitiosæ.* Sed post Constit. Pii V. *'Admonet nos'* et Urb. VIII. *7. Sept. 1624.* S. Congr. EE. et RR. semper requirit novum beneplacitum Apostolicum cum renovatio non soleat esse Ecclesiæ utilis. V. De Angelis *libr. III. tit. XIII. pag. 284.*

16. Emphyteuta tenetur canonem solvere integrum nec imminui potest, si fructus imminuatur, aut res pro parte pereat, nam canon solvitur in recognitionem domini directi, ne ejus memoria pereat. At in emphyteusi impropria, servanda est regula superius allata pro contractu locationis et conductionis. Emphyteuta insuper rem servare tenetur. Hinc non potest dominium utile cum melioramentis vendere nisi tribus servatis conditionibus: 1°. ut denunciet venditionem domino directo, et bimestre expectet an ipse dominus præferri velit sub paritate oblationis. Prima hæc conditio non videtur necessaria, cum emphyteuta rem emphyteuticam vel donat vel concedit in dotem vel legat etc. quia in legibus expresse cavetur solum de alienatione per venditionem. Secunda conditio est ut vendat personis quæ a domino directo juste non prohibeantur *c. fin. h. t.*

3°. Translato dominio utili in aliam personam excepto titulo legitimæ hæreditatis, vel dotis novus emphyteuta tenetur domino directo solvere laudemium in recognitionem domini directi. Laudemii quantitas ex jure Romano in *l. 3. c. De jure emphyt.* est quinquagesima pars veri pretii fundi emphyteutici idest 2 scutata pro quolibet centenario numero scutatorum, et sic facta proportione in aliis speciebus monetarum.

17. Finitur emphyteusis 1°. expleto tempore, vel cessante linea personarum quibus concessa est, aut completo numero generationum quæ in concessione designantur. 2°. Si res emphyteutica pereat. Si vero pereat culpa emphyteutæ, culpa ab eodem præstanda est. 3°. Si emphyteuta rem vendat, non servatis conditionibus de quibus supra. 4°. Si male fuerit in re emphyteutica versatus scilicet si ex ejus culpa etiam levi res in substantia deterior facta fuerit;

ex. gr. si sylvas exstirpet, si reparationes necessarias negligat in domo emphyteutica etc. 5°. Si per biennium canonem non solvat in emphyteusi ecclesiastica et per triennium in civili. Porro in emphyteusi ecclesiastica datur emphyteutæ purgatio moræ ceu innuitur in *c. ult. h. t.* ubi dicitur 'Nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset'. Tribus in posterioribus casibus dicitur locum habere caducitas seu pœna commissi, quia nempe aufertur res emphyteutica etiam ab invito emphyteuta.

18. Quæritur finita emphyteusi ad quem pertineant melioramenta rei emphyteuticæ.

Si in contractu cautum sit de aliquibus melioramentis perficiendis, profecto hæc melioramenta consolidato dominio utili cum directo ad dominum directum pertinent, quia emphyteuta censetur suscepisse onus adjectum in contractu in favorem rei emphyteuticæ *l. 2. De jure emphyt.* At meliorationes factæ citra obligationem in contractu susceptam ad emphyteutam pertinent, eas vero amittit si ex culpa sua incidat in pœnam caducitatis seu commissi *l. 2. C. De jure emphyt.*

Doctores vero ajunt etiam in hoc casu emphyteutam posse repetere meliorationes vere extraordinarias, et magni momenti quæ rem notabiliter fecerint majoris valoris ne dominus directus nimis dives fieri videatur aliena jactura.

Titulus XIX.

De rerum permutatione.

1. Permutatio si lato sensu sumatur omnem comprehendit contractum quo pro una alia res recipitur ex. gr. emptio et venditio. Stricto sensu definitur 'contractus bonæ fidei realis, quo res in certa specie ex lege datur, ut vicissim detur res alia in specie certa'. Dicitur contractus bonæ fidei quia utrinque enascitur obligatio. Dicitur realis; quia non solo consensu conficitur, sed etiam rei traditio necessaria est ad contractus substantiam, ita ut si unus tradidit, et alter non, qui tradidit habet jus pœnitendi, et rem suam repetere potest, quamvis alter non sit in mora. Contractus enim non censetur perfectus ante mutuam traditionem. At inspecto stricto jure canonico juxta *cap. 1. De pactis* ipsa conventio de permutatione facienda utrumque contrahentem obligat, quia lex canonica in cit. loc. statuit etiam pacta nuda esse observanda.

Datur vero res determinata, ut alia determinata res vicissim detur ne tam facile locum habeat læsionis periculum.

2. Quæritur an res Ecclesiæ permutari possint?

Res Ecclesiæ aliæ sunt mere spirituales, aliæ spiritualibus adnexæ, aliæ mere temporales. Res spirituales non possunt cum temporalibus permutari: pretio enim non sunt capaces res mere spirituales. Hinc permutatio hujusmodi labe simoniaca esset infecta *c. 9. h. t.* At permutari potest res spiritualis cum alia spirituali ex. gr. celebratio sacrificii Missæ cum alia celebratione sacrificii Missæ ex. gr. possunt duo sacerdotes inter se intentionem celebrationis permutare uno loco alterius celebrante Missam, nisi agatur de onere mere personali adimplendo. Sic etiam mutua bonorum operum ministerii sacri permutatio fieri permittitur.

3. Res temporales ad Ecclesiam pertinentes cum aliis temporalibus rebus possunt permutari: at sub ea lege ut si res sint immobiles et non exigui valoris vel sint utiles pretiosæ permutari nequeant absque justa causa, et absque solemnitatibus juris de quibus supra egimus in tit. *De reb. Eccl. alien. vel non.* Traditur hoc principium in *c. 2. h. t.* et in *can. 52. c. 22. q. 2.* qui ita se habet: 'Sine exceptione decernimus ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare vel commutare, vel vendere valeat, nisi forte aliquid novum faciat et meliora præspiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ'. Excipitur casus quo princeps expostulat rem temporalem Ecclesiæ et aliam offerat vel majoris vel æqualis æstimationis *c. 1. h. t.* Si autem temporalis res sit mixta rei sacræ seu spirituali, permutatio fieri potest: at cum re simili. Hinc calix consecratus permutari non potest cum beneficio aut jure decimarum.

4. Tertia classis rerum Ecclesiæ sunt eæ, quæ spiritualibus adnexæ sunt. Tales sunt beneficia, in quibus jus percipiendorum fructuum adnexum est officio sacro.

Quæritur an permutari beneficia possint?

In genere permutatio beneficiorum prohibita non est. At nonnullæ requiruntur conditiones. 1°. Ut uterque permutans possideat beneficium, secus enim non verificaretur mutua relatio *c. 16. De Except.* 2°. Ut adsit justa causa, seu utilitas, vel necessitas Ecclesiæ aut beneficii, quæ causa probanda est a superiore *c. 5. h. t.*

3°. Ut resignatio utriusque beneficiarii fiat in manibus superioris, qui auctoritate sua permutationem approbet conferendo beneficia resignata iisdem, mutata possessione.

5. Quid si fiat auctoritate privata?

A jure prohibetur ob periculum Simoniæ, hinc permutatio beneficiorum facta auctoritate privata exhibet speciem Simoniæ juris ecclesiastici. Quare hujusmodi permutatio nullius valoris est, et insuper, si fuerit consummata per ingressum in possessionem beneficii, uterque permutans privari potest etiam beneficio suo *c. 7. — h. t.* At id non impedit quominus duo possessores distinctorum beneficiorum inter se deliberare possint de facienda permutatione, quæ auctoritate superioris compleatur. Præterea si beneficium aliquod permutandum sit de jure patronatus, præter auctoritatem superioris requiritur etiam consensus patroni, qui nisi exquiratur, permutatio vel irrita est, vel saltem irritari potest ceu traditur in *c. 5. De jure patr.* Tandem facta permutatio publicanda est in Ecclesia vel in Ecclesiis ubi erecta sunt beneficia permutata.

6. Quid si unum beneficium sit pinguius altero; fierine potest compensatio per designatam quantitatem fructuum vel pensionem?

Duplex casus distingui potest. Primus est quo Ecclesiæ seu beneficia possideantur a personis moralibus, seu locis piis, ita ut bona pertinentia ad beneficia ab ipsis personis moralibus pleno jure possideantur ex. gr. a Capitulo vel a monasterio. 2°. Si possideantur in titulum ab individuis. De prima specie sermo est in *c. 6. h. t.* in quo quæstio proponitur de duabus Ecclesiis conventualibus, quarum unicuique adnexum erat beneficium curatum suis instructum possessionibus, et traditur, ob locorum commoditatem fieri posse permutationem eorundem beneficiorum facta compensatione redituum sub ea tamen conditione ut distincta conficeretur conventio: prima scilicet qua permutarentur parœciæ, secunda qua reditus compensarentur. Nec res absona est; nam potest distincte tractari de juribus spiritualibus et de possessionibus seu de juribus temporalibus, ad duo corpora moralia respective pertinentibus, nec compensatio ullo modo attingit res spirituales seu spiritualem jurisdictionem, et officia relativa.

7. Quod si beneficia possideantur in titulum ab individuis, cum jus percipiendi reditus conjungatur cum officio sacro in uno eodemque individuo ex ipsa institutione utriusque beneficii permutandi, sequitur unumquodque beneficium permutatum secumferre mini-

sterio juris etiam proprium jus percipiendi fructus præbendæ. Hinc compensatio locum habere non potest. Utrumque enim beneficium totum in suo esse transfertur tamquam quid unum resultans simul ex duobus elementis, officio nempe sacro et jure percipiendi fructus. Accedit quod possessor beneficii non est dominus, et proprietarius bonorum beneficii sui. Hinc non potest duplex celebrari conventio, una de juribus spiritualibus, altera de rebus temporalibus, quia neuter ex clericis permutantibus potest disponere de bonis, et juribus sui beneficii. At duplex fieri potest conventio in prima specie, in qua bona pertinere supponuntur ad monasterium et in genere ad corpus morale. Insuper notandum est neque ex Episcopi auctoritate separationem pinguioris præbendæ fieri posse ob legem generalem in rubrica *tit. XII. Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Hinc ad compensationem faciendam in nostra hypothesi auctoritate Pontificis opus est, qui separet portionem fructuum a beneficio majori, et eam concedat possessori alterius beneficii ad ejus vitam.

8. Animadvertimus tandem permutationem fieri non posse de beneficiis reservatis S. Sedi: quia secus facile eludi posset jus collationis ejusdem. Fieri permutatio potest de aliis beneficiis: nec ullo modo retardari aut impediri potest a gratiis expectativis quæ forte in aliqua Ecclesia alicui, vel aliquibus clericis concessa forent, dummodo permutatio non fiat in fraudem Pontificiæ concessionis *c. un. h. t. in 6.*

Titulus XX.

De feudis.

1. Feudum a fide, seu fidelitate definiri potest 'contractus consensualis, bonæ fidei quo alicui conceditur res immobilis cum translatione dominii utilis, retenta proprietate sub onere præstandi fidelitatem, et obsequium personale'. Hæc definitio exprimit contractum quo fit concessio feudalis; nomine vero feudi venit etiam ipsa res immobilis quæ in feudum conceditur.

2. Qualitas specifica hujus contractus in eo consistit ut fidelitas præstetur, et obsequium. Scilicet feudatarius qui etiam vasallus dicitur, tenetur fidem servare domino feudi ita ut nihil machinetur contra ipsum, sed ipsum consilio, et auxilio juvare teneatur. Propterea regulariter feudatarius præstare debet in ipsa

investitura feudi juramentum fidelitatis. Item tenetur feudatarius ad præstanda domino servitia honesta quæ veniunt sub nomine obsequii. Hæc vero determinantur vel ex lege institutionis feudi vel ex consuetudine locorum.

3. Porro quamvis feudorum concessio fuerit juris civilis, tamen etiam Ecclesia processu temporis hanc concessionem fecit suam. Quapropter feuda alia sunt laicalia, alia ecclesiastica. Alia sunt personalia, alia familiæ, quæ nempe constituuntur ita ut feudum transeat ad hæredes, et successores in linea determinata ex. gr. ad descendentes masculos ex masculis.

4. Ecclesia potest bona sua in feudum concedere. At cum contractus hujusmodi referat indolem contractus emphyteutici eædem requiruntur solemnitates quæ in emphyteusi necessariæ sunt. Hinc etiam bona quæ solita fuerunt concedi in feudum si finita feudali obligatione redierint ad Ecclesiam, poterunt absque solemnitatibus juris ab Episcopo iterum concedi in feudum ex justa causa. At si redierit feudum ex fraude possessoris, qui illud alienaverit, Episcopus investire debet vel filium alienantis, vel consanguineum ejus *c. 2. h. t.* Feuda ecclesiastica fere disparuisse dicenda sunt.

Titulus XXI.

De pignoribus et aliis cautionibus.

1. Cum de rebus Ecclesiæ actum fuerit, et de contractibus qui circa easdem res perfici possunt, superioribus titulis subnectitur præsens, qui est de cautionibus quæ faveant securitati contractuum eorundem.

Pignus prout est contractus definitur: 'Conventio qua res aliqua vel datur, vel obligatur in securitatem crediti'. Quare in hac conventione præsupponitur alius contractus vel aliud negotium in cujus subsidium et securitatem traditur pignus. Hinc cessante priore contractu, vel negotio etiam pignus cesset oportet. Aliquando nomine pignoris intelligitur res quæ obligatur in securitatem crediti.

2. Pignori affinis est hypotheca, quæ nihil aliud est quam jus reale competens creditori super re aliena in securitatem crediti sui. Pignus in eo differt ab hypotheca, ut pignus regulariter consistat in re mobili nec semovente; quæ regulariter creditori traditur: hypotheca vero consistit in re immobili, quæque penes de-

bitorem permanet. At censetur veluti ab eadem re separata juridice pars valoris quæ creditoris est in securitatem crediti sui. Quare in *l. 9. § 2. ff. De pignorat.* legitur: 'Proprie pignus dicimus, quod ad creditorem transit, hypothecam, cum non transit nec possessio ad creditorem'.

3. Præcipua divisio pignoris et hypothecæ est inter pignus et hypothecam expressam, et pignus et hypothecam tacitam. Expressum pignus, vel expressa hypotheca locum habet cum eorum constitutio efficitur vel ex partium conventione, vel voluntate testatoris vel ex sententia judicis. Tacitum pignus, vel tacita hypotheca locum habet, cum jus pignoris, vel hypothecæ ab ipsa lege inducitur, ita ut valeat etiam contra invitum dominum rei. Pignus et hypotheca hujusmodi dicuntur pignus legale, hypotheca legalis. Sic ex. gr. si vir dotem ab uxore recipiet, ipso jure ejus bona obligantur vinculo hypothecario in securitatem acceptæ dotis *c. 5. h. t.* Sic etiam Ecclesiæ, vel collegia habent tacitam hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris.

4. In genere res omnes quæ vendi, seu alienari possunt, pignori, et hypothecæ subjici queunt. Quid vero de rebus ad Ecclesiam pertinentibus? In *cap. 1. h. t.* prohibetur oppigneratio rerum sacrarum Ecclesiæ, nisi ex urgente necessitate. Hinc in genere ex sensu contrario non est interdicta oppigneratio rerum non sacrarum ad Ecclesiam pertinentium legitima interveniente causa. At causa hujusmodi non esse potest commodum, et utilitas personalis ipsius prælati vel rectoris, sed Ecclesiæ. Insuper cum oppigneratio seu obligatio hypothecæ sit species alienationis *c. 5. De Reb. eccl. alien. vel non.* et Const. *Ambitiosæ inter Extrav. com. eod. tit.* hinc neutra legitime perfici potest, nisi solemnitatibus juris adhibitis, de quibus in cit. titulo.

5. Quæritur: Quænam est obligatio creditoris qui pignus excepit? Cum contractus pignoris sit unilateralis, conficiatur nempe in commodum creditoris pro securitate crediti, hinc creditor tenetur rem custodire diligenter. Tenetur proinde præstare etiam culpam levem. Immo *arg. l. si ut certe § interdum ff. Commodati etc.* tenetur etiam culpam levissimam. Reiffenst. *De Commodato n. 28.* Insuper creditor non potest uti re oppignerata absque consensu domini saltem prudenter præsumpto, et rem ipsam soluto debito restituere debet cum omnibus accessionibus.

6. Immo si res frugifera sit, restituendi sunt etiam fructus, solis deductis expensis factis pro re conservanda fructibusque percipiendis *l. 16. ff. h. t.* et *c. 1. et 2. De Usuris* et *c. 6. h. t.* ubi dicitur 'Cum secundum canonicam sanctionem fructus restitui et in sortem debeant computari'. Ratio est quia pignus non pro fructibus crediti, sed pro securitate crediti constituitur. Cui etiam accedit ratio deducta ex principio juridico 'Quælibet res domino fructificat'.

7. Excipiuntur nonnulli casus. 1°. Ex *cap. 1. De Feudis* non tenetur dominus feudi in sortem computare fructus feudi quod feudatarius in pignus dedit eidem domino, dummodo dominus non exigat obsequia, et honesta servitia. Nam ideo usus fructus seu dominium utile feudatario conceditur ut præstet hæc honesta servitia. Quæ dispositio confirmatur ex *c. 1. De usuris.* 2°. Si viro res frugifera data fuerit a patre uxoris in pignus pro securitate dotis. Nam cum dos in jure sit natura sua fructifera eo quod datur ad sustentanda onera matrimonii, hinc fructus pignoris censentur esse fructus dotis. *c. 16. De Usuris.* 3°. Si clericus facit suos fructus rei oppigneratæ quæ pertineat ad suum beneficium, quod per injuriam fuerit a laico etiam patrono occupatum *c. 1. de usuris.*

8. Quæritur an pignoris contractui possit adjici pactum antichriseos?

Pactum hujusmodi in eo consistit, ut creditor usum fructum rei oppigneratæ habeat quoadusque debitum non fuerit solutum: scilicet percipiat fructus rei qui in restitutione ejusdem rei non sint computandi in sortem debiti. Pactum hujusmodi non probatur, quia quidquid ultra sortem in credito perciperetur, usuram sapit, atqui fructus sunt ultra sortem. Hinc in *c. 6. h. t.* traditur absolute fructus perceptos a creditore computandos esse in sortem debiti, nec ulla fit distinctio an pactum intercesserit, vel non. At in tribus casibus supra expositis, vel si justus titulus extrinsecus verificetur ex lucro cessante, aut ex damno emergente creditoris, potest creditor percipere fructus rei oppigneratæ.

9. Quæritur an eidem contractui possit adjici pactum legis commissoriæ? Scilicet pactum quo creditor, et debitor conveniant ut nisi intra certum tempus debitor restituat sortem, res oppignerata transeat in plenum dominium creditoris in crediti sui solutionem.

Pactum hujusmodi in *c. 7. h. t.* rejicitur tamquam feneraticium, quia pactum hoc solet adjici ab usurariis in eum finem ut rem oppigneratam faciant suam quæ res ordinarie major est quam sit valor et æstimatio crediti, ac proinde pactum legis commissoriæ continet palliatam usuram. At valet pactum hujusmodi, sive quando res æquivalet debito, vel si majoris sit æstimationis; valet pactum quoties partes conveniant rem utique post elapsum tempus determinatum fore creditoris, at sub ea lege ut restituat debitori excessum pretii supra proprium creditum. *c. 16. ff. De Pignorib.* § *ult.*

10. Cæterum creditor jus habet distrahendi pignus postquam debitor constitutus sit in mora solvendi: qui creditor insuper habet jus prælationis in casu quo debitor vel bonis cedat, vel ære alieno ultra vires gravatus demoriatur. Potest insuper creditor præscribere jus pignoris si cum bona fide pignus possideat tempore longissimo, vel etiam tempore longo cum justo titulo. At dominium rei præscribere non potest, quia numquam eam rem possidere potest animo domini sed semper precario rem possidet.

11. Breviter de secunda parte tituli, quæ est de aliis cautionibus.

Pignus est in securitatem crediti: hinc est species cautionis. Cautio est securitas, quæ alteri præstatur pro certa solutione debiti, vel juris observantia. Cautio est vel simplex, vel idonea, vel juratoria. Simplex cautio idem est ac nuda promissio. Cautio idonea quæ etiam dicitur sufficiens ea est quæ præstatur vel per pignus, et pignoraticia appellatur, vel per fidejussorem et dicitur cautio satisdatoria, satisdatio, fidejussio.

12. Juratoria cautio est quæ datur præstito juramento. Præstatur vero juramentum vel ad partis instantiam vel ministerio judicis in defectu cautionis idoneæ.

Titulus XXII.

De fidejussoribus.

1. Fidejussio est 'contractus quo quis manente obligatione debitoris, promittit se soluturum, vel satisfacturum id quod solvere, vel satisfacere tenetur debitor principalis'. Ex qua definitione patet, fidejussorem non destruere obligationem debitoris, sed fide sua accedere in securitatem obligationis ejusdem, ac veluti jubere ut

credatur debitori. Quare fidejussor distinguitur ab expromissore, qui acceptante creditore obligationem in se suscipit, et ipsum liberat debitorem.

2. Dividitur fidejussio 1°. in necessariam et in voluntariam. Necessaria quæ exigitur a lege vel judice *l. 13. ff. usufr.* voluntaria quæ sponte præstatur. 2°. Alia est principalis, alia secundaria prout vel accedit ipsius debitoris obligationi, vel alterius prioris fidejussoris obligationem confirmat. Aliis omissis, alia est simplex, alia solidalis. Simpliciter quis fide jubet quando accedit alterius obligationi in subsidium illius; ita ut fidejussor sit debitor minus principalis. Quare non potest actione percelli a creditore nisi cum excusso prius debitore principali creditor vel in toto, vel in parte proprium jus assecutus non fuerit. Hinc fidejussor, qui simpliciter fide jussit dicitur habere beneficium excussionis. In solidum vero cavet fidejussor, cum sese constituit debitorem æque principaliter cum primo, et vero debitore. Quo in casu fidejussor non gaudet beneficio excussionis scilicet creditor potest ad jus suum assequendum persequi vel debitorem singillatim vel fidejussorem solum, vel utrumque simul.

3. Ex jure civili romano fide jubere non possunt pupilli absque tutoris auctoritate, minores absque consensu curatoris, mulieres ex celebri Senatus Consulto Vellejano, nisi adhibitis solemnitatibus juris. Clerici de bonis propriis possunt fide jubere: at ne sæcularibus negotiis nimium misceantur prohibentur, frequenter, et sine causa aliorum obligationes in se suscipere. *Rubr. tit. Ne Clerici, vel Monachi.*

In bonis vero patrimonialibus, quæ titulum ordinationis constituunt, fide jubere clerici non possunt. Possunt vero fructus horum bónorum obligare; deduci autem debet prius quidquid est necessarium pro eorumdem honesta sustentatione, ne victum mendicare cogantur in dedecus status clericalis. Quoad vero beneficii bona Doctores cum Abbate in *c. 1. h. t.* tradunt clericum quidem posse fide jubere de fructibus beneficii sui, qui transeunt in ejus dominium, idest de illis fructibus qui transeunt in peculium parsimoniale, non vero fide jubere posse de ipsis bonis aut fructibus superfluis, quos uti videbimus in tit. *De peculio clericorum* impendere debet in pios usus. Ad rem facit *c. 2. De Solution.* ubi absolute prohibetur clericus Ecclesiam suam pro alienis debitis gravare. Sed doctores excipiunt casum necessitatis, et pietatis pro

egeno, nec non casum quo pro alia causa pia fidejussio fieri debeat, quia uti innuebamus clericus in usus pios impendere debet fructus superfluos beneficii sui. A fortiori ergo potest eosdem fructus fide jubendo obligare pro pauperibus ex necessitate aut pro aliqua causa pia. At si fidejussio fiat de ipsis bonis, requiritur solemnitas juris quæ pro alienationibus necessaria est.

4. Prælatus juxta *cit. c. 2. De Solut.* non potest fide jubere de bonis mensæ vel Ecclesiæ suæ, nisi id faciat in utilitatem ipsius mensæ vel Ecclesiæ, et servatis solemnitatibus quæ in alienationibus rerum Ecclesiasticarum requiruntur.

Religiosi, qui possessioni legitimæ renunciarunt non possunt fide jubere, nisi ex consensu prælati et capituli monasterii, et fidejussio debet esse non in commodum individuale ipsius prælati, aut religiosi sed Ecclesiæ vel monasterii *c. 4. h. t.*

5. Obligatio fidejussoris est relativa obligationi debitoris principalis. Hinc non plus obligatur quam sit obligatus debitor principalis. *l. 8. § 7. ff. h. t.* Quare si ex facto ex. gr. ex remissione creditoris contingat liberari debitorem, eo ipso eximitur etiam fidejussor ab obligatione sua etiam solidali.

6. Tria vero beneficia jus concedit fidejussori: scilicet excussionis, divisionis et cedendarum actionum. Primum beneficium de quo jam superius innuimus est ut si fidejussor actione percellatur a creditore, jure exigere possit ut antea excutiatur debitor principalis. Quod beneficium non competit fidejussioni solidali, nec a simplici fidejussore potest invocari, si notorie constet debitorem principalem solvere non posse. Secundum beneficium est divisionis quo scilicet si plures simul fidejusserint, et unus pulsetur ad totum solvendum debitum, hic potest exigere ut etiam alii pro eorum rata portione in jus vocentur. Tertium beneficium est ut fidejussor qui solvit, possit etiam judicialiter cogere creditorem ut sibi cedat omnes actiones, et eorum titulos, et instrumenta creditum respicientia tum contra debitorem principalem tum contra alios confidejussores, si adsint.

7. Quæritur utrum nondum facta solutione debiti possit fidejussor liberari ab onere fidejussionis?

In genere non potest quia obligatio fidejussoris est subsidiaria, et proinde perseverat quoadusque non defecerit obligatio principalis. Hinc transit etiam ad hæredes ejusdem fidejussoris. At in *cap. ult. h. t.* Greg. IX. tres casus adsignat in quibus fidejussor

potest petere liberationem etiam judicialiter a fidejussione, et debitor præstare tenetur etiam nondum soluta principali obligatione. Primus casus est si debitor nimium differat debiti solutionem. Non enim fidejussor præsumitur se voluisse obligare in perpetuum. Quænam vero sit mora necessaria ad concedendam liberationem fidejussori judex decernet. 2°. Si debitor dissipare incipiat bona patrimonii sui. 3°. Si fidejussor condemnetur ex sententia judicis ad debitum solvendum, potest etiam ante debiti solutionem statim agere contra debitorem principalem, ut debitor eum liberet a molestiis seu a fidejussione. Obtenta liberatione cessat fidejussio quemadmodum etiam finitur fidejussio 1°. si novatio obligationis efficiatur inter debitorem principalem et creditorem, inconsulto fidejussore. Ex. gr. si quæ debebat ex mutuo incipiat debere ex conductione, vel ex empto. 2°. Si in contractu tempus vel conditio apposita fuerit ad finiendam obligationem fidejussoris, ita ut scilicet aliquis fidejusserit solummodo ad certum tempus vel quoadusque non fuerit verificata aliqua conditio. Si vero creditori, inconsulto fidejussore, prorogare placuerit diem solutionis debiti, non amplius tenebitur fidejussor in securitatem debiti, cui obligatione sua accesserat.

Titulus XXIII.

De solutionibus.

1. Si fidejussio securitatem creditori procurat, solutio plene ejus juri satisfacit ac debitum extinguit. Solutio definitur 'Idonea præstatio debiti tempore, et loco conveniente legitime facta'. Definitio hæc exhibet veram debiti extinctionem, quæ non haberetur si præstatio non esset idonea, nempe si esset incompleta, vel non fieret loco, et tempore conveniente; nam facta solutione debiti principalis, adhuc reddi deberet indemnis creditor pro expensis vel incommodis, quæ exinde eidem obvenissent.

2. Si quæratur quinam solvere teneatur, in genere respondendum est, teneri eum qui debitor est, seu quicumque obligatur nulla facta distinctione status clericalis, vel laicalis et sexus: agitur enim de materia justitiæ, quæ clamat, unicuique suum esse reddendum.

3. Hinc etiam clerici suis, et Ecclesiarum oneribus satisfacere debent. Quid vero si prælatus, vel rector Ecclesiæ vel beneficii

possessor non solverit? Teneturne successor obligationibus seu debitis prædecessoris satisfacere? Profecto si debita contracta fuerint per modum obligationis, adhibitis solemnitatibus juris, nullum dubium est debita illa gravare ipsam Ecclesiam, vel beneficium; ac proinde ad successores transeunt.

4. At quid si debita fuerint absque solemnitatibus juris contracta? 1°. Successor non tenetur solvere debita contracta ab antecessore in sui commodum, seu pro privata sua utilitate aut ex alio titulo *c. 2. h. t.* et *arg. c. 1. De deposito.* Accedit ratio generalis ex principio: 'Antecessor non potest deteriorem reddere conditionem successoris'.

5. At quid dicendum de ære alieno contracto in utilitatem Ecclesiæ, et insuper quid dicendum si possessor beneficii expensas fecerit, sed vacante beneficio adhuc aliquid solvendum sit ratione illarum expensarum? Distinguendum est. Expensæ istæ optimo jure censendæ sunt tamquam obligatio personæ possessoris et per consequens, possessore deficiente, ejus hæredes tenentur residuas expensas nondum solutas præstare. Ratio hujus conclusionis in eo reponenda est, quod nempe actualis possessor beneficii, ceu usufructuarius bonorum debet ex fructibus beneficii ordinarias, et necessarias expensas facere ad bona beneficii et ad jura beneficii conservanda et tutanda. Quod si expensæ a possessore factæ fuerint tales, quæ superent vires beneficii et fructus bonorum beneficii ipsius, hoc in casu deficiente actuali possessore, si nondum omnes expensæ solutæ fuerint, quæ remanent, solvendæ sunt a novo successore: etenim quisque possessor beneficii non tenetur ultra vires beneficii expensas tolerare idest non tenetur supplere de suis bonis patrimonialibus defectui beneficii. Ergo expensæ hujusmodi magni momenti censentur optime esse onus seu obligatio ipsius beneficii. Quare etiam successor tenetur isto onere quoties non fuerit satisfactum eidem: et in hoc sensu optime Alexander III. disponit in *c. 1. h. t.* Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita prælatus debita sui prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta. Conf. Reiffenst. *h. t. n. 16. et seqq.* Hæc vero regula valet quidem re theoretice inspecta: at in praxi servatur norma superius posita, ita nempe ut gravare censeantur ipsum beneficium et per consequens etiam successores solummodo ea debita quæ contracta fuerint cum solemnitatibus juris. Cætera enim præsumuntur talia quæ potuissent a possessore beneficii persolvi ex ordinariis fructibus beneficii.

6. Ad rem facit quæstio resoluta a S. Congr. EE. et RR. die *28. Aprilis 1865.* Cujus species hæc erat. Capitulum in insula Siciliæ ad sua jura tuenda judicium annis 1825 et 1855 subire coactum fuit. Expensæ quas toleravit ingentem summam ducatorum 1176 attingebant. Existimans autem Capitulum istas expensas, quæ factæ fuerant ob utilitatem Ecclesiæ solvi debere non solum a præsentibus Canonicis, sed etiam a futuris, onus eas solvendi rejecit in ipsam massam capitularem, debitum fructiferum contrahendo. Hunc contractum in forma publica per acta notarii initum Vicarius Generalis, inscio Archiepiscopo tum graviter ægrotante, probavit. Archiepiscopus inde convalescens ea quæ gesta fuerunt a Capitulo nullius esse valoris dixit eo quod servata non fuerat forma in Const. *Ambitiosæ De Reb. Eccl. alien. vel non* designata; idest eo quia requisitum non fuerat beneplacitum Apostolicum. Deinde post varias vices, tandem Canonici S. Congregationi quendam modum proposuerunt ad debitum contractum extinguendum. Videlicet statuerunt illum solvendum esse annuis ratis intra decennium. Causa discussa est, et proposito dubio: 'An, et quo modo supplicandum sit SS^mo^ pro approbatione propositi modi extinctionis debiti in casu', S. Congreg. respondit 'Affirmative pro sanatione impositionis præfati debiti, et pro approbatione propositi modi extinctionis; ita tamen ut si actuales Capitulares integrum debitum non extinguant, teneantur eorum successores'.

Infertur ex hac decisione, debitum expensarum litis eo quod defuerat beneplacitum Apostolicum, invalide massæ Capitulari fuisse impositum, et illam impositionem indiguisse sanatione Apostolica ut obligaret successores. Quare sequens regula deducitur: ad solvendas expensas litis pro juribus capitularibus tuendis toleratas non teneri massam capitularem nisi capitulum præventive obtinuerit beneplacitum Apostolicum, nec proinde posse Capitulum sine eodem beneplacito debitum contrahere in præjudicium massæ capitularis, et obligare successores quamvis id faciat ad reintegrandas graves expensas toleratas pro juribus capitularibus defendendis. Hoc enim onus impositum massæ capitulari constituit speciem alienationis. Conf. Acta S. Sedis *vol. 1. pag. 557.*

7. Quid vero si is, qui solvere teneretur, sit non solvendo?

Si debita fuerint contracta ex vitio adversæ fortunæ a jure Romano datur remedium cessionis bonorum. Scilicet debitor bonis suis quæ adhuc habet, valedicere, eaque judici remittere tenetur

ut creditoribus tribuat juxta capacitatem bonorum eorundem; ipse vero debitor promittere debet se præstiturum quod deest si ad pinguiorem fortunam devenerit *l. 4. ff. De Cession. bonor.*

8. Jus vero canonicum aliquantisper dispositionem immutavit relate ad clericos debitores, induxitque privilegium *competentiæ* seu *deducto ne egeat,* quod cum *cap. Odoardus 3. h. t.* sit introductum, dicitur etiam privileg. ex *cap. Odoardus.* Species capitis est: Clericus quidam nomine Odoardus in diœcesi Remensi debita contraxerat cum pluribus. Creditores convenerunt eum coram officiali Archidiaconi Remensis. Odoardus confessus est debita, at declaravit se propter inopiam ea solvere non posse. Officialis nihilominus in eum sententiam tulit excommunicationis. Odoardus persentiens se ex sententia illa gravatum conquestus est apud Summum Pontificem Gregorium IX., qui judices delegavit iisque mandavit ut si constitisset, Odoardum solvere non posse debita in parte, vel in toto, reciperent ab eo idoneam cautionem qua sponderet se debita illa soluturum si ad pinguiorem fortunam devenisset et deinde relaxarent sententiam tribunalis archidiaconi Remensis.

9. Quæ decretalis ut intelligatur sciendum est hodierno jure post dispositionem Tridentinam in *c. 3. sess. 25. de Ref.* censuras in judiciis non esse adhibendas nisi in subsidium alterius cujusque remedii civilis, puta captionis pignoris, executionis realis, districtionis personæ. Immo usus censurarum in judicialibus negotiis prorsus disparuit. At veteri jure potuisset etiam in causis civilibus tribunal ecclesiasticum adhibere censuras quoties reus contumaciter restitisset præcepto judicis ceu traditur in *c. Dilecto. De Sent. excomm. in 6°.* Quod si censuræ sortitæ non fecissent suum effectum, ceu remedium subsidiarium adhibebatur incarceratio, vel districtio personalis. Quoad excommunicationem insuper animadvertendum est solitos fuisse judices censuras decernere non solum cum contumacia esset vera, et certa, sed etiam cum esset præsumpta. Quo in casu perdurabat vinculum censuræ quoadusque patuisset reum non fuisse contumacem. Quoniam vero in specie capitis non evidenter constabat utrum jure, vel immerito Odoardus mandato judicis de solvendis debitis non obtemperasset hinc sententia tribunalis valida per se erat. Quare Pontifex non mandavit ut nulla declararetur sententia, sed præcepit ut relaxaretur quoties de clerici inopia constitisset.

Quo posito, cum excommunicatio esset remedium ordinarium quo clericus adigeretur ad obsequendum præcepto judicis de solvendis debitis, hinc relaxatio sententiæ idem erat ac liberatio clerici a molestiis judicialibus quoad debitorum solutionem. Hinc merito doctores inferunt ex dispositione *cap. 3. h. t.* clericum qui non possit contracta debita solvere a judicialibus molestiis eximi.

10. Insuper cum censeatur non posse in solutionem debiti aliquid impendere, qui vix possideat necessaria pro sua sustentatione, hinc inferunt doctores in privilegio *cap. Odoardus* etiam comprehendi exemptionem clerici, propter ejus honestam sustentationem, ab actione judiciali, quoad eam partem substantiæ suæ, quæ ad ejus sustentationem necessaria est. Quare concludunt doctores clericum exemplo romani militis privilegio competentiæ gaudere, seu privilegio quo salva semper remaneat portio substantiæ competens pro honesta sustentatione. Ergo clericus privilegium habet ut si debita solvere ob inopiam nequeat, non possit excommunicari et incarcerari aut aliter molestiis urgeri, et, si bona possideat, non cogatur omnibus bonis cedere, sed semper reservetur portio necessaria pro honesta ejus sustentatione seu deducto ne egeat, præstita tamen idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit contracta debita solvere teneatur. Idonea autem cautio in sensu juris esset vel pignoratitia, vel fidejussoria; at ipsa glossa in *hoc capite* v. *idonea* animadvertit, hanc duplicem cautionem in casu clerici ære alieno gravati haberi non posse. Hinc sufficit cautio juratoria, quæ quoad clericum qui bonæ fidei supponitur, non minimi æstimanda est, per eam enim clericus censetur facere quod potest ad debitum solvendum *can. Faciat. c. 22. q. 2.*

11. Ut vero clericus privilegio competentiæ gaudeat requiruntur nonnullæ conditiones. 1°. Ut clericus non sit uxoratus; nam ut supra vidimus in *tit. De cler. conjug.* Clericis conjugatis reservatur solummodo duplex privilegium canonis, nempe et fori. Bonifacius enim VIII. in *c. un. eod. tit. in 6°.* ait: 'In cæteris eos gaudere nolumus privilegio clericali'; 2°. ut clericus confiteatur debita sua; hinc si clericus ex malitia debita deneget, et convincatur, privilegio frui nequit. Nam privilegium hujusmodi suam formam recipit ex *cap. Odoardus* in quo clericus ingenue sua debita confessus est; 3°. ut debita proveniant ex contractibus, et negotiis civilibus, non vero descendant ex delicto, vel quasi delicto.

Ita ex sensu capitis, in quo nulla mentio est de judicio criminali sive criminaliter acto sive civiliter, nec de pœna ratione delicti, vel dolosæ actionis debita. In hac exceptione doctores optimæ notæ comprehendunt etiam clericum qui in ludis prohibitis, vel in mala vitæ conversatione bona sua dissipaverit; 4°. ut pulsetur actione personali, nam est privilegium personæ. Hinc non gaudet hoc privilegio clericus qui percellatur actione reali, qua actor rem suam tamquam dominus recuperare nititur. Ex. gr. si clericus sit debitor ratione depositi et a deponente restitutio rei expostuletur. In debito autem personali hypothecario clericus privilegio gaudet, quia debitum hoc principaliter est personale, et hypotheca solummodo accedit in securitatem solutionis. Dixi in debito personali clerici. Nam si creditor persequeretur penes clericum actione reali rem vinculo hypothecæ ligatam a priore domino quam nunc clericus possidet, non videtur posse invocari privilegium competentiæ favore clerici. Ratio est, quia res transit cum onere suo, nec conditio creditoris fieri debet deterior, eo quod res vinculo hypothecario subjecta a priore domino transit ad clericum.

12. Quærunt doctores utrum valeat renunciatio quæ huic privilegio fiat a clerico ære alieno gravato. In *tit. pen. De pact.* exhibetur principium, unumquemque posse privilegio suo renunciare. Hinc non desunt qui dicunt, sustineri hanc renunciationem. Verum magis recepta est contraria sententia quæ tenet hanc renunciationem non valere quia privilegium competentiæ non est inductum proprie in favorem individualem personarum juxta sensum *t. penult. cit. lib.* sed potius consideratur ceu privilegium, introductum in favorem totius ordinis clericalis ne clericus debitis oneratus in dedecus cætus ecclesiastici judicialiter plus æquo vexetur, et cogatur victum sibi mendicare. Hæc sufficiant de iis qui solvere tenentur.

13. Quid vero si solvit is qui solvere non tenebatur? Conceditur eidem condictio indebiti. Condicere in casu idem est ac repetere actione personali in judicio id quod indebite fuit solutum; scilicet quod solutum fuit sine onere. De hac re agit *c. ult. h. t.* in quo peculiariter consideranda est dispositio quoad onus probationis. Scilicet in genere qui condictionem experitur ceu actor, probare tenetur se indebite solvisse, quæ dispositio etiam firmatur *l. 25. ff. De prob.* Quodsi adversarius denegat factum solutionis, et convincatur de accepta solutione, ipse et non amplius actor

tenetur probare debitum fuisse sibi, quod in solutione accepit. Ratio optima suppetit, quia nempe convictus de mendacio, talis æstimandus est coram lege, cui non credatur, nisi probet.

14. Quoad modum, tempus et materiam solutionis, cum specialis dispositio canonica non habeatur, servanda sunt principia juris civilis in iis præsertim quæ juri naturali evidenter cohærent. In genere si pacta adsint servanda sunt, nisi adsint curandum est, ne creditoris, pro quo ratio justitiæ militat, jura lædantur.

Titulus XXIV.

De donationibus.

1. Donatio idem videtur esse ac doni datio et definiri potest: 'Rei licitæ nullo jure cogente in acceptantem facta collatio, vel datio'. Solet etiam definiri: 'Liberalitas nullo jure cogente in acceptantem collata'. Donatio igitur continet speciem liberalitatis; hinc vere donat qui aliquid suum nullo jure cogente alteri confert. Ex hac nota characteristica donationis sequitur, donationem non præsumi, sed probari debere a donatario. Nemo enim præsumitur velle suas facultates perdere, scilicet sine aliquo correspectivo alienare. Hinc potius præsumitur error, seu erronea solutio quam donatio nisi agatur de re haud gravis momenti, quæ a viro nobili, et divite tribuatur, vel nisi adsit remunerationis ratio. Donatio est collatio rei licitæ. Nam res illicitæ censentur esse extra commercium, unde nec vendi vel emi possunt. Quare qui donavit rem illicitam non potest adjici ad rem tradendam. Dicitur in acceptantem; nam non censetur completa donatio nisi fuerit acceptata. Quare pollicitatio nisi acceptetur non obligat promittentem, qui ante acceptationem alterius potest promissionem revocare, modificare suam voluntatem jam antea expressam. Hinc pariter si quis absenti donaverit, et demoriatur quin donatarius cognoverit donationem, et eam acceptaverit, donatio nulla est *l. 2. ff. h. t.*

2. Quod si vero donatio facta fuerit Ecclesiæ, vel pro causa pia, et fuerit rationalis, servanda est, quamvis non fuerit cognita et acceptata a rectore, vel administratore Ecclesiæ. Nam præsumitur acceptata a Deo saltem ceu piæ voluntatis seria deliberatio *can. 3. c. 12. q. 2.* Immo, si fuerit illegitime repudiata a prælato, vel rectore, Ecclesia habet beneficium restitutionis in inte-

grum, et etiam actionem contra rectorem repudiantem ad assequendum quanti interest.

3. Ut donatio consistat, aliquando debet insinuari penes magistratum jurisdictione pollentem. Insinuatio scilicet est declaratio donantis apud judicem qua manifestat se aliquid donare ac petit ut in actis publicis adnotetur donatio, et instrumentum de eadem donatione conficiatur. Hæc insinuatio facienda est quoties donatio 500 solidos seu scutata Romana superat § *2. Inst. h. t.* Quod si negligatur insinuatio, sustinetur donatio usque ad 500 solidos; pro reliquis vitiatur. Ita jus romanum non reformatum a jure canonico.

4. Donatio alia verbalis dicitur alia realis; 1ª. est promissio per verba de præsente aliquid dandi vel præstandi ab alio acceptata, 2ª. ea est in qua non solum res promittitur sed actu etiam traditur. Secunda est completa donatio, qua dominium rei transit in donatarium. Prior censetur nondum perfecta. Hinc per hanc donationem non transit statim dominium rei sed solum jus ad habendam rem tempore congruo. Quare in traditione rei donans non tenetur fructus aut usuras solvere, licet fuerit in mora traditionis. Accedit etiam alia ratio ne scilicet liberalitas sua donatori nimis noceat *l. 9. ff. h. t.* § *1.*

5. Alia est donatio, quæ dicitur inter vivos, alia fit mortis causa. Donatio inter vivos est actus absolutus completus, vel complendus in vita utriusque contrahentis. Donatio mortis causa ea est, quæ fit a donante intuitu mortalitatis suæ, seu facta mentione mortis vel possibilitatis aut suspicionis ejusdem. Donatio inter vivos in genere est irrevocabilis, perficitur enim ad modum contractus inducentis obligationem.

6. At dantur in jure aliquæ causæ ob quas revocari potest. 1°. Ingratitudo qualificata, quæque a juristis ingratitudo prægnans dicitur. 2°. Supervenientia liberorum. 3°. Inofficiosa donatio. De ingratitudine prægnante agit *c. ult. h. t.* in quo traditur quadruplici in casu eam verificari 1°. si donatarius manus violentas intulerit contra ipsum donantem, etiamsi id per mandatarium perficiat. 2°. Si donatarius atroces injurias contra eundem donantem intulerit. 3°. Si grave damnum non intentare solum, sed reapse inferre ausus fuerit rebus seu patrimonio donatoris. 4°. Si vitæ insidias struxerit vel periculum procuraverit. Quibus in casibus animadvertendum est ex dispositione *c. ult. h. t.* revocationem

faciendam esse ab ipso donante, non vero jus revocandi transire ad successores ejus. Ratio est quia donans qui revocationis actionem non promovet censetur condonare injuriam sibi, vel bonis suis illatam. Hinc revocatio ob ingratitudinem qualificatam censetur esse actio personalis ipsius donantis. Animadvertendum est etiam, revocari non posse donationes inter vivos factas Ecclesiis vel causis piis ob prælati ingratitudinem, vel administratoris Ecclesiæ, vel causæ piæ. Prælatus enim, vel administrator non sunt ipsi proprie donatarii, quorum sit consideranda ingratitudo sed ipsa Ecclesia, vel causa pia est donataria.

7. Altera causa revocationis est si quis liberos non habens donavit vel omnia sua bona, vel partem notabilem eorum, et deinde vel unum, vel plures suscipiat filios *l. 8. c. De Rev. Donat.* Quia jus præsumit implicitam donationi esse conditionem 'nisi superveniant liberi, quos præsumitur donans velle absolute extraneis præferre.'

8. Tertia causa est inofficiositas donationis ex integro *tit. l. de inoff. donat.* Inofficiosa censetur donatio cum talis quantitas patrimonii donatione distrahatur ut filiis non remaneat salva portio legitima. Revocari autem potest donatio sive a liberis extantibus tempore donationis, sive a supervenientibus, immo etiam post mortem donantis. At hæc revocatio non destruit totam donationem sed coarctat ad id quod superest detracta legitima; seu revocatio fit usque ad legitimam. *Novel. 92. et legg. 1. et 5. c. De inoff. donat.*

9. Donatio mortis causa, seu contemplatione mortis facta, censetur valere si donans decedat cum voluntate donandi. Quare quoties revocaverit prorsus desinit esse. Consideratur scilicet donatio hæc ceu species legati. Hinc relinqui potest non solum in testamento sed etiam in codicillis nec incipit valere nisi morte donantis fuerit confirmata.

10. Quoad personas quæ possunt donare quæstiones fieri possunt, quæ magis civiles sunt quam canonicæ, unam solum persolvemus quæ est, an clerici, et religiosi possint donare. Et primo de Clericis. Profecto quæstio non est de rebus propriis clericorum, in quibus ipsi aliis civibus æquiparantur, sed de bonis Ecclesiæ. In *c. 2. h. t.* interdicitur prælatis, et rectoribus Ecclesiarum donatio quæ magna sit. Ratio est: quia prælatus vel rector est ad-

ministrator et non dominus bonorum ecclesiasticorum. At justa interveniente causa servatis solemnitatibus juris, possunt prælati magnas etiam donationes facere, immo etiam de rebus immobilibus et mobilibus pretiosis. Hæc vero dispositio descendit ex conceptu donationis quæ exhibet contractum præjudicialem et veram alienationem. Hinc aliter factæ donationes possunt et debent revocari non solum ab ipso prælato donante, sed etiam ab ejus successoribus juxta ea quæ diximus in *tit. De Reb. Ecclesiæ alien. vel non.* Causæ sunt ratio remunerationis et ratio pietatis et misericordiæ. Quod vero legitima interveniente causa, et accedente juris solemnitate possit prælatus donationes etiam magnas perficere patet ex *c. 5. h. t.* in quo ex causa remunerationis probatur uti valida et licita infundatio, quæ refert speciem donationis. Porro possunt prælati et rectores donationes parvas facere ex mera liberalitate, licet nempe non adsit gravis causa, præsertim ubi adsit consuetudo. Permittuntur vero hæ parvæ donationes etiam, ut avaritiæ suspicio ab Ecclesiæ ministris removeatur.

11. Si de religiosis sermo sit distinguendum est inter prælatos monasteriorum, et simplices religiosos. Prælati, cum censeantur habere ordinariam administrationem bonorum monasteriorum suorum et familiæ religiosæ, æquiparantur Clericis sæcularibus regimen Ecclesiæ alicujus habentibus, scilicet pastoribus Ecclesiarum. Hinc quoad superiores ordinum valet regula supra exposita in ordine ad prælatos sæculares.

12. Religiosi vero, si administrant beneficium unitum Monasterio ex. gr. parœciam, ex qua fructus et emolumenta derivant, possunt quidem parvas et ordinarias donationes perficere, præsertim titulo eleemosynæ, non vero magnas. Ita Doctores communiter. Religiosi autem intra septa monasterii viventes, nec aliquo beneficio instructi, nullamque administrationem peculiarem exercentes, neque parvas donationes facere possunt absque superioris licentia saltem tacita *arg. c. 6. De statu monachor.* et *can. 11. c. 2. q. 1.* Censentur enim nullum jus habere circa res monasterii citra usum personalem ad propriam sustentationem. Hac in materia de prohibitione donationis religiosorum conferri possunt Const. Clem. VIII. *Religiosæ Congregationis*, et Urbani VIII. *Nuper a Congregatione.*

Titulus XXV.

De peculio clericorum.

1. Clericus ex eo quod est Ecclesiæ mancipatus, de bonis ejusdem vivit, quorum bonorum regulariter habet etiam administrationem. At non prohibetur possidere bona quæ propria ejus sunt et constituant ejus peculium, idest privatum patrimonium. Nomine igitur peculii venit: 'Quidquid clericus habet in bonis distinctum a bonis Ecclesiæ'. Quæ denominatio inducta est per similitudinem ad jus civile, juxta quod admittitur peculium servorum, et filiorum familias constans ex rebus distinctis a bonis domini vel patris. Ex hoc conceptu sequitur peculium clerici non subjici dispositioni tit. *De rebus Ecclesiæ alien. vel non.*

2. Quadruplex est peculium clericorum. Primum appellatur patrimoniale, et componitur ex illis bonis, quæ clerico obvenerunt ex titulo aliquo civili ex. gr. successione, contractu, vel profana, sed non prohibita industria. Secundum peculium dicitur quasi patrimoniale, seu industriale quod componitur ex bonis quæ citra reditus beneficii sui, et absque intuitu beneficii sibi clericus comparavit labore speciali vel honesta industria in muneribus ecclesiasticis obeundis, vel in officiis sacri ministerii adimplendis ex. gr. in prædicatione verbi Dei. Hoc patrimonium respondet peculio castrensi vel quasi castrensi Romanorum. Tertium peculium est parsimoniale, et resultat ex illis bonis quæ sibi clericus comparavit subtrahens aliquid ex reditibus ecclesiasticis destinatis ad honestam vitæ sustentationem. Parsimoniale dicitur hoc peculium, quia parce vivendo illud sibi clericus comparavit. Quartum est proprie dictum ecclesiasticum, et appellari potest beneficiale peculium illudque resultat ex fructibus bonorum Ecclesiæ, quos suos facit clericus munia beneficii sui adimplens, et excedunt propriam clerici sustentationem. Unde hoc peculium comparat sibi clericus ex superfluis fructibus, vel distributionibus et ex reditibus pariter superfluis, quos ex. gr. parochus vi muneris parochiali beneficio adnexi percipit *cap. 9. De test.*

3. Quæstio quæ prima a DD. proponitur est utrum clerici cujuslibet peculii habeant dominium seu proprietatem. Certum est clericos pleno jure possidere bona patrimonialis peculii ceu expresse docet *c. 9. de Test.* Ratio est quia in iis quæ clericus assequitur ex titulo honesto, et proprio æquiparatur cæteris civibus,

ac proinde censetur rerum suarum dominus. Idem dicunt DD. tenendum esse de bonis peculii quasi patrimonialis; nam censentur esse bona acquisita ab ipso clerico ratione sui laboris, et industriæ absque intuitu beneficii; sunt scilicet pura merces laborum.

4. Insuper clerici habent plenum dominium etiam de bonis peculii parsimonialis. Nam si jure potuissent ea bona in proprios usus absumere eo ipso censentur hæc bona in dominium transiisse clericorum. Unica difficultas deducitur ex eo quod peculium hujusmodi conficiatur ex fructibus bonorum Ecclesiæ, et beneficii quod clericus possidet. At hac in re sciendum est, peculium quod ex fructibus beneficii componitur, distingui a doctoribus in peculium necessarium, et superfluum. Nomine peculii necessarii venit ea pars fructuum beneficii, quæ ad honestam clerici sustentationem requiritur. Jam vero ex doctrina sacrorum canonum hoc peculium necessarium censetur esse proprium clerici ita ut habeatur loco rigorosæ mercedis, et stipendii laboris personalis, quem in Ecclesia exercet. Aperte traditur hæc theoria ab Innoc. III. in *c. 18. De præb.* Igitur pars fructuum constituens hoc peculium habenda est veluti separata a bonis Ecclesiæ, et adsignata, et adscripta pro labore tamquam merces, et stipendium. Ex quo sequitur Ecclesiam non posse iterum partem eandem fructuum peculii ecclesiastici necessarii sibi vindicare. Ceterum caveant clerici ne ut parsimoniale peculium augeant, abjectione et sordibus vilescant.

5. Si quæratur quomodo computanda sit honesta sustentatio clerici, ut determinetur quodnam sit peculium ecclesiasticum, dicendum est regulam generalem proponi non posse. Præ oculis tamen haberi debet dignitas personæ, ejus gradus seu civilis origo, scientia et aliæ qualitates personales quæ minores vel majores exigentias secumferunt, nec non respicienda est 1°. temporis locique ratio; 2°. moderata hospitalitas non solum pauperum de qua in Trid. *sess. 24. c. 8. de Ref.* sed etiam consanguineorum, et extraneorum paupertate non laborantium; 3°. honesta recreatio; 4°. probabile periculum, si adsit venturi morbi, sterilitatis etc. In genere attendi debet in hac computatione prudens agendi ratio et usus clericorum proborum, qui in eadem conditione versantur. Ex quibus jam fluit clericos habere plenum dominium peculii quarti generis, seu peculii beneficialis seu ecclesiastici quoad eam partem quæ destinatur eorum honestæ sustentationi, seu peculii ecclesiastici necessarii.

6. Quid vero dicendum de peculio ecclesiastico superfluo? Peculium hujusmodi conflatur ex fructibus beneficii, vel intuitu beneficii perceptis: qui clerico supersunt defracta prius congrua portione pro ejus honesta sustentatione. Veteres fere omnes Canonistæ, et theologi docuerunt, horum bonorum verum dominium non esse penes clericos. Ex hac sententia descendit clericum, qui impendit bona Ecclesiæ superflua in causas profanas, teneri ex justitia ad restitutionem; impendit enim, et distrahit quod suum non est. Hujus sententiæ patroni sequentibus argumentis utebantur. 1°. Innitebantur pluribus locis juris in quibus traditur res Ecclesiæ esse patrimonium Christi, et pauperum, et pretia peccatorum. Quare, sublata portione, quæ tenet locum mercedis, seu stipendii pro labore clericorum, reliqua portio remanet sacra, nec in profanos usus convertenda est. Ita *can. 59. c. 16. q. 1.* et *c. 1. c. 12. q. 2.* 2°. Clerici dicuntur administratores, et procuratores, vel dispensatores non vero domini bonorum Ecclesiæ. Ita *can. 28. c. 12. q. 1.* et *c. 23. c. 12. q. 1.* et *c. 2. De donat.* 3°. Si clericus ex reditibus Ecclesiæ vel oblationibus res proprio vel alieno nomine comparaverit, res hujusmodi censentur non clerici propriæ sed Ecclesiæ *c. 4. h. t.* Cui dispositioni cohæret dispositio *cap. ult. h. t.* in quo prohibetur absolute ne clericus relinquat testamentario aut successorio jure hæredibus suis vineolas quas plantavit in terra Ecclesiæ, sed conceditur clerico jus percipiendi fructus vineolarum istarum solummodo quousque vixerit. Scilicet ex duobus istis capitibus videtur clericus disponere non posse de bonis quæ supersunt suæ honestæ sustentationi.

7. At verior est contraria sententia quæ communior est inter Doctores recentiores. Ratio est quia in genere fructus beneficii, et proventus ecclesiastici ita adhærere officio sacro censentur ut habeantur ceu stipendia officii ipsius. Beneficium enim datur propter officium: seu jus percipiendi fructus est relativum officio sacro. Sane si clericus non satisfaciat oneribus impositis ab Ecclesia ex. gr. nisi residentiæ legem observat, distributionum dominium non recipit, nec eas facit suas ceu ait Pontifex in *c. un. De Cler. non resid. in Eccl. vel præb. in 6°.* Neque pariter pro rata temporis absentiæ fructus facit suos, quemadmodum decernit Tridentinum in *sess. 23. de Ref.* Ergo a sensu contrario clericus qui officium suum implet, acquirit dominium distributionum et facit suos fructus omnes beneficii. Qui sensus positivus insinuatur etiam in

sess. 24. c. 12. de Ref. in eodem Tridentino. Nam Concilium supponit, clericum revera fecisse suos fructus præbendæ; ait enim: 'alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ et residentiæ facit suos'. Confirmatur probatio ex Const. Julii III. *'Cum sicut Nobis' an. 1550.* in qua Pontifex docet pecunias et alias res provenientes ex Ecclesiis vel beneficiis ecclesiasticis, cum pervenerint ad manus clericorum beneficiariorum, non amplius pro ecclesiasticis habere sed proprias esse ipsorum clericorum.

8. Neque valent argumenta ex adverso allata.

Nam canones in primo argumento adducti referuntur ad epocham anteriorem divisionis bonorum Ecclesiæ in varias præbendas, in vera beneficia. Hinc quisque clericus poterat recipere solum, quæ necessaria erant sustentationi suæ. Possunt etiam iidem canones in eum sensum accipi, ut abhorreant a conversione bonorum ecclesiasticorum in usus profanos. At non excluditur dominium clerici eo quod coarctetur usus horum bonorum, et excludantur usus profani, ceu videbimus infra.

Canones pro 2°. argumento non respiciunt directe fructus, sed ipsa bona Ecclesiæ quorum clerici sunt administratores, patroni, et dispensatores. Capita vero in 3°. argumento difficultatem non faciunt: quia in *c. 4. h. t.* agitur de bonis quæ acquisivit prælatus ex reditibus Ecclesiæ: non autem de bonis quæ acquisivit ex fructibus quos prælatus fecit suos. In *cap. ult.* autem agitur de melioramentis factis in fundo quæ ex lege generali fundo ipsi cedunt. Principium enim juris est 'qui in solo alieno ædificat (in casu nostro plantat) non sibi, sed domino ædificat'. Ad summum vero capita hæc evincunt non posse clericum pro suo arbitrio de bonis superfluis disponere. At aliud est jus proprietatis in re aliqua, aliud est exercitium juris ejusdem, idest libera dispositio rei ipsius. Potest enim aliquis esse proprietarius, et dominus aliquorum bonorum, quin possit de re sua pro arbitrio disponere ceu verificatur in casu pupilli. Hinc solummodo hæc capita objecta probant clericos male distrahentes superfluos fructus ecclesiasticos peccare ob abusum rerum, quas receperunt ab Ecclesia non vero contra justitiam ita ut teneantur res ipsas restituere.

9. Quæritur utrum dominium quadruplicis peculii clericorum superius explicati ita penes clericum resideat, ut pro sua libertate

et pro quacumque causa possit de quolibet peculio disponere. Profecto si sermo sit de primis tribus peculii speciebus nemo est qui dubitat; nulla enim lex est quæ clerici potestatem coërceat. At si sermo sit de peculio beneficiali superfluo non idem dicendum est. Nam ex dispositione præsertim Tridentina in *sess. 25. c. 1. de Ref.* patet ex lege saltem ecclesiastica teneri Clericum impendere peculium hujusmodi in usus pios. Et sane Tridentinum episcopis et aliis clericis beneficiatis 'omnino interdicit ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant'. Concordat *can. 16. dist. 86.* Ex qua dispositione arguunt DD. non posse clericum in usus profanos impendere reditus superfluos ex bonis Ecclesiæ perceptos qui nec suis consanguineis et familiaribus eosdem reditus tribuere potest excepto casu paupertatis eorundem. Sed clarius etiam id traditur in *c. 23. c. 12. q. 1.* ubi dicitur Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere ad dispensandum erga omnes qui indigent et juxta præceptum Apostoli ipsum contentum esse debere si habeat victum et tegumentum.

10. Hac insuper in re plurimi facienda est communis Canonistarum et theologorum sententia, qui tenent clericum impendere debere in pias causas bona superflua, quæ ab Ecclesia assequutus est. Quare habebit utique clericus horum bonorum dominium sed arctatum in usu. Tradunt vero doctores nomine causarum piarum venire quodcumque opus sive religionis sive pietatis et misericordiæ: immo docent extraneis pauperibus posse Clericum propinquos pauperes præponere arg. *c. 1. sess. 24. de Ref.* et arg. *c. 16. dist. 86.* Insuper non diffitentur, in æstimanda paupertate propinquorum præ oculis habendam esse paupertatem relativam, quin immo præ oculis habendam etiam esse ipsam promotionem clerici, quæ exigere potest, ut ejus propinqui aliquantulum honestius vivant, ne humilitas status eorum nonnihil detrahat honori ipsius clerici. Concludendum igitur est clericis competere dominium plenum adeoque etiam liberam disponendi facultatem de bonis peculii sive patrimonialis, sive industrialis sive parsimonialis: de bonis autem peculii beneficialis superflui competere quidem proprietatem, sed eam coarctari quoad facultatem disponendi de iisdem ita scilicet, ut lege ecclesiastica prohibeantur clerici eadem bona convertere in usus profanos: sed debeant causis piis applicare. Unde si clerici bona ista ad causas profanas convertant non peccant quidem contra

justitiam, adeoque non tenentur onere restitutionis, sed peccant contra præceptum Ecclesiæ.

11. Ad tituli tractationem explendam, esset insuper evolvenda quæstio de jure clerici disponendi in causa mortis de peculio ecclesiastico. At hanc quæstionem enodabimus in titulo sequenti. Interim adnotasse juvat quasdam dispositiones juris in hoc titulo expressas. Ex *c. ult. h. t.* inferunt DD. meliorationes etiam notabiles peractas per beneficiatum in prædiis Ecclesiæ esse proprias ipsius beneficiati ita ut iis utatur et fruatur in vita sua tantum, eoque vita functo, in Ecclesiæ seu beneficii proprietatem penitus converti.

In *c. 3. h. t.* traditur principium quod nempe quidquid clericus acquisivit post ordinationem, si est presbyter, et post consecrationem, si est Episcopus, cedit jure successorio Ecclesiæ propriæ, cui fuerat intitulatus vel quam regebat. Præsumitur enim id fuisse acquisitum ex bonis ejusdem Ecclesiæ superfluis.

Titulus XXVI.

De testamentis et ultimis voluntatibus.

1. In *l. 1. ff. Qui testam. facere possunt.* Modestinus definit testamentum: 'Voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit'.

Voluntatis nostræ ad exprimendam personalitatem actus, et necessitatem libertatis in ultimis voluntatibus. *Sententia* scilicet ultima. Nam de natura testamenti est ut possit mutari, et revocari. *Justa,* quæ qualitas non tam virtutem justitiæ moralis respicit, quam formam legum. Hinc sententia justa idem exprimit ac voluntas manifestata juxta legum dispositiones. *De eo quod etc.* quia testamentum incipit vim habere post mortem testatoris, etenim ante mortem potest testator voluntatem suam mutare.

2. Quærunt doctores ex quo jure procedat testamenti condendi facultas.

Variæ proponuntur sententiæ. Nonnulli enim ex jure naturali testandi facultatem deducunt quamvis jus constituendi formam, et solemnitates testamenti auctoritati civili tribuant. Alii autem dicunt ipsum jus condendi testamentum procedere ex legibus humanis, ita ut in statu mere naturali facultas non existeret testandi. Alii tandem juris gentium esse testamentum docent. Certum est,

in facto testamenta et ultima elogia in usum fuisse apud diversas gentes longe ante conditas leges romanas. Hinc a veritate aberraret qui arbitraretur testamenti factionem esse opus juris civilis Romanorum. Juridice vero re spectata primam sententiam veritati magis consonam esse arbitramur.

3. Quare dicimus validis rationibus probari posse testamenti factionem a jure naturali repetendam esse. Et primo quidem testamentaria dispositio maxime congruit cum jure naturæ. Nam quicunque acquirit, sibi, suisque acquirere videtur. Hinc juri naturæ consonum videtur esse ut ex persona actualis domini designetur successor in dominio, et possessione rerum quas labore et industria ipse dominus fecit suas. Idipsum confirmat naturalis affectus, quo trahitur homo ad disponendum de rebus suis in ultimo elogio. At non solum intentio juris naturalis suadet, sed ipsum jus naturale secumfert testandi potestatem. Et sane supponimus demonstratum esse in philosophia morali dominium singularis proprietatis pertinere ad ipsum jus naturæ, ac proinde facultatem disponendi de rebus propriis a lege naturali procedere. Quibus positis, testamentum considerari potest, et est vera alienatio rerum suarum facta per actum ultimum voluntatis. Dominus nempe qui voluntate sua disponit de rebus propriis, alienat easdem ultimo voluntatis actu. Nemo autem negare potest ultimum actum voluntatis esse voluntatem domini ac proinde esse sufficientem ad exercendam dominicam potestatem.

4. At dicent adversarii valorem testamenti incipere a morte testatoris et voluntatem testatoris vires suas exercere quando amplius voluntas non est. Voluntas enim est actus personæ quæ morte solvitur.

Verum hæc difficultas evanescit. Nam ex parte alienantis ut valeat alienatio non requiritur continuata voluntas post actum alienationis, sed solummodo requiritur voluntas quæ necessaria est ad complendum actum alienationis. Hinc in alienatione rite facta alienans omne jus amittit relate ad rem alienatam: et quodammodo dici potest mortuus relate ad rem ipsam. Non enim amplius sua est, sed aliena. Quare cum per testamentum alienatio compleatur in morte testatoris, sufficit ultimus actus voluntatis, nec requiritur continuatio voluntatis posthumæ. Incipit autem testamentum vires suas exercere post mortem testatoris, quia mors est quæ determinat ultimum actum voluntatis.

5. At objici potest in alienationibus requiri acceptationem acquirentis, quæ veluti uno contextu conjungatur cum voluntate alienantis ut producatur translatio dominii. Resp. Necessitas acceptationis unico contextu faciendæ inducta est a legibus civilibus. Jure enim naturali ex parte alienantis sufficit voluntas determinata alienandi. Per hanc enim voluntatem renunciavit juri suo, et rem cessit alteri. Quod si hic alter non acceptaverit alienationem, actus erit incompletus non ex defectu alienantis qui fecit, quæ potuit, sed solum ex parte acquirentis. Ergo acceptatio quæ fiat post mortem testatoris non attingit dispositionem testamentariam in se, quæ ex parte testatoris fuit completa, et a jure dominii procedens. Concludi ergo potest testamenti factionem ex jure naturæ repetendam esse.

6. At auctoritas civilis solemnitates testamentorum præfinire potest, quæ pertineant ad valorem actus. Namque jus humanum ob publicam utilitatem, et ad præcavendas fraudes potest moderari, et regere modos translationis dominii, quamvis ipsum jus dominii naturale sit.

7. Quibus positis quæritur utrum testamentum quod jure civili ob defectum solemnitatum nullum est in foro externo, etiam sit nullum in foro interno. Notandum est 1°. quod de integro testamento dicitur, ob paritatem rationis dicendum est etiam de aliqua dispositione ultimæ voluntatis quæ vel in testamento contineatur vel aliunde constet, ex. gr. de legato. 2°. Notandum est nos loqui de testamentis ad causas civiles et profanas; nam de testamentis ad causas pias inferius specialiter sermo erit.

8. Profecto si defectus alicujus solemnitatis suspicionem probabilem inducat de non plene deliberata, et irrevocabili voluntate testatoris, certe nulla erit obligatio hæredum legitimorum servandi testamentum civiliter nullum; nam incertum est utrum testator defunctus fuerit necne cum illa voluntate quæ in testamento exprimitur. Immo defectus solemnitatis, si procedit ex facto ipsius testatoris, constituit optimam præsumptionem ad concludendum testatorem non perseverasse in eadem voluntate usque ad mortem. Etenim quisque prudens homo præsumitur velle negotium magni momenti peragere juxta normas civiles substantiales quæ negotium illud tutum reddant coram lege. Quare nisi aliunde certa voluntas defuncti probetur, præsumptio semper est contra valorem testamenti.

9. At quid dicendum si certo constet de ultima voluntate defuncti? Ex. gr. si defunctus voluit conficere et revera confecit testamentum, sed notarius, vel alius qui scripsit testamentum, inscio testatore, causam posuit nullitatis; aut si homo moriturus hæredis sui legitimi fidei commisit aliquid perficiendum post mortem suam? In defectu obligationis civilis subingrediturne obligatio legis naturalis? Aliis verbis quæritur utrum plene, et certissime cognita voluntas defuncti servanda sit quamvis juris civilis, et auctoritatis publicæ protectione non fulciatur.

Aliqui tuentur, voluntatem testatoris cognitam servandam esse, licet leges civiles ob defectum solemnitatum eidem non assistant. Nam ajunt easdem leges non declarasse nullum testamentum absque solemnitatibus, sed solummodo eidem denegasse actionem civilem ad observantiam exigendam. Pariter ideo solemnitates inductæ fuerunt a jure civili, quia poterant præsumi fraudes *l. fin. c. De fideicom.* Atqui ubi est veritas, præsumptionis ratio cessat. Ergo si de voluntate testatoris certo constet, parum, aut nihil attendendum est ad solemnitates.

Secunda sententia docet solemnitates considerari ceu formam substantialem actus, ita ut una ex illis solemnitatibus deficiente, testamentum omni prorsus valore careat tum in externo tum in interno foro; ac proinde voluntas testatoris consideratur ceu insufficiens et inefficax.

10. Prior sententia videtur magis consona veritati. Nam si jus testandi ex lege naturali procedit, leges civiles poterunt utique illud moderari quoad valorem juridicum in foro proprio idest in externo, non autem præsumitur infirmare velle virtutem dispositionis naturalis, et destruere obligationem conscientiæ. Ex. gr. jus civile inter varias conventiones solummodo quasdam species probavit, quas contractus appellavit, eisque dedit actionem: at non inde sequitur in conscientia non obligare conventiones illas quæ a jure non probantur et privantur actione legis civilis. Idem de testamentis dici potest. Hinc in *l. 10. C. de test.* traditur hæredem teneri ad implenda legata, quæ jam solvit ex minus solemni voluntate testatoris. Idem statuitur in *l. 2. C. de fideicom.* Ratio est quia jus agnoscit obligationem naturalem cui qui satisfecit non potest retractare quod fecit.

11. Ex quibus omnibus sequens canon statuitur: cum testamenti forma a jure civili determinetur, etiam in foro interno nul-

lum esse præsumitur testamentum, quod nullum est in foro civili. Hinc quoniam obligatio naturalis non præsumitur sed probanda est, hæres legitimus non tenetur observare voluntatem minus solemnem testatoris nisi de ea certe prorsus constet, et licite petere et assequi potest ex judicis sententia rescissionem tabularum testamenti contra hæredem testamentarium, quoties de voluntate testatoris dubium rationabile existat.

12. Quod si vero hæres legitimus scienter acceptaverit voluntatem minus solemnem testatoris ex. gr. solvendo legata, vel restituendo fideicommissum, non potest soluta, et restituta repetere. *Reg. 11. juris in 6°.* 'Quod semel placuit amplius displicere non potest'. Et in specie nostra rei testamentariæ claram habemus dispositionem in *cit. l. 10. C. De test.* ubi hæc habentur: 'Etsi voluntas defuncti circa legata, et fideicommissa subnixa non sit, tamen si hæres sua sponte agnoverit implendi eam necessitatem habet.' Similis dispositio reperitur in *l. 2. C. De fideicom.*

13. Præterea animadvertimus, quæstionem de origine facultatis testandi a jure naturali vel a jure civili vere definitam dici non posse: nam pro utraque opinione militant doctores magnæ notæ, et rationes quæ adducuntur ad defendendam originem prædictæ facultatis a lege humana tantum, non sunt undequaque despiciendæ. Hinc juxta regulas practicas scientiæ moralis non renuimus admittere principium reflexum traditum a clariss. Prof. De Angelis *h. t. n. 2. juxta finem:* idest potest hæres institutus in testamento etiam minus solemni petere hæreditatem, eamque retinere usquedum non repellatur per sententiam judicis: hæres autem ab intestato idest legitimus potest contra tabulas testamenti petere hæreditatem, et eam assequi per sententiam judicis. Unde eo quod quæstio juris resoluta dici non potest, in praxi prævalet sententia judicis.

14. De forma testamenti a jure canonico constituta. Legislatio canonica specialem formam in testamentis condendis induxit, et reperitur tradita ab Alexandro III. in *c. IX. h. t.* In Diœcesi Ostiensi consuetudo invaluerat ut testamenta prorsus rescinderentur, nisi facta fuissent cum subscriptione septem, vel quinque testium secundum quod leges Romanæ disponunt. Relata re ad Alex. III. Pontifex reprobavit consuetudinem tamquam contrariam divinæ legi, sanctorum patrum institutis, et praxi ecclesiasticæ. Simulque decrevit valere prorsus testamentum quod parochiani fecerint coram presbytero suo, et tribus, vel duobus aliis personis idoneis.

15. Ex hoc capite inferunt DD. novam formam testamenti a jure canonico inductam esse, quæ ex primis verbis *cit. c. 10.* dicitur *juxta cap. Cum esses.* Profecto ex specie proposita Alexandro satis apparet caput hujusmodi dispositionem exhibere circa testamenta etiam ad causas profanas seu civiles; præsertim cum de testamentis ad pias causas idem Alex. agat in *c. XI. eod. tit.* Quo posito irrationalis videtur dispositio Pontificis, qui solemnitates, a jure civili inductas ad fraudes præcavendas reprobat et suam formam vult observari sub interminatione anathematis.

16. Certe non ii sumus qui cum Fagnano dicamus, Pontificem abrogasse absolute solemnitates juris civilis, easque declarasse contrarias legi divinæ, doctrinæ Patrum et ecclesiasticæ consuetudini: sed explicatio capitis hæc est: Alexander legem tulit pro diœcesi Ostiensi, quæ erat in ditione temporali Romani Pontificis: quare uti legislator civilis noluit recipere seu noluit observari solemnitates civiles: sed voluit potius ut præferretur principium expressum in sacris scripturis, et a Patribus et ab Ecclesia adoptatum, quod nempe 'in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum'. Hinc formam testamenti expressam invenit. Ideo autem consuetudinem illam diœcesis Ostiensis reprobavit Alexander, quia per eam cultus superstitiosus quodammodo præstabatur legibus romanis, quæ magno studio in scholis addiscebantur, et ita in praxi servabantur ut quidquid in illis contineretur uti rationale et bonum retineretur, quidquid vero esset ab illis alienum respueretur tamquam irrationale. Quæ falsa opinio, uti apparet, adversabatur principio doctrinæ evangelicæ 'In ore etc.' Hinc nil mirum si Alexander etiam pœnam excommunicationis inflixerit contra eos, qui suæ dispositioni resisterent.

17. At hæc explicatio capitis admitti non posse videtur si caput consideretur prout est relatum in corpore juris, seu inter leges quæ universam Ecclesiam respiciunt. Certe si Greg. IX. jussisset dispositionem *cap. X.* observandam prorsus esse in alienis etiam ditionibus, et regnis christianorum, et quidem quocumque in tempore et quibuscumque circumstantiis, facile non posset excusari ab imputatione eidem objecta quod nempe occupavisset alienam provinciam. At ipsa insertio capitis in corpore juris hoc tantum secumfert 1°. ut omnes prorsus fideles tangat in ea parte in qua Romanus Pontifex uti magister reprobat superstitiosam prælationem juris romani principiis sacræ scripturæ; 2°. ut quoad

dispositionem ipsam, caput per se eousque sese extendat, quousque Romanus Pontifex in materia civili leges ferre potest. Quare directe, et immediate dispositio *cap. X.*, etiam prout jacet in corpore juris, vim legis habuit in sola ditione temporali S. Sedis. Ita hoc *cap. X.* explicatur a pluribus optimæ notæ doctoribus: ita etiam a Bened. XIV. in *Inst. 105.*

18. Dixi directe, et immediate dispositionem *cap. X. h. t.* juridicum vigorem obtinere in ditione temporali S. Sedis. Nam eo ipso quod caput insertum est in corpore juris, oblique potuit vim legis obtinere etiam in aliis regnis christianis, non quia Greg. IX. partes legislatoris civilis agere voluerit et novam legem civilem imponere, sed quia in illis regionibus recipiebatur jus canonicum plene, et observabatur vi juris publici mediæ ætatis. Igitur Greg. IX. proprie et directe jus canonicum condidit fundatum in regula evangelica. At in statibus Europæ generatim temporibus Greg. IX. ex legibus organicis regnorum Ecclesiæ decreta, et jura suam partem, et locum sibi vindicabant in negotio publicæ administrationis et regiminis societatis, quia quidquid ab Ecclesia, et præsertim a Romano Pontifice decernebatur, recipiebatur ceu sapientissimum, et maxime conducens etiam ad bonum civile obtinendum. Ecclesia directe, et proprie per suas leges moderabatur conscientiam religiosam fidelium, auctoritas autem civilis gloriabatur tutelam agere Ecclesiæ, concordiam cum ipsa servare, simulque cupiebat publicam populi actionem conformari cum religiosa civium conscientia quæ Ecclesiæ gubernio suberat et regebatur. Hinc plura videmus ab Ecclesia constituta fuisse in republica Christiana ad fidelium mores religione, et justitia informandos quæ bonum publicum etiam civile respiciebant. Hujus generis sunt quæ de treuga et pace, de nundinis servanda constituit Ecclesia. Hinc dici potest, habita ratione ad temporum conditionem, Gregorium IX. normam proposuisse in testamentis conficiendis quæ etiam generaliter servari posset, et de facto in aliis ditionibus temporalibus servaretur, non quia civile jus erat impositum regnis sæcularibus a Romano Pontifice, sed quia erat jus canonicum servandum ceu maxime conveniens cum principiis S. Scripturæ, et institutis SS. Patrum ac proinde ceu consonum maxime veritati et justitiæ. Hoc ergo fecit Pontifex quin suæ potestatis limites excesserit.

19. Porro nostris temporibus dispositio capitis *'Cum esses'* tota restringebatur ad ditionem temporalem S. Sedis, pro qua spe-

cialis est dispositio in codice civili ejusdem ditionis edito a Gregorio XVI. *ann. 1834.* in § *36.* In hoc paragrapho decernitur valere testamenta juxta *cap. 'Cum esses'* quæ fiant vel in xenodochiis vel in locis quæ ultra tria milliaria distant a residentia publici alicujus notarii. Decernitur insuper in hisce testamentis servandas esse normas statutas a Bened. XIV. in *cit. Inst. 105.* Præcipua vero dispositio hujus Pontificis est ut intra octo dies post obsignatum testamentum parochus, aut sacerdos una cum testibus publicum notarium conveniant, eique vel tradant, si scripta fuerit, vel nisi fuerit scripta, verbotenus exponant dispositionem testatoris, quam notarius in acta referat. Quæ solemnitas dicitur insinuatio testamenti in acta publica.

In eadem Inst. plures proponuntur, et dissolvuntur quæstiones hac in re maxime utiles, tum quoad personam presbyteri sui, qui dicitur esse vel parochus, vel confessarius ordinarius ægroti, vel, hisce absentibus, etiam potest esse capellanus, aut confessarius extraordinarius, adhibito tamen tertio teste: tum quoad testes qui debent esse idonei juxta regulas juris civilis. Ideoque excluduntur mulieres, ipse hæres etc. Conferri potest hæc *Inst. 105.*

20. Ut materiam de solemnitatibus compleamus, agendum est de testamento ad causas pias. Nomine causæ piæ veniunt non solum Ecclesiæ, sed etiam monasteria, hospitalia, confraternitates et pauperum sustentatio. Quæ enim pro hisce causis relinquit testator, pro salute spirituali animæ suæ relinquit.

21. De hoc testamento pertractat *cap. Relatum 11. h. t.* in quo sermo est de relictis Ecclesiæ. In diœcesi Veliterna consuetudo invaluerat, ut cum agitaretur causa de relictis Ecclesiæ, judices testamenta non reciperent nisi septem, aut quinque idonei testes intervenissent. Alexander III. mandavit causam de relictis piis decidendam non esse juxta leges civiles, sed juxta decretorum statuta, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis. Ex hoc capite inferunt Doctores, testamentum ad causas pias esse privilegiatum, ita ut non requirat solemnitates juris civilis sed solummodo tres, aut duos testes. Immo cum ex dispositione capitis non attendatur in hoc testamento solemnitas juris civilis, et cum tres, aut duo testes constituant proprie probationem naturalem facti; hinc doctores inferunt tres, aut duos testes in hoc testamento non esse de substantia, sed solummodo necessarios esse ad probationem, quando dispositio ultimæ voluntatis probanda sit per testes.

Quare tum a DD., tum in praxi recepta est regula: nempe servandam esse dispositionem testatoris ad causas pias quoties 1°. testator habeat facultatem testandi, idest plenam potestatem disponendi de rebus suis; 2°. habeat expeditum usum rationis; 3°. de voluntate testatoris ultima certitudine naturali constiterit sive per testes, sive per scriptum, sive alio modo. Dixi de voluntate ultima, nam 1°. non teneretur hæres legitimus ad aliquid præstandum ad causas pias, si constaret solummodo de defuncti proposito, seu de consilio vel desiderio condendi testamentum, aut relinquendi aliquid causæ piæ; sed constare debet de voluntate absoluta et positiva. 2°. Non existeret obligatio hæredis legitimi nisi constaret defunctum non mutasse voluntatem suam sed cum ea voluntate ex hac vita migrasse.

22. Porro privilegium hujusmodi valere debet non solum in foro interno, sed etiam in externo, et quidem non solum in foro Ecclesiæ sed etiam in civili. Nam agitur de bonis relictis Ecclesiæ in remedium conscientiæ vel saltem intuitu salutis æternæ, quæ proinde bona ad Ecclesiam pertinent, et reguntur jure canonum et non legibus civilibus *arg. c. 7. et 10. De Const.* Quare Ecclesia jure suo usa est cum declaravit se acceptare voluntatem piam testatoris naturaliter cognitam. Et merito id declaravit: agitur enim de spirituali dispositione.

23. Hoc privilegium principaliter respicit testamentum ad causas pias, in quo hæres est causa pia; nam hæredis institutio dat formam essentialem testamento. Respicit vero hoc privilegium etiam quæcumque legata ad causas pias in aliis testamentis relicta: nam in *cap. XI.* in genere sermo est de relictis Ecclesiæ. Et in genere privilegium hujusmodi sese refert ad omnes dispositiones ultimæ voluntatis ad causas pias. Ex hac doctrina duplex consectarium deducitur. 1°. Cum testamentum ad causas pias etiam solemnitatibus mere civilibus destitutum sustineatur, sustinentur etiam legata quæ in eo sive ad pias, sive ad causas profanas relinquuntur. Accessorium enim sequitur principale. 2°. Rescisso testamento ad causas civiles et profanas ob defectum solemnitatum mere civilium, valent adhuc legata ad causas pias, si de ipsis naturaliter constet.

24. Quæritur quid sentiendum de testamentis ad causas pias hodierno jure?

In *Codice Greg. XVI.* (1834) § *37.* agnoscitur, et servandum dicitur testamentum ad causas pias juxta tenorem *Cap. Relatum.* Sic in aliis etiam regnis catholicis servabatur in foro civili hujusmodi testamentum. Verumtamen sublato jure communi, et inducto peculiari codice pro unoquoque regno, factum est, ut in novis legislationibus non recognosceretur forma testamenti juxta *cit. cap.* Attamen factum hujusmodi civilis auctoritatis legitimum dici non potest. Nam testamentum, de quo est sermo, fuerat statutum in jure communi Ecclesiæ, quæ in ejus forma, et valore decernendo jure suo usa fuerat. Etenim per id nihil aliud fecit Ecclesia quam acceptare fidelium voluntatem naturaliter probatam in materia spirituali, idest in dispositione ultimæ voluntatis facta pro salute, et remedio animæ; bona autem, quæ sub tali dispositione comprehenduntur pertinent ad Ecclesiam ac proinde circa hæc bona juxta sensum *c. X. De Constit.* merito in *c. XI. h. t.* disposuit Ecclesia. Quapropter abrogatio *cap. XI. h. t.* fieri debebat non a sola civili auctoritate sed simul etiam ab auctoritate Ecclesiæ ut juridica evaderet. Atqui Ecclesia non probavit factum civilium legislationum circa eam abrogationem. Ergo adhuc viget dispositio cit. capitis.

25. Nec dici potest silentium Ecclesiæ in casu habendum esse loco tacitæ renunciationis: nam ut valeat principium 'Qui tacet consentire videtur' requiritur 1°. ut qui tacet cognoscat id, quod contra se agitur; 2°. ut in ea conditione sit, in qua teneatur loqui; 3°. ut possit efficaciter loqui. Atqui hæc tertia conditio procul dubio non verificatur in nostro casu. Ergo silentium Ecclesiæ non legitimat factum civilis auctoritatis; hinc stricto jure testamentum juxta *cap. Relatum* inter fideles adhuc vigere dicendum est, quamvis in praxi mediis judicialibus non possit in foro civili amplius urgeri ejusdem observantia.

26. Ecclesia autem in facto adhuc perseverat in vindicando sibi jure circa dispositiones ultimæ voluntatis ad causas pias, licet destitutæ sint solemnitates in legibus civilibus. Et quidem Sacra Pœnitentiaria in casibus occultis, Sacra vero Congregatio Concilii in casibus publicis de hac materia pertractant ut imminuant, vel moderentur terminos et extensionem obligationum a testatoribus impositas in ordine ad causas pias.

27. Alia sunt testamenta privilegiata quemadmodum testamenta inter liberos, testamenta rusticorum, militum, et testamenta

tempore pestis confecta, de quibus dispositio est tota civilis, ac proinde de hisce non loquimur.

28. Quæritur quinam jure nostro testamentum condere possint. Eadem dispositio valet quæ in jure civili datur *l. 1. c. De Sacr. Eccl.* et *l. 43. ff. De vulg. et pupill. substit.* ut nempe quilibet testari possit, qui bona sua possidet nec a legibus prohibetur. Prohibentur vero in criminis pœna 1°. Usurarii manifesti *c. 2. De usuris in 6°*. Prohibitio autem eos urget quoadusque non satisfecerint, vel non caverint sufficienter de satisfactione ipsorum. 2°. Ex *c. 13.* § *Credentes. De hæreticis* prohibentur testamentum condere hæretici non tolerati, et eorum fautores, defensores, et receptores. 3°. Persecutores, aut percussores S. R. E. Cardinalium vel qui cooperantur in eorum captura, vel percussione *cap. 5. De pœnis in 6°*.

29. Hæ vero prohibitiones ex jure canonico hodie ob relationes immutatas inter Ecclesiam et statum eo reducuntur ut nempe Ecclesia ab hisce publicis peccatoribus, nisi pœnitentiam egerint, vel dederint signa indubia resipiscentiæ, donationes, et pia relicta non acceptet, præsertim ab usurariis manifestis, ne videatur frui bonis pauperum, et communicare cum alienis peccatis. Ceterum quoad præfatas personas validitas vel invaliditas testamenti ipsius in praxi hodierna juri civili in regnis etiam catholicis determinanda relinquitur.

30. Regulæ generalis propositæ exceptio verificatur tum quoad clericos tum quoad viros religiosos. Clerici sæculares possunt utique testamentum facere, vel donationes mortis causa de triplici peculio patrimoniali, industriali, et parsimoniali *c. 12. h. t.* Verum eadem regula peculio beneficiali superfluo jure communi inspecto aptari nequit. *Cap. ult. De peculio clericor. et capp. 1., 9. et 12. h. t.*

Ex quibus locis infertur clericum prohiberi absolute quominus de bonis ad hujusmodi peculium pertinentibus in ultimo voluntatis elogio disponat. Sane in cit. *cap. 9.* expresse decernitur: 'De his quæ consideratione Ecclesiæ (clerici) perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum'. Unde rigore juris clerici neque ad causas pias testari possunt de peculio ecclesiastico superfluo.

31. Bona hujus peculii relicta a clerico defuncto juxta decretales constituunt spolium clerici, et ex dispositione Conc. Lateranensis III. *in c. 7. h. t.* pertinebant ad Ecclesiam, cujus clericus

defunctus rector fuerat, vel in qua beneficium possidebat. Verba capitis hæc sunt: 'Quidam clerici cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt. Hoc igitur quia antiquis canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes ecclesias eadem bona præcipimus remanere'. Quapropter si forte clericus duabus Ecclesiis fuisset addictus spolium inter utramque pro rata dividendum erat. *Cap. 12. h. t.* circa finem.

32. Verum, teste Tomassinio *Vet. et Nov. Ecclesiæ disc. P. III. l. 3. c. 57. tit. De spoliis clericor.* Romani Pontifices angustiis œconomicis coacti post finem sæc. XIV. spolia clericorum Cameræ Apostolicæ reservare cœperunt. Enatis autem dubiis circa hanc reservationem Paulus III. in Const. *Romani Pontificis,* data *Non. Januar. 1542* decrevit, bona clericorum, qui testari non possunt, aut testantur plus quam debent, uno verbo spolium clericorum spectare ad Cameram Apostolicam monuitque præsidentes, ut ea bona colligerent. Præterea ad spolium Clericorum pertinent etiam bona quæ clerici testari non possunt, et eadem reservata fuere Cameræ Apostolicæ in Const. Pii IV. *Decens esse,* data *Non. Nov. 1560.* quæ renovata et confirmata fuit a Benedicto XIV. in Const. *Apostolicæ Servitutis, diei 25. Martii 1741.*

33. Pariter sub appellatione spolii a Sixto V. *in Const. In Conferendis,* data *decimo Kal. Febr. 1590* reservantur Cameræ Apostolicæ bona regularium morientium extra claustra, vel apostatarum ab ordine, necnon fructus beneficiorum affectorum, seu reservatorum S. Sedi a die vacationis usque ad diem provisionis. Et quidem quoad bona regularium jam præiverat Constit. Gregorii XIII. *Officii Nostri, diei 21. Jan. 1577,* in qua Summus Pontifex decernit spolia claustralium extra claustra vagantium sine licentia suorum superiorum ad Cameram Apostolicam spectare.

34. Porro hæc omnia bona quæ constituunt spolium clericorum a Pio VII. s. mem. avulsa fuerunt a Camera Apostolica, et attributa S. Congregationi de Propaganda fide, ut in Sanctarum Missionum subsidium erogarentur. Unde in præfata Congregatione extat specialis administratio quæ camera spoliorum dicitur, quæ in diœcesibus in quibus viget lex spolii constituere solet viros ecclesiasticos qui curam habent colligendi bona ad spolium cleri-

corum pertinentia, et administrandi bona beneficiorum vacantium, et appellantur collectores vel subcollectores spoliorum.

Ex quibus omnibus sequitur ex jure communi clericos non posse per actum ultimæ voluntatis disponere de bonis quæ sub appellatione spolii in sensu explicato comprehenduntur, sed bona hæc in hodierna disciplina spectare ad Cameram spoliorum.

35. Verum pro variis regnis editæ sunt peculiares Constitutiones a Romanis Pontificibus, quæ moderamen induxerunt in materia spolii, quæque in summaria forma referuntur ab Aloysio Guerra in opere *Pontificiarum Constitutionum Epitom. l. 1. tit. De spoliis.* Insuper Romani Pontifices in præsenti materia novum jus constituerunt in publicis conventionibus cum principibus et guberniis civilibus, præsertim quoad administrationem et fructus beneficiorum vacantium.

36. Præterea ex Const. Pauli V. *In eminenti, diei 8. Aprilis 1606* clerici sæculares, commorantes, et decedentes Romæ vel in ejus districtu intra decem milliaria exempti sunt a lege spolii quoad bona existentia intra prædictum spatium, non exceptis bonis acquisitis ex injusta negotiatione.

37. Insuper lex spolii non obligat Conclavistas ex Constitut. Greg. XV. *Romanus Pontifex* data *idibus Martii 1626.* Pariter S. Pius V. in Const. *Romani Pontificis n. 42.* decernit exigi non posse spolium a clericis, quorum beneficia vel pensiones non excedant valorem annuum triginta ducatorum aureorum de Camera, dummodo ab illicita negotiatione abstineant.

38. Tandem ab eadem lege exempti sunt illi, qui sese componunt cum Camera spoliorum, idest annuam moderatam pecuniæ summam eidem solvunt, et obtinent facultatem de bonis etiam superfluis disponendi.

39. Inter hos accensendi sunt præprimis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in eorum promotione obtinent a Summo Pontifice facultatem testandi per literas in forma Brevis quæ incipiunt *De Benignitate Sedis Apostolicæ,* solvere tamen debent Congregationi de Propaganda fide scutata quinquaginta, et ab ea recipiunt annulum aureum discreti valoris.

40. Fatendum tamen est, ob mutatas temporum conditiones, et ob hodiernas civiles legislationes præsertim in locis ubi de rebus ecclesiasticis per concordata provisum fuit, consuetudinem inductam fuisse ut clerici sæculares de bonis propriis nulla habita ratione

ad eorundem bonorum originem, per actum ultimæ voluntatis libere disponant, nec hæredes sive testati, sive ab intestato succedentes molestias ullas ab administratoribus Cameræ spoliorum paterentur. Porro juxta ea quæ tradit Fagnanus *in Comm. cap. 5. De pecul. Cler. n. 1.* circa finem consuetudo in præsenti materia magnum pondus habet; nec corruptela dici potest: secus enim contra eam Romani Pontifices conclamarent et Constitutionum promulgatarum observantiam urgerent. Verum licet hæc consuetudo silentio Cameræ spoliorum et S. Sedis munita eximat Clericos, et eorum hæredes ab obligatione justitiæ, et per consequens ab onere restitutionis, tamen, ut mihi videtur, antiqua lex confirmata a Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 1. De Ref.* quæ vetat, ne bona ecclesiastica superflua clericorum ad causas profanas convertantur, abrogata non est. Cavere igitur etiam hodie ex lege caritatis, et ex præcepto Ecclesiæ clerici debent, ne causas pias de iis bonis defraudent et plus æquo consanguineos, vel familiares ditent.

41. Hæc dicta sint de clericorum facultate testandi circa bona pertinentia ad spolium ecclesiasticum proprie sumptum: sed præterea ut notat Lucidi *De Visit. Sacr. Lim. vol. 1. cap. 6. § 1. n. 59.* datur spolium improprie dictum, quod resultat ex sacris utensilibus, quæ a S. Pio V. in Constit. *Romani Pontificis providentia* diserte excluduntur a spolio, quod Cameræ Apostolicæ debebatur.

42. Relate ad hæc sacra utensilia Urbanus VIII. in Constit. *Aequum est, diei 19. Julii 1642* decrevit Cardinales de iisdem testari non posse, sed post eorum obitum tradenda esse Capellæ Pontificiæ Sacrario. Hodie autem Cardinalibus in actu promotionis Summus Pontifex per literas in forma Brevis concedit facultatem de sacris utensilibus disponendi in tabulis testamentariis favore alicujus Ecclesiæ seu Capellæ vel loci pii. Hinc si aliquis ex Cardinalibus hac facultate non utatur, sacra ejus utensilia cedunt sacello Pontificis.

43. Insuper sciendum est S. Pium V. Constitutionem edidisse quinto Kal. Sept. an. 1567, quæ incipit *Romani Pontificis providentia,* in qua uti notavimus sacra utensilia clericorum a spolio Cameræ Apostolicæ debito exclusit. In paragrapho autem primo S. Pontifex decernit hæc sacra utensilia deputata ad cultum divinum etiam in privato sacello relicta tempore obitus a Prælatis, et a clericis quibuscumque qui Ecclesiam gubernarunt, vel beneficium

obtinuerunt, sive sæculare, sive regulare pertinere ad Ecclesiam cui præfuit prælatus, vel in qua clericus habuit beneficium, licet ante obitum renunciaverit regimini Ecclesiæ, vel beneficio. Unde S. Pontifex absolute prohibet quominus prælati, et clerici inferiores beneficiati de hisce utensilibus in testamento disponant et si disposuerint nullam et irritam dispositionem esse decernit.

Quapropter nisi specialem facultatem a Summo Pontifice obtinuerint prælati, et clerici beneficiati, cum derogatione Pianæ Constitutionis, neque ad causas pias, neque favore aliarum Ecclesiarum possunt per actum ultimæ voluntatis disponere de sacris utensilibus, sed ea ipso jure applicata sunt, et incorporata censentur propriæ defuncti Ecclesiæ.

44. Quoniam vero plures exortæ sunt quæstiones circa interpretationem Constitutionis Urbani VIII. quoad Cardinales, et S. Pii V. quoad prælatos et reliquos clericos beneficiatos, quæ agitatæ fuerunt in tribunali S. Rotæ et in Sacra Congregatione Concilii, hinc ad eas tollendas a Gregorio XVI. S. Congregationi Episcoporum et Regularium commissum fuit varia puncta disputabilia expendere, et dubia resolvere. Gregorio autem defuncto, Pius IX. resolutionem S. Congregationis probavit, et regulam servandam publicavit in Literis Apostolicis in forma Brevis *Quum illud plurimi, diei 11. Septembris 1846* relatis a Cardin. Bizzarri in sua Collectanea pag. 127.

Porro utile arbitramur documentum hujusmodi ad literam referre quod est tenoris sequentis.

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

45. 1°. 'Quum illud plurimi referat ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quæ animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jamvero præter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sancta hæc Sedes tribuere solet per Apostolicas Literas in forma Brevis incipientes *De Benignitate Sedis Apostolicæ*, iisdem per alias similes literas in forma Brevis, quarum initium *Cum fel. rec. Urbanus VIII.*, facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus Ecclesiæ, vel capellæ, vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII.

Aequum est, edita die 24. Julii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus, Archiepiscopis et Abbatibus, ex quodam invecto usu addi consueverit clausula '*Salvaque in præmissis quoad Ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus præfueris, seu quas alias ex concessione, vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel. rec. Pii PP. V. anno 1567 tertio Kal. Septemb. anno secundo*' sæpe sæpius dubia exorta sunt circa interpretationem, et vim hujusmodi reservationis, eo vel magis quod in superius memorato Brevi, *De Benignitate S. Apostolicæ* præfatæ S. Pii V. constitutioni in ea parte, quæ sacra utensilia respicit, aperte derogatur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus, quoque Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum, et illusorium foret, quatenus adjecta clausula, eam vim haberet, quam verba præseferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales utpote, qui in memorata S. Pii V. constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur.

2°. 'Quæ cum ita essent, ven. frater noster Petrus Card. Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI. prædecessore nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an Cardin., Episcopi, seu Abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis literis S. Pii V. prædecessoris nostri comprehendantur, ac statueret, quænam sacra ornamenta, et supellectiles, et utensilia S. R. E. Cardinalium ad sacrarium pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII., et quænam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum *Nullius* sive Cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad Ecclesias cathedrales ex superius citata S. Pii V. constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium, et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit.

46. 3°. 'Nos igitur qui in memorati decessoris nostri bonæ mem. Gregorii XVI. locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad præcidendas omnes hac super re dubitationis, ac controversiæ causas, de consilio VV. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, et con-

sultationibus Episcoporum, et regularium præpositorum, hæc, quæ sequuntur, auctoritate nostra Apostolica decernimus et mandamus.

'I. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Const. S. Pii V. incipiente *Romani Pontificis,* exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis, nec non exceptis pariter Cardinalibus, Abbatibus *Nullius,* qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata constitutione *Aequum est* Urbani VIII. prædecessoris nostri, ad Pontificium sacrarium spectabunt.

'II. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutionis S. Pii V., cujus initium *Romani Pontificis providentia,* in literis in forma Brevis incipientibus *De benignitate Sedis Apostolicæ* apponi solitis, in altero Brevi, quod incipit *Cum fel. rec. Urbanus VIII.* auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, ejusque loco substituantur ea, quæ sequuntur *'Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus præfueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV. Prædecessor noster in sua constitutione incipiente ‚Inter arduas' Cardinales hortabatur, ut in prædictis rebus disponendis eas Ecclesias præ oculis habeas, cæterisque præferas'.* Quæ vero hoc in articulo præscripsimus, ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante præsentium litterarum publicationem enunciatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

47. 'III. Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis S. Pii V. incipientis *Romani Pontificis* ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi, et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon missæ; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua: dummodo non per accidens, sed

permanenter divino cultui, sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiæ fuisse donata.

48. 'Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex Ecclesiæ reditibus, ac proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat, ea omnia reditibus Ecclesiæ comparata fuisse.

49. 'Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli Summi Pontificis, spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturæ redituum, quibus comparata fuerint, et præter ea, quæ in constit. Urbani VIII. incipiente *Æquum est,* in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo; tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis annulis, et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis.

50. 'IV. Quando Episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter Ecclesias Cathedrales duas, habita ratione fructuum ac temporis juxta Const. S. Pii V. incipientem *Romani Pontificis.*

'V. Ubi vero aliquis Episcopus simul præfuerit duabus vel pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quæ habeant capitulum et cathedralem ecclesiam propriam, ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus æquis partibus singulis Ecclesiis cathedralibus, quatenus earundem Ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum reditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi fuerint, ac separati, divisionem fieri volumus singulis Ecclesiis Cathedralibus proportionaliter ratione fructuum.

'VI. Quod si constet, Episcopum, qui per translationem duabus Ecclesiis successive præfuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia reditibus tantum unius Ecclesiæ, nulli divisioni locus erit, sed

eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius diœceseos, ex cujus episcopalis mensæ proventibus fuerint acquisita.

'Hæc volumus, et mandamus, decernentes, has litteras firmas, validas, atque efficaces esse et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, eisque, ad quos spectant, seu spectabunt plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et extraordinarios judicari, ac definiri debere, irritumque, et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis atque in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque etiam speciali, et individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

'Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Junii MDCCCXLVII. Pontificatus nostri anno primo.

Aloisius Card. Lambruschini a Brevibus Apostolicis.'

51. Ex hujusmodi Apostolico Decreto deprehendimus 1°. Cardinales Episcopos subjici dispositioni Const. S. Pii V. quæ incipit *Romani Pontificis,* ac proinde eosdem relinquere debere sacra utensilia propriæ Cathedrali Ecclesiæ: excipi autem Cardinales Episcopos suburbicarios et Abbates nullius, quorum sacra supellex ad sacrarium Pontificium pertinet juxta Const. Urbani VIII. 2°. Utensilia Episcoporum qui duabus vel pluribus Ecclesiis successive præfuerunt vel plures Ecclesias simul unitas, aut in perpetuum commendatas rexerunt, dividenda esse juxta proportionem in ipsis Literis Apostolicis *Quum illud,* designatam. 3°. Utensilia Episcopi illi solummodo Ecclesiæ Cathedrali cedere, ex cujus reditibus acquisita fuisse constiterit, quamvis Episcopus pluribus Ecclesiis præfuerit. 4°. Utensilia quæ sive sacrario Pontificis, sive Cathedralibus Ecclesiis debentur, ea esse quæ in iisdem Literis Apostolicis *Quum illud* recensentur. 5°. Ecclesiis solummodo spectare ea sacra utensilia, quæ Episcopi ex reditibus Ecclesiæ sibi compararunt, vel quæ ipsis Ecclesiis donata fuerint; adeoque Episcopos teneri ad inventarium conficiendum eorum utensilium, quæ ex reditibus Ecclesiæ acquisiverunt, vel quæ Ecclesiæ a fidelibus donata fuerunt,

secus præsumitur sacra utensilia comparata fuisse ex fructibus Ecclesiæ.

52. Coronidis loco quæritur, utrum præsumptio de qua sermo est in postremo numero sit tantummodo juris, vel etiam juris, et de jure. Aliis verbis an hæc præsumptio admittat, vel potius excludat probationem in contrarium.

Arbitror præsumptionem hanc esse tantum juris, adeoque illam cedere veritati, quoties de veritate contraria constiterit. Etenim in casu inventarium præscribitur ut habeatur medium probationis ad distinguenda utensilia acquisita ex bonis Ecclesiæ ab aliis utensilibus acquisitis a Prælato ex bonis propriis; uno verbo præcipitur inventarium veritatis cognoscendæ causa. Quare si deficiente inventario, veritas aliunde constet, præsumptio eidem veritati cedere debet. Confirmatur hæc theoria ex resolutione S. Congregationis Episcoporum, et Regul. *diei 4. Aprilis 1851.* Demortuo Martino Caliendi Episcopo Feretrano die 10. Aprilis 1849 absque inventario sacrorum utensilium, divisa eadem sunt inter Capitulum, et hæredes defuncti Episcopi cum protestatione mutuæ restitutionis, si constaret rem aliquam ad quemlibet eorum non spectare. Deinde hæredes Episcopi cognitis Literis Apostolicis super relatis in judicium vocarunt capitulum. Capitulares ad vitandas molestias judiciales utensilia recepta restituere hæredibus salvo S. Congr. beneplacito. Deinde capitulares ut conscientiæ propriæ consulerent postularunt a S. Congr. confirmationem factæ restitutionis, simulque institerunt ut S. Congr. consuleret Ecclesiæ Feretranæ si quod jus haberet circa utensilia tradita prædictis hæredibus. Causa discussa est in contentione partium, et proposita fuit nota sacrorum utensilium de quibus erat quæstio. Ex allegatis cognitum fuit ambigendum esse, an quoad singula utensilia evidentia testimonia haberentur. Propositum fuit dubium, 'an et quomodo concedenda sit in casu confirmatio Apostolica actui traditionis factæ a Capitulo Feretrano hæredibus Caliendi utensilium designatorum in nota'. S. Congregatio respondit 'Affirmative facto verbo cum Sanctissimo ad cautelam'. Summus Pontifex resolutionem S. Congregationis approbavit, mandans ut Episcopo scriberetur ad mentem; mens fuit Summum Pontificem desiderare ut hæredes traderent pauperi Ecclesiæ Cathedrali utensilia descripta in postremis tredecim articulis notæ'. Hæc causa refertur a Card. *Bizzarri* in sua *Collectanea pag. 649. et seqq.*

De Regularibus in ordine ad testandi facultatem.

53. Si sermo sit de religiosis distinguendum est inter religiosos professos et novitios. Religiosi professi sive prælati, sive subditi testari nequeunt neque ad causas pias. Expresse traditur hæc regula in *can. 7. caus. 19. q. 3.* et deducitur etiam ex *c. 2. h. t.* Ratio est quia per votorum nuncupationem regulares censentur amittere velle et nolle, ac proprietate bonorum privantur saltem in propria persona. Quæ vero acquirunt regulares ex propria industria ex. gr. ex magisterio, prædicatione, etc. cedunt eisdem in solum usum personalem, non autem in liberam proprietatem. Hinc nisi regularis obtinuerit a Romano Pontifice facultatem testandi, ejus testamentum nullius esset ponderis quamvis ad Episcopatum assumptus fuisset. Nam promotio ad Episcopatum non solvit vota religiosa. Et quidem bona acquisita ab Episcopo regulari post consecrationem cedunt Ecclesiæ in qua fuit Episcopus. Ita *S. Cong. Conc. apud Fagn. De Const. c. 7. n. 80.* Dispositio eadem valet circa donationes mortis causa quæ testamento æquiparantur. Ceterum non videtur interdicta regularibus donatio mortis causa, si fiat in re media, et cum consensu superioris quia hujusmodi donatio non interdicitur regularibus si fiat inter vivos.

54. Quid vero dicendum de religiosis extra claustra viventibus?

1°. Si quidem illegitime degant extra claustra nullum dubium est, eos non posse disponere de rebus quas acquisiverunt, sed eas pertinere ad Cameram Spoliorum juxta Constit. Greg. XIII. et Sixti V. supra citatas. 2°. Si regulares maneant extra claustra ex indulto temporaneo, retento habitu religioso, bona ejus pertinent ad propriam defuncti religionem. Unde de his testari regulares hujusmodi non possunt. Si vero regulares obtinuerint indultum sæcularisationis perpetuum, neque pariter isti possunt testamentum condere, sed bona quæ secum a religione asportarunt ad eandem religionem spectant bona autem quæ acquisiverant incidunt sub dispositionem Const. *Officii Nostri* Gregorii XIII. de reservatione bonorum Religiosorum extra Monasterium degentium favore Cameræ spoliorum. Ita resolutum fuit die 26. Junii 1829 a Congr. speciali deputata a Leone XII. Cf. De-Angelis *h. t. n. 5.*

55. Quoad Religiosos qui professi sunt vota simplicia, ex resolutione S. Congr. Episcoporum et Regularium *diei 6. Junii 1836* relata a Card. Bizzarri in sua *Collectanea pag. 77.* infertur ipsos

posse de suis bonis testari, et hæredes ab intestato succedere posse in iisdem bonis. Ratio est quia votum simplex paupertatis relinquens religioso dominium radicale, non adimit omnino facultatem de propriis bonis disponendi.

56. Si sermo sit de religiosis non professis, seu novitiis, possunt ipsi testamentum condere ad causas tum pias, tum profanas etiam absque licentia Episcopi vel superioris regularis. Nam ipsis velle et nolle ademptum non est, et adhuc censentur domini rerum suarum. Obstare videretur dispositio Tridentina in *sess. 25. De Reg. c. 16.* qua decernit nullam esse renunciationem aut obligationem Novitii etiam cum juramento et ad causas pias nisi hæc renunciatio fiat, aut obligatio suscipiatur de licentia Episcopi, vel Vicarii Generalis, et intra duos menses professioni proximos: quæ insuper renunciatio aut obligatio ullum non sortiuntur effectum nisi secuta inde professione. Verum hæc dispositio ad testamentum Novitii protrahenda non est. Nam cum testamentum a Novitio possit revocari, non verificatur de testamento ratio prohibitionis renunciationis vel obligationis, qui actus cum essent inter vivos ac proinde natura sua irrevocabiles, possent conditionem Novitii deteriorem reddere, simulque illum impellere ad professionem edendam. At qui ante professionem testamentum condidit, non potest illud revocare post editam professionem sine dispensatione Romani Pontificis, quemadmodum uti res certa allegatur in folio S. Congr. Conc. in *Toletana diei 7. Maji 1718.* Ratio est quia ad revocandum testamentum requiritur libera disponendi facultas quam regularis professus non habet. Verum regularis post professionem potest vel tenetur explicare verbum dubium testamenti sui conditi ante professionem. Qui enim explicat, non disponit.

57. Quærendum nunc est quinam jure canonum possint hæredes institui.

Hæres ille est, qui in universum jus defuncti succedit *l. 37. ff. De acq. hæred.* Hinc hæres dicitur repræsentare personam defuncti. Hoc posito jure nostro omnes homines possunt institui hæredes sive singuli, sive corpora moralia, sive causæ piæ, sive causæ profanæ, dummodo non prohibeantur a canone. Jus vero canonicum hac in re non plura disponit cum jam ipsum jus civile contra delinquentes circa religionem abunde disposuerat privans passiva testamenti factione Judæos, hæreticos, apostatas. *Cap. 5. De pœnis*

COLLEGE LIBRARY

in 6.° adjungit percussores S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. At quædam in specie de regularibus dicenda sunt.

58. Ex *cap. 3. sess. 25.* de Regular. omnes familiæ religiosæ bona mobilia et immobilia possidere possunt. Excipitur tamen familia regularis Capuccinorum, et Fratrum Minorum S. Francisci qui de observantia nominantur. Ex hac lege sequitur familiam Capuccinorum, et fratrum minorum S. Francisci de observantia nec institui posse hæredes; et hoc non solum de individuis verificatur, sed etiam de ipsa communitate, et corpore morali. Exceptis mendicantibus Capuccinis, et Fratribus Minoribus S. Francisci de observantia, reliquæ familiæ religiosæ possunt hæredes institui quia bona possunt possidere.

Si vero instituatur religiosus alicujus ex his familiis, quoniam ob votum paupertatis est incapax jurium possidendorum, ipse hæreditatem capere non potest, sed institutio valet, et ipsa religiosa communitas succedit. Nam in jure inductum est principium: Quidquid Monachus acquirit, non sibi sed Monasterio acquirit.

Quid vero si voluntas testatoris fuit expressa ita, ut non communitas sed religiosus succederet? Si appareat ex errore testatoris id factum fuisse, vel si testator desiderium ostenderit, ut suis bonis uteretur religiosus, subordinate tamen ad leges ecclesiasticas, institutio sustinetur, et religio succedit. Si vero appareat voluntas testatoris prorsus adversa sacris canonibus, institutio habetur prout non facta, et hæreditas vel ad substitutum, si adsit, vel ad cohæredes, vel ad hæredes legitimos ab intestato devolvitur.

De legatis.

59. Factionem passivam testamenti pene sequitur jus obtinendi legatum ex ultima voluntate defuncti. Legatum a J. C. in *lib. III. De Legatis* definitur: 'Delibatio hæreditatis, qua testator ex eo quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit'. Cum legatum sit delibatio hæreditatis, legatarius non repræsentat personam defuncti, nec ad relinquendum legatum illæ requiruntur solemnitates quæ ad hæredis institutionem necessariæ sunt. Hinc potest legatum relinqui non solum in testamento, sed etiam in codicillis *l. 7. § 1. et 5. et 6. ff. De jure Codicillor.*

60. Similia legatis sunt fideicommissa, quæ locum habent cum vel portio hæreditatis, vel tota hæreditas ad preces testatoris alicui restituenda est ab hærede directe instituto.

61. Jamvero Ecclesiis, et causis piis tum legata, tum fideicommissa relinqui possunt, immo et regularibus familiis, quibus jure ecclesiastico interdicta non est bonorum proprietas. Valet enim eadem ratio quæ supra pro testamentis allata est.

62. At quid dicendum de Fratribus Minoribus S. Francisci, qui nequeunt possidere? Quæstio solvitur in *c. 3. § Ad hæc quæ fratribus De verbor. signif. et in Clem. 1. eod. tit.* paulo post med. *§ Proinde cum vir.* In quibus locis regula statuitur, non valere legatum relictum ad possidendum ex. gr. si testator legaret agrum, vel vineam ad excolendum, domum ad locandum: valere autem legatum si legetur pecunia ut impendatur pro fratrum necessitatibus, aut si simpliciter legetur domus, ager etc. Hoc enim casu per idoneas personas alienatur fundus, et pretium impenditur pro communitatis necessitatibus. Uno verbo valent legata, quæ præstantur unica solutione, et dummodo hæc legata sint in quantitate moderata, et non in fraudem paupertatis, quemadmodum resolvit Congregatio particularis ab Urbano VIII. negotiis Fratrum Minorum proposita, teste Fagn. *ad cap. 17. De excess. Prælat. n. 51.* Porro in computanda quantitate moderata legati præter indigentias monasterii, cui relinquitur legatum, præ oculis possunt haberi inopia, et adversa fortuna aliorum etiam monasteriorum provinciæ. Statuitur insuper in citatis locis non posse fratres in judicium vocare hæredes, vel executores ut res legatas præstent, quia legata eisdem relicta induunt indolem eleemosynæ, cujus solummodo capaces sunt Fratres Franciscani Minores. Verum Nicolaus III. in *cit. cap. 3.* onerat conscientias hæredum, et aliorum ad quos vel de jure, vel de consuetudine spectat ut sese ex officio promptos exhibeant ad implendas pias defunctorum voluntates. Cohærenter ad hanc dispositionem juris communis S. Congr. superius cit. penes Fagnanum *ad cap. 17. De excess. Prælat.* in responsione ad *art. 1. distinct. 1.* censuit, Fratres Minores tam de familia, quam reformatos neque per se, nec per procuratorem posse exigere in judicio legata de quibus agitur. Attamen syndicum Apostolicum posse implorare judicis officium contra hæredes reluctantes.

63. Quod si sermo sit de legatis annuis habemus resolutiones S. Congreg. Concilii in quibus decernitur Fratres Minores S. Francisci de observantia tam de familia quam reformatos capaces non esse legatorum annuorum cum onere adjecto celebrationis Missarum. Conf. Fagnan. *cit. loc.* et *n. 49. et 50.* Ratio est, quia secus non

verificaretur puritas regulæ quæ excludit quamcumque certitudinem redituum, et jurium, ita ut Fratribus victum, et vestitum debeat incerta mendicitas præbere juxta *c. Religiosum De religiosis domib. in 6°*. Exposita regula deprehenditur etiam ex resolutione S. Congr. in *Firmana diei 3. Octobr. 1721.* At per hoc non prohibetur testator quominus hæredi suo, et successoribus imponat onus celebrationis annuæ Missarum a Fratribus Minoribus perficiendæ, quia excluso proprie dicto jure ex parte fratrum solutio legati potest considerari ceu eleemosyna annualis a fidelibus quotannis oblata: quemadmodum videre est in *Valvensi* seu *Aquilana diei 5. Maji 1735* et in *Aprutina diei 29. Febr. 1677* S. Congr. Concilii. In causa vero *Brundusina 26. Aug. 1719* censuit S. Congr. Concilii Patres strictioris observantiæ S. Francisci incapaces esse legati quod relictum sit cum onere adjecto celebrandi aliquas missas; hæredes vero posse census alicui assignare cum auctoritate Episcopi pro onere Missarum ita ut novus censuarius se obliget ad solvendum fratribus eleemosynam juxta formam testamenti.

Huc etiam referenda est resolutio S. Congr. de qua supra, et relata a Fagnano in cit. loco *De Excessibus Prælatorum.* Videlicet in responsione ad *artic. 1. distinct. IV.* S. Congregatio censuit: 'Fratres Minores tum observantes quum reformatos non esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt sine aliquo onere aut modo adjecto, nisi ad effectum illa extinguendi, seu illorum proprietatem et pretium convertendi in usus fabricæ vel sacristiæ'. In responsione autem ad *art. 11.* censuit: 'Non regulares ipsos, sed Syndicum Apostolicum tantum posse eandem proprietatem in judicio petere'.

64. Tandem pro Italia præ oculis habenda est Instructio S. Pœnitentiariæ diei 18. Aprilis 1868, in qua ad damna ordinibus regularibus ob suppressionem illata reparanda, concessa est Ordinariis locorum (quoad Moniales) et superioribus generalibus (quoad viros) facultas indulgendi sive per se sive per idoneas personas respectivis subditis, ut perdurantibus præsentibus circumstantiis bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam hæreditates, salvo tamen jure tertii quæsito, assequi, retinere et de iis contractus inire atque in pios honestosque usus, necnon in grati animi significationem etiam per actus ultimæ voluntatis disponere valeant, accedente ordinarii, aut Superioris, vel alterius per eum deputati, aut saltem in casu necessitatis Confessarii consilio, et approbatione, ita tamen

ut administrationem, et reditus bonorum quoad vixerint communitati propriæ, si capax sit possessionis, tradere debeant, et eidem relinquere teneantur quidquid de bonis propriæ Religionis ipsis obvenerit. Quod si religio sit incapax possessionis, administratio committenda erit alicui tertiæ personæ ita ut absque Ordinarii aut Superiorum Regularium consensu nihil de fructibus sibi applicare, aut quocumque modo disponere possint.

65. Juxta leges civiles hæredi salva esse debet quarta pars rerum hæreditariarum. Hinc inductum est ut ex legatis detraheretur quarta pars, quæ dicitur falcidia, et ex fideicommissis detraheretur pariter quarta, quæ dicitur trebellianica. Quæritur an quarta falcidia detrahi possit ex legatis, vel quarta trebellianica ex fideicommissis particularibus relictis Ecclesiæ, vel causis piis. Receptum in jure est ut hæc detractio non fiat, quemadmodum ipsæ leges civiles decernunt in auth. *Similiter c. ad leg. Falc.*

66. Loco falcidiæ inductum est in jure canonico ut Episcopus ex legatis ad causas pias detraheret in sui favorem quartam partem, quæ dicta est portio canonica. Inducta vero est hæc dispositio ut servaretur imago, et forma jurium Episcopi, qui ante divisa bona ecclesiastica in singulas præbendas, et pias institutiones ipse erat administrator natus omnium bonorum ecclesiasticorum qui proinde directe percipiebat fructus omnium bonorum, et directe percipiebat utilitatem eorundem.

67. De hac portione canonica agunt *c. 14. c. 15. et c. ult. h. t.* in quo datur exceptio. Scilicet non subjicitur detractioni portionis canonicæ legatum ad scopum determinatum ex. gr. ad emendam supellectilem, vel ornamenta Ecclesiæ, vel pro fabrica. In hoc capite ultimo glossa jam animadvertebat canonicam portionem diversimode deduci juxta varias consuetudines locorum, et ad id probandum affert etiam plura juris capita. Ex quo factum est etiam ut consuetudine contraria fere ubique præscriberetur ipsum jus Episcopi ad canonicam portionem obtinendam.

68. Occasione *c. 5. h. t.* quæstio instituenda est: 'An valeat legatum rei alienæ?' Ex clara dispositione juris civilis expressa *in § 4. Inst. Just. De legatis,* legatum hujusmodi valet, quoties testator sciverit esse alienam, quo in casu hæres cogitur vel rem redimere, et tradere legatario, vel, si eam redimere nequeat, cogitur eidem præstare æstimationem. Censetur autem hæres redimere non posse rem legatam sive cum dominus interrogatus eam

non vendat sive cum eam non vendat nisi immodico pretio *l. 14. ff. De leg. 3.* Legatum vero non valet quoties testator ex bona fide quomodocumque, seu ex errore vel facti, vel juris putaverit esse suam. Hoc enim in casu ait Imperator forsitan si scivisset alienam rem esse, non legasset. Jam vero Gregor. M. in *c. 5.* asserit leges sæculi seu leges civiles Romanas sine ulla distinctione jubere observantiam legati in re aliena, simulque non dubitat asserere leges civiles hac in re contrarias esse legibus divinis ac proinde iniquas esse.

69. Doctores protestantes vehementer carpunt Gregorium M. ob hanc contra leges civiles censuram illatam, eumque traducunt veluti inscium in jure sapientissimo Romanorum. Variæ proponuntur ab auctoribus solutiones ad Gregorium protuendum, qui filius Gordiani senatoris, et prætorio officio functus, scientissimus certe fuit rerum, legumque Romanarum. Ut in nostra disquisitione claritati consulamus, inspicienda est decretalis Gregorii in sua primitiva forma et prout a B. Raimundo refertur in *c. 5. h. t.* Inspecta in se exhibebit explicationem mentis S. Pontificis, accepta prout jacet in *c. 5.*, nobis offert dispositionem juris canonici circa legata rei alienæ.

70. Ad 1^um^ Decretalem S. Gregorii M. inspectam in sua forma primitiva nihil reprehensione dignum præseferre, liquido apparet si pars dispositiva cum specie proposita Pontifici comparatur. Peltragius quidam detinebat calicem, et puerum servum Consentinæ Ecclesiæ. Designans sibi sepulturam in Ecclesia Messanensi, eidem Ecclesiæ legavit et calicem et puerum. Eo demortuo Faustinus, filius et hæres, legatum bona fide præstitit, sed inde ab Ecclesia Consentina requisitus est, ut calicem et puerum redderet. Quare judicio pulsavit rectorem Ecclesiæ Messanensis ut legatum acceptum restitueret. Rector vero se tuebatur juris civilis dispositione, quæ cavet rei alienæ legatum ab hærede præstandum esse. Faustinus hæres Rom. Pontificem adiit, qui animadvertens 1°. neque leges civiles jubere revera absolute præstationem ipsius rei alienæ legatæ; 2°. modicam fuisse hæreditatem relictam a patre Faustino filio, respondit se valde mirari quomodo rector Ecclesiæ Messanensis auderet sibi retinere calicem et puerum, quorum proprietatem certo constabat ad Ecclesiam Consentinam pertinere. Quare decernit rerum legatarum restitutionem perficiendam esse. Quoniam vero leges civiles saltem pretium rerum legatarum solvere præciperent,

respondit in casu injustum esse attendere leges civiles, sed legem Dei servandam esse, nec pretium calicis, et pueri exposci posse ab Ecclesia Messanensi. Hoc vero dixit non quatenus injustam arbitraretur Gregorius legem civilem, sed quia potius injustum erat rectorem Ecclesiæ in casu appellare ad rigorem legis civilis. Nam agebatur de legato magni valoris, relicto a testatore pro sepultura, quod præstandum foret a filio qui modicam hæreditatem a patre fuerat assecutus. Hinc, argumentabatur Gregorius, si locus pro humandis humanis corporibus pretio comparari non licet, a fortiori non licet in casu prætendere pretium rei legatæ maximi valoris ab hærede filio, qui a patre vix accepit unde sustentaretur. Quare cum decisio juris civilis de præstanda æstimatione rei alienæ legatæ non fundetur in verbis expressis testatoris, sed in præsumptione voluntatis ejus quod nempe vel res aliena redimeretur, vel pretium solveretur legatario, Pontifex declarat ex æquitate canonica, et ex lege Dei huic præsumptioni standum non esse in casu, ubi ipse testator, si scivisset vires patrimonii sui, et causam sepulturæ prope novisset ob quam legatum relinquebat, forsan noluisset filium suum obligare ad legatum neque in æstimatione solvendum. Ex qua expositione patet S. Greg. M. cognovisse dispositionem juris civilis, et illam uti injustam haudquaquam tradidisse.

71. At quid dicendum de *cap. 5.*, prout jacet in corpore juris, seu quid de valore legati rei alienæ juxta dispositionem Juris Canonici?

Aliqui dicunt jus canonicum temperasse jus civile quoad legata rerum alienarum quæ ad aliquam Ecclesiam pertineant, ita ut in casu neque æstimatio præstanda sit. Quia cum res Ecclesiæ prohibeantur alienari, censeri possunt veluti extra commercium positæ ac proinde inæstimabiles. Exemplum afferunt ex jure civili de legato prædio Cæsaris *l. Apud Ins.* § *fin. ff. De leg. 1.* At hæc sententia admitti nequit. Nam in *c. 5.* non tam qualitas rei Ecclesiæ attenditur quam causa, et insuper exceptis rebus mere spiritualibus, reliqua ad Ecclesias pertinentia sunt pretio æstimabilia, quia adhibitis juris solemnitatibus alienari possunt. Alii dicunt jus canonicum in genere admittere præstationem legati in re aliena juxta jus civile: at excipiendum esse casum quo legatum est magni valoris, et tenues sunt vires hæreditatis. At nec hæc sententia probabilis est; nam in capite nulla distinctio legitur,

nulla insinuatur comparatio legati ad hæreditatem. Quare inspecto rigore juris theoretice dici potest jus canonicum non recipere dispositionem juris civilis, ut præstandum sit vel in re, vel in æstimatione legatum rei alienæ. Animadvertimus vero in praxi receptum fuisse ut etiam in rebus ecclesiasticis valeat legatum rei alienæ præstandum, juxta dispositionem juris civilis, dummodo æquitas canonica aliud non suadeat quemadmodum in specie proposita S. Greg. M.

De dominio rei legatæ.

72. Post mortem testatoris illico, et ipso jure legatarius licet ignorans incipit jus habere in rem legatam. Legatum enim est delibatio, idest portio hæreditatis, et proinde in suo esse juridico incipit existere ab ipsa morte testatoris, ex qua incipit esse hæreditas. At legatarius plenum jus ad rem petendam obtinet cum hæres gravatus adierit hæreditatem. Legatum enim ab hærede præstandum est; hæres autem oneribus hæreditariis non tenetur ante aditionem hæreditatis satisfacere. Quare si legata fuerit species, et pereat, perit legatario. Pariter cedunt legatario fructus, et accessiones, quæ rei legatæ in specie obvenerint post mortem testatoris. Idem vero dici nequit si legatum sit genus ex. gr. si legatus sit unus equus ex armento, una ovis ex grege. Nam in casu si aliquis equus pereat, semper præstandum est legatum. Fructus vero solvendi non sunt nisi postquam hæres fuerit in mora solutionis legati. Hæc innuisse sufficiat, cum reliqua de testamentis pene omnia ad jus civile pertineant.

73. Breviter aliquid dicendum est de executione ultimarum voluntatum ad causas pias.

Executores testamentarii ad causas pias vel sunt qui a testatore determinantur, vel secus ipse hæres. Porro executor postquam per aliquem actum acceptaverit officium, potest compelli etiam judicis ministerio ad totam executionem perficiendam *c. 19. h. t.* Quodsi plures fuerint designati simpliciter executores, et unus demoriatur, vel in remotis agat, vel absolute nolit munus acceptare, poterunt reliqui executionem perficere, nisi voluntas obstet testatoris *c. 2. h. t. in 6.* § *2.* Possunt vero esse executores omnes sive laici sive clerici, immo etiam regulares, dummodo vero proprii superioris assensum retulerint *c. 2. h. t. in 6.* et *Clem. un. h. t.* Superior est superior localis, seu prælatus Monasterii,

conventus aut domus religiosæ, nisi regulæ speciales instituti religiosi aliter præcipiant. Excipiuntur Fratres Minores S. Francisci de observantia juxta expressam dispositionem in *Clem. 1. De verb. signif.* in qua etiam additur ratio quia hujusmodi religiosi homines pro nulla re temporali possunt in judicium vocari. Porro in defectu hæredis, vel executorum potest Episcopus voluntatem defuncti ad causas pias exequi. Et quidem si tempus fuerit a testatore designatum, illud expectandum erit, secus quamprimum potuerit.

74. Negligentes vero executores Episcopus admonebit ut executioni committant dispositionem pii testatoris, quod si adhuc per annum fuerint negligentes ipsi Episcopo devolvitur libera facultas exequendi testamentum *c. 3. h. t.* cui assentitur *Nov. 131. c. 10.* Hinc in genere Episcopus in sua diœcesi habetur ceu executor natus piarum voluntatum quia advigilare debet ut piæ dispositiones testatorum observentur, quod nisi observentur ipse executioni easdem committit. Et quidem Episcopus potest compellere executores piarum voluntatum ad easdem implendas licet testator prohibuerit, quominus Episcopus se ingereret in negotio executionis *c. 17. h. t.*

75. Immo licet testator fiduciam plenam habuerit erga executorem piæ voluntatis ut sub pœna caducitatis interdixerit qualemcumque contrariam petitionem vel molestiam, tamen ordinarius exigere potest ab executore ut inventarium conficiat, adhibito notario, et duobus testibus. Ita tenuit Rota in *Fulginaten. 4. Julii 1783* et S. Congreg. EE. et RR. in *Senogall. 1. Decemb. 1843* Vid. Coll. Card. Bizzarri pag. 545.

76. Circa modum executionis animadverti debet officium executorum esse ut fideliter observetur dispositio testatoris. Hinc executores neque cum consensu hæredum regulariter immutare possunt etiam in melius ultimas pias voluntates. *Sess. 22. c. 5. De Ref.* in Tridentino. Executores enim non conficiunt dispositionem, sed eam jam constitutam adimplent. Diximus regulariter; nam conveniunt doctores posse executores cum hæredis consensu, et Episcopi certum pium usum in alium pium usum immutare, quoties prior obtineri amplius non possit. At semper quo fieri possit servanda est voluntas testatoris quæ legis locum tenet. Pariter excipitur casus quo testator facultatem executoribus mutandi voluntatem concessit. Præter hos casus commutatio piæ voluntatis

testatoris facienda est cum venia Summi Pontificis cui jura reservant plenam de piis actibus disponendi potestatem *Clem. 2. De religiosis domibus* ubi Glossa *v. Sedis Apostolicæ* notat 'per hanc litteram solum Papam posse alterare usum eorum quæ per fideles donata sunt'.

77. Tandem animadvertimus executoris testamentarii potestatem penitus cessare, semel ac expleverit voluntatem testatoris, nec eam perdurare, quamvis testator executionem commiserit alicui officio seu dignitati ex. gr. Parocho pro tempore alicujus Ecclesiæ vel Archidiacono etc. Hæc enim qualitas censetur posita ad designandam personam, quæ tempore mortis voluntatem defuncti exequi debeat, non autem ad perpetuandam potestatem executoris. Regula hujusmodi deducitur ex resolutione S. Congr. Concilii diei 25. Januarii 1873, in qua agebatur de testamentaria dispositione fundandi conservatoria mulierum exequenda a Parocho pro tempore cujusdam Ecclesiæ. (Acta S. Sedis vol. 8. pag. 546.)

Titulus XXVII.

De successionibus ab intestato.

1. Cum testamentum non adsit, aut si testamentum fuerit confectum sed viribus careat, hæreditas ministerio legis transmittitur, et dicitur locum habere successionem ab intestato idest successionem legitimam. Modus, et diversi gradus successionum a jure civili pro quolibet regno determinantur. Hinc nostra non refert de hac re theorias exponere. Principia ergo solummodo exhibebimus de successione in clericorum bona.

2. Ex dictis superius in præcedentibus titulis sequitur in bonis patrimonialibus, industrialibus et parsimonialibus clerici ab intestato succedere propinquos defuncti, scilicet hæredes legitimos *can. 7. caus. 12. q. 5. in Decreto.* Bona enim hæc pertinent ad plenum, et liberum dominium civile clerici et proinde in his bonis clericus uti civis consideratur, et jure laicorum utitur. Nullis autem exstantibus propinquis, qui a jure vocentur ad successionem, Ecclesia succedit in qua clericus beneficium habuit *c. 1. h. t. et glos. ibi v. Traduntur.*

3. Si clericus defunctus beneficium in aliqua Ecclesia non habuit, succedit fiscus episcopalis. Ita DD. communiter. In *c. 2. h. t.* specialis dispositio est de successione intestata in bonis sacerdotis,

qui fuerat servus. Scilicet in quatuor partes dividi debent bona quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta propinquis adsignetur. In bonis vero beneficialibus superfluis succedit Ecclesia. Et quidem si clericus pertinebat ad collegium clericorum in Ecclesia ipsum collegium succedit, si solus fuerit, succedit in bonis is, qui in beneficio succedit. At in utroque casu sive collegium, sive novus rector aut possessor beneficii de bonis hæreditariis defuncti disponere debet, quemadmodum disponit de aliis bonis ecclesiæ. Ita in *c. 12. De Test.*

Plura autem quæ accommodari possent successioni ab intestato superius dicta sunt in expositione tituli præc. tum quoad clericos sæculares, tum quoad religiosos.

Titulus XXVIII.

De sepulturis.*)

1. Jus Romanum edixit, sacrum et religiosum esse locum in quo sepelitur humanum corpus, ita ut locus reddatur sacer et religiosus, ipsa facta humatione cadaveris *ll. 2. et 44. ff. De religiosis et sumtib. funerum.* Ecclesia autem instituit ut benediceretur, et sacris ritibus religiosus redderetur locus sepulturæ fidelium. Hinc sepultura fidelium constituit objectum juris canonici. Sepultura in sensu tituli accipitur vel pro ipso loco ubi corpora fidelium ponuntur, vel pro jure fidelium habendi sepulturam. Hinc duplex tractatio.

Sit primum de sepultura prout ea designat locum depositionis cadaverum fidelium quo in sensu definitur: 'Locus auctoritate Episcopi benedictus in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur'. Antiquitus corpora fidelium prohibebantur in Ecclesiis sepeliri sed sepulchrorum sedes erant in atrio, aut in porticu, aut in exhedris scilicet claustris Ecclesiæ. Quemadmodum refert *can. 15. caus. 13. q. 2.* Ecclesia reservabatur humandis solummodo Episcopo aut abbati, scilicet prælatis, vel dignis presbyteris, aut laicis virtute fulgentibus, qui fama miraculorum ex hac vita decessissent. Ita in *c. 18. caus. 13. q. 2.* Locus in quo communiter fidelium corpora sepeliebantur, dictus est cœmeterium idest locus

*) Vide polemicam de sepulturis, apud Cavagnis, Jus publ. eccles. Lib. IV. n. 276 — 304.

dormitionis vel depositorium *can. 1. caus. 13. q. 1.* eo quod corpora eorum qui in pace Christi mortui sunt, ob futuram resurrectionem dormire videntur. Deinde ex praxi inductum est, ut omnes indiscriminatim fideles, quibus interdicta non est ecclesiastica sepultura, intra Ecclesiam conderentur. Nostris vero temporibus iterum consuetudo invaluit ut pro cadaveribus humandis cœmeteria construerentur.

2. Ex jure canonum quis habere potest sepulturam vel propriam, vel communem, vel electivam. Propria est ea, quam quis in loco sacro sibi condidit vel est sepulchrum majorum suorum nempe gentilitium. In *c. 1. h. t.* Leo III. ait: 'Statuimus unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere'. Consonant *cc. 2. et 3. eod. in 6°*. Communis sepultura est cœmeterium, vel Ecclesia parochialis illius loci, ubi quis domicilium habuit vivens, et sacramenta percepit, divina audivit *c. 5. et 10. h. t.* necnon *cc. 2. et 3. h. t. in 6°*. Clericus beneficium non habens sepelitur in propria sepultura si eam habeat, secus in parochiali. Clericus vero beneficium possidens quod eum ad residentiam obliget, et ad servitium, in Ecclesia beneficii sui sepelitur. Ita Episcopus in Cathedrali, Canonicus in cœmeterio Capituli *arg. c. 1. h. t.* et *c. 2. eod. in 6°*. Verum si clericus beneficium possidens residentiam habeat in aliqua parœcia, ita ut in eadem bonis spiritualibus fruatur, in parochiali sepulchro conditur, nisi aliter exigat vel privilegium capituli, vel consuetudo legitime præscripta.

3. Religiosi, nisi adeo sint remoti ut non possint commode ad sua monasteria transferri, debent sepeliri in Ecclesia vel cœmeterio monasterii *c. ult. h. t. in 6°*. Si vero nimium a monasterio remoti decedant legem aliorum communem sequuntur. Novitii etiam religiosorum sepulchrum habent in monasterio.

4. Uxor in sepulchro viri reconditur *can. 2. c. 13. q. 2.* Vidua pariter, si proprium seu gentilitium non habeat, præmortui mariti proprium sepulchrum sequitur. Quodsi plures successive viros habuit in ultimi viri sepulchro sepelitur *c. 3. § mulier. h. t. in 6°*. — Viatores, hospites, peregrini qui in aliena parœcia breviter commorandi consilium habent si ibi demoriantur, in proprii domicilii parochia sepeliendi sunt, dummodo illuc commode, et sine periculo possint transferri; secus sepeliuntur in loco ubi decedunt *c. 3. h. t. in 6°*.

5. Tertium genus sepulturæ est sepultura electiva. Scilicet jure canonum omnibus licet sibi eligere sepulturam *c. 1. h. t.* immo etiam uxori, vivente vel defuncto viro suo, conceditur ut possit sibi eligere sepulturam *c. 1. h. t.* Etiam filius familias, si sit pubes, potest sibi eligere sepulturam *c. 4. h. t. in 6°*. Pater vero potest sepulturam eligere pro impubere filio, ubi adsit consuetudo *eod. c. 4.* — Religiosi qui nec velle habent nec nolle non possunt sibi eligere sepulturam, nisi adeo absint a loco monasterii ut commode ad monasterium transferri non possint. Ejecti a religione videntur sibi posse eligere locum sepulturæ, nondum enim ipsi amiserunt volendi, et nolendi jus idest libertatem. Adnotamus vero hodiernis moribus post inductas leges generales sepeliendi in cœmeterio communi, valere quidem adhuc antiquam regulam circa electionem sepulturæ, sed eligendam esse sepulturam vel in Ecclesia quæ gaudet jure tumulationis, vel in aliquo determinato cœmeterio. Ad rem faciunt resolutiones S. Congr. Concilii *diei 16. Febr. 1867, 21. Martii 1871* et *25. Augusti 1877*. Ex his resolutionibus deducitur principium sequens idest publici cœmeterii institutio non lædit omnimodo jura Ecclesiarum, et fidelium quoad funera. Quæcumque autem sit sepultura sive propria sive electiva, sive in Ecclesia, sive in cœmeterio, servanda semper est dispositio S. Pii V. in Const. 'Cum primum' *diei 1. Apr. an. 1566.* § *VI.* ubi decernitur cadavera collocanda esse in tumba profunda subtus terram, et capsas sive deposita vel alia conditoria posita supra terram esse removenda. In sepultura enim debet verificari humatio.

De quarta funeris.

6. Jus exequendi funeralia ex sensu tituli pertinet ad Ecclesiam, in qua cadaver sepelitur, et Ecclesiæ ipsi cedunt emolumenta quæ ex funere obveniunt. Cum vero non deceat, ut Ecclesia a qua fidelis vivens pabula salutis accepit, careat emolumentis in morte, hinc in jure inductum est ut cum cadaver in sepulchro electivo, vel sepulchro proprio aut majorum sepelitur, ac proinde in aliena Ecclesia persolvuntur funera, parochus proprius fidelis defuncti recipiat portionem canonicam eorum omnium, quæ occasione funeris lucrata est alia Ecclesia in qua fidelis sepelitur *c. c. 1. 4. 8. 10. h. t.* et *Clem. Dudum 2. h. t.*

7. Quodsi quis duplex habuerit domicilium, et elegerit sepulturam in tertia parochia uterque parochus jus habebit ad canonicam

portionem, ita nempe ut quarta funeraria debeat æque dividi inter parochos *c. 2. h. t. in 6°*. Quod si vero quis elegerit sepulturam vel moriatur in una ex duabus parœciis Parochus alterius dimidiam portionem canonicam exigere non potest. Ita tenuit S. Congr. Conc. die 12. Sept. 1881. (Acta S. Sedis vol. 14. pag. 215). Ratio est, quia Ecclesia in qua fidelis moritur, et cadaver sepelitur, utitur jure suo et aliam Ecclesiam prævenire censetur.

8. Porro varietas in sacris canonibus habetur circa quantitatem hujus portionis. Ubi consuetudo aliter non disponat ex *c. 11. h. t.* portio canonica erit quarta. Ratio est quia magis communiter a canonibus quarta portio designatur, et quod maximum est a Tridentino in *cap. 13. sess. 25. de Ref.* quarta designatur. Porro quarta funerum solvitur etiam ex emolumentis quæ obveniunt ex funeribus quæ persolvantur diebus 3°., 7°. et 30°., quia hæc videntur comitari ipsam depositionem cadaveris. S. Congr. Concilii in *Firmana, funerum 18. Julii 1744* § *hæc habet.* Computatur autem quarta funerum solum de illis rebus, quæ ratione funeris solent asportari in Ecclesiam. Tales sunt candelæ, intorticia, vestes et ornamenta quibus decoratur feretrum defuncti. Non præstatur vero quarta de eleemosynis missarum vel relictis piis ad onera missarum persolvenda. Ita in specie statutum est pro Ecclesiis regularium in Const. *Rom. Pontifex* Bened. XIII. an. 1725.

9. Hanc quartam funerum monasteria non solvunt quæ vel per quadraginta annos non solverunt ante Tridentinum vel postea speciale privilegium habuerunt. Hæc conclusio infertur ex cit. loco ejusdem Concilii. Insuper per quadragenariam praxim potest ab aliqua Ecclesia præscribi jus contra Parochiam non solvendi hanc quartam. *Cap. 4. De præscript.*

10. Animadvertimus vero per institutionem communis cœmeterii non fuisse derogatum juribus funerum perficiendorum in Ecclesiis ubi ceteroquin sepultura habuisset locum. Solummodo immutatio materialis facta est quoad locum ita ut cœmeterium repræsentet illam Ecclesiam in qua cadaver sepeliri debuisset, si cœmeterium non fuisset institutum. Unde Ecclesia quæ habebat jus sepulturæ, habet jus funeris perficiendi, et percipiendi emolumenta ita ut Parocho defuncti salva sit solum quarta funeraria. Ita censuit S. Congreg. Conc. in *Deithonen. 24. Maji 1821.* Ita in *Forolivien. funerum 26. Jan. 1833,* ita novissime in *Aesinat. Juris funerandi* prop. *die 26. Nov. 1864* necnon in *Tiphernensi*

diei 16. Febr. 1867. Ex quibus resolutionibus liquet, 1°. posse adhuc fideles sibi eligere Ecclesiam in qua persolvantur solemnia funeris et hoc in casu illa Ecclesia tenet locum sepulturæ electivæ. Unde emolumenta funeris cedunt electæ Ecclesiæ reservata Parocho domicilii quota funeraria. 2°. Si per injuriam aut ignorantiam funera celebrata sint in Parœcia defuncti, Ecclesia in qua cadaver debuisset tumulari si non adesset lex tumulandi in communi cœmeterio, jus habet repetendi omnia emolumenta funerum relicta Parocho, salva quarta eorundem emolumentorum. Ita in identica specie decisum est in *cit. Aesinat. Juris funerandi 26. Novemb. 1864.*

11. Sepultura prout jus dicit est: 'Jus competens omnibus catholicis pie demortuis, ut eorum cadavera in loco sacro et religioso sepeliantur'. Fides enim in futuram corporum resurrectionem optimo jure suasit separationem animæ a corpore esse considerandam ceu temporaneam, et cadaverum pie defunctorum conditoria habenda esse ceu loca dormitionis in quibus expectant immutationem, seu novam vocationem ad vitam. Hinc Ecclesia voluit, ut cadaverum pie defunctorum conditio spectanda esset ceu quædam continuatio illius conditionis, qua fideles viventes in participatione bonorum spiritualium ad invicem consociabantur. Hinc juxta canones principium inductum est ut *'quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis';* c. 12. h. t. Quare quemadmodum nulli licet perturbare communionem viventium Catholicorum, et per injuriam fidelibus piis adjungere in sacris rebelles, et ejectos homines, ita etiam nefas est violare sepulchra catholicorum pie demortuorum per injectionem cadaveris illius, qui extra communionem mortuus est. Catholici ergo cohærenter ad principia propriæ professionis debent habere sepulchra, seu cœmeterium proprium ac distinctum ab heterodoxis.

12. Verum hodie cœpit impugnari hoc jus catholicorum, per injuriam quidem sed apparenti quadam ratione. Dictum scilicet est, cœmeterium esse proprium Municipii coram quo, cum omnes municipes sint æquales quemadmodum omnes cives sint æquales coram lege status et gubernii, ita etiam nullam faciendam esse distinctionem inter cadavera demortuorum ex varietate professionis religiosæ. Municipium enim in cœmeterii constructione solummodo præ oculis habere debet bonum publicum, et præsertim publicam hygienem.

13. At hæc ratio admitti nequit. Nam sciendum est, regulam de nulla facienda separatione cadaverum inter catholicos, et acatholicos propositam fuisse et propugnari a guberniis et Municipiis, quæ profitentur libertatem cultus, et conscientiæ. Quo posito ex hoc ipso principio, quod tamen theoretice est falsum et impium, demonstramus corruere argumentum in materia nostra ab adversariis contra catholicos adductum. Sane posito principio libertatis conscientiæ catholici habent jus, ut Municipium non lædat nec impediat exercitium religiosæ professionis propriæ. Ita ex. gr. non potest Municipium cogere municipes ut unam potius quam aliam religionem sequantur, et publice profiteantur, nec impellere omnes diversarum professionum indiscriminatim ut in unum eundemque locum conveniant sacra peracturi. Jamvero depositio, et sepultura cadaveris catholici hominis tum ex sensu fidei, tum ex Ecclesiæ dispositione tum ex communi Catholicorum persuasione, uti supra vidimus, est res religiosa et ingreditur ipsam practicam religiosam professionem. Ergo Municipium quod tuetur libertatem conscientiæ, non potest cogere catholicos, ut compleant actum contra propriam fidem et persuasionem, sepeliendo nempe cadavera in loco profano et confuse cum acatholicis. Uno verbo Municipium ex principio libertatis cultus debet tueri catholicos in eorum publica professione religiosa, non autem eos inquietare et spernere in tanto negotio. Nemo autem negabit sperni catholicam professionem quoties cadaver catholici hominis pie defuncti confunditur cum cadaveribus hæreticorum, apostatarum et infidelium, præsertim cum hæc confusio propugnetur ab hostibus religionis catholicæ in spretum et injuriam religionis ipsius.

14. Ratio autem adducta ab adversariis solummodo evincit catholicos non posse distinctum locum pro sepultura exigere cum præjudicio boni publici et præsertim publicæ hygienis. At nemo dicet bonum publicum turbari aut hygienem publicam impediri, si in spatio telluris designato pro humandis cadaveribus portio quædam per septa separetur in qua cœmeteria catholicorum fidelium construantur.

15. Jus sepulturæ ecclesiasticæ est pro catholicis pie demortuis. Hæc autem regula sumenda non est in sensu affirmativo, quatenus positive constare debeat de catholici hominis pia dormitione, sed in sensu negativo quatenus nempe non constet impie demortuum fuisse; *arg. cap. 12. h. t.*

16. Et quidem prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ procedit ex duplici capite. Scilicet quidam excluduntur a sepultura ecclesiastica ob defectum communionis ecclesiasticæ, alii autem excluduntur in pœnam quia habentur tamquam publici peccatores. Ex primo capite 1°. excluduntur omnes infideles, et in genere omnes non baptizati. Hoc in censu sunt etiam habendi filii catholicorum demortui absque baptismate, nisi nondum extracti ab utero matris cum matre demoriantur. Tunc enim cum matre sepeliuntur. Pariter non privantur sepultura ecclesiastica infantes catholicorum quibus collatum fuit baptisma sub conditione. Communis autem doctorum sententia excludit ab ecclesiastica sepultura etiam catechumenos ex defectu baptismatis nisi habuerint baptismum flaminis vel sanguinis.

2°. Privantur jure sepulturæ ecclesiasticæ hæretici, schismatici, et apostatæ. Ipsi enim viventes abscissi censentur ab unitate Ecclesiæ idest fidei, et communionis. Hinc pro ipsis valet principium cap. 12. h. t. *Quibus non communicavimus vivis, nec communicamus defunctis.* Expresse vero dispositio prohibens legitur in *capp. 8. et 13.* § *Credentes. De hæreticis.* Immo in iisdem locis interdicitur sepultura ecclesiastica receptoribus, defensoribus et fautoribus hæreticorum. 3°. Ex *c. 12. h. t.* excluduntur excommunicati ob allatum principium, nisi cum Ecclesia saltem in articulo mortis fuerint reconciliati. Quod si cadaver alicujus excommunicati et non reconciliati fuerit sepultum in cœmeterio christiano, exhumandum esse, ait Pontifex, si ab aliis discerni possit et alibi, extra locum sacrum humandum esse; *conf. c. 12. h. t.* Verum doctores intelligunt caput de notorie excommunicatis, non autem de occulte excommunicatis. Nam pœna publica non applicatur nisi ob causam publicam. Quæstio a doctoribus instituitur, utrum dispositio *c. 12.* undequaque vigeat adhuc post Const. *Ad evitanda* Martini V.

17. Summus Pontifex distinxit inter excommunicatos vitandos et non vitandos. Vitandos dixit 1° nominatim excommunicatos; 2°. publicos percussores Clericorum, seu illos, quorum factum percussionis nulla tergiversatione possit celari. Ceteros excommunicatos licet notorios non vitandos dixit, seu abstulit a fidelibus obligationem eosdem vitandi. Hoc posito quæritur an privati censeantur jure sepulturæ ecclesiasticæ excommunicati notorii sed non vitandi. Viderentur privati non esse, quia ipsis applicari non

potest principium Innoc. III. *Quibus non communicavimus vivis etc.* Permissa enim est communicatio cum excommunicatis toleratis. At in sensu Bullæ Martini V. aliter solvenda quæstio esse videtur. Martinus V. in ultimis verbis Bullæ ait 'Per hoc tamen excommunicatos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodocumque suffragari'. Igitur ipsis excommunicatis notoriis et non vitandis ex Const. Martini nullum jus accessit; ergo nec sepulturæ. Quoniam vero cum ipsis vivis communicare impune possunt fideles, hinc a pari non erit interdicta communicatio cum ipsis demortuis, scilicet parochus aut alius pœnas canonicas non incurrit quoties sepulturam ecclesiasticam concessit eisdem excommunicatis toleratis. At propinqui ejus exigere non poterunt, ut sepulturæ ecclesiasticæ mandetur illius cadaver.

18. Hanc nostram conclusionem confirmat Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis* quæ censuras latæ sententiæ coarctat. Etenim Pontifex implicite aufert pœnam excommunicationis latæ sententiæ expressam in *Clem. 1. De sepult.* contra eos qui in loco sacro sepulturæ mandant publice excommunicatos, et eandem pœnam decernit solummodo contra *mandantes* seu *cogentes* tradi *ecclesiasticæ sepulturæ nominatim excommunicatos.* Excommunicatis notoriis æquiparandi sunt interdicti personaliter *cap. 20. De sent. excomm. in 6°.* præsertim vero *nominatim interdicti* ex dispositione *Clem. 1. h. t.* et *cit. Const. Apostolicæ Sedis.*

Adnotandum hac in re est, antiquo jure juxta *c. 12. h. t.* ad assequendum jus sepulturæ ecclesiasticæ requiri reconciliationem cum Ecclesia modo solemni factam. Facienda autem erit coram proprio presbytero seu parocho juxta *c. 14. h. t.* Hodie autem sufficit, si excommunicatus, vel interdictus in articulo mortis absolutus fuerit a quocumque sacerdote. *Thesaurus, De pœnis, pars prima c. 24. n. 4.* Immo non est deneganda ecclesiastica sepultura, quoties evidentia pœnitentiæ, et resipiscentiæ signa dederit juxta dispositionem *cap. 29. De sentent. excomm.* Reconciliatio autem quæ vivente fideli fieri non potuit, expletur in cadavere, adhibitis ritibus in sacra liturgia designatis. Quemadmodum in sensu *cap. 28. De sent. excomm.* declaravit S. Congr. EE. et RR. in Nolana *19. Julii 1619.* Verum si censura erat occulta, vel saltem non fuerat denunciata ad tribunal ecclesiasticum, nec provenerat ex notoria percussione Clerici, utilis quidem, sed necessaria non est absolutio et reconciliatio post mortem delinquentis.

Et ratio adducitur a Thesauro *loc. cit. n. 5.* scilicet absolutio non datur directe mortuo quia ob resipiscentiam jam præsumitur coram Deo absolutus sed absolvitur mortuus in ordine ad fideles viventes, ut licite possint communicare cum defuncto, preces pro eodem effundendo, sanctum sacrificium applicando etc.

19. Secundo loco privantur jure ecclesiasticæ sepulturæ publici peccatores. Unde 1°. excluduntur: usurarii publici seu manifesti *c. 3. De Usuris.* Et quidem licet eos pœniteat ante mortem, et mandent restitui male perceptas usuras; et solummodo admittuntur vel quando ipsi restituerint ante mortem, vel idoneam cautionem dederint restitutionis faciendæ pro modo et viribus patrimonii sui *c. 2. De usuris in 6°.*

2°. Injusti detentores decimarum quæ Ecclesiæ debentur nisi restituerint *c. 19. De decimis,* necnon raptores ecclesiarum, qui non satisfecerint *c. 2. et 5. De raptor.* — 3°. Raptores et fures in crimine deprehensi et occisi *c. 2. De furtis* necnon incendiarii *can. Pessimum. caus. 23. q. 8.* — 4°. Maledici seu blasphemi *c. 2. de Maledicis.* — 5.° Regulares qui demoriantur cum peculio nec rebus temporalibus ante mortem renunciaverint.

20. 6°. Suicidæ, seu qui sibi mortem intulerunt *c. 11. et 12. c. 23. q. 5.* nisi tamen constet, eos furore actos id peregisse, aut saltem insania, et mentis aberratione *can. Illa. causa 15. q. 2.* Porro hanc insaniam benigna mater Ecclesia facile præsumit. Insuper animadvertendum est ipsum suicidium numquam præsumi, sed esse probandum, seu constare debet cadaver repertum revera mortuum fuisse ex suicidio. Privatio enim sepulturæ est pœna publica quæ nonnisi crimini publice cognito potest applicari.

21. 7°. Qui annualem confessionem et paschalem communionem culpabiliter omiserint *cap. 12. De pœnis et rem.* Docent vero auctores magnæ notæ hanc pœnam privationis sepulturæ non esse latæ sententiæ, aut saltem non posse parochum sine ordinarii mandato excludere a sepultura cadaver illius qui sacramenta omisit. Ratio est quia parochus non habet jurisdictionem in foro externo, ac proinde non potest pœnam privationis sepulturæ infligere quæ procedit ad modum censuræ. Cæterum excludi non potest cadaver illius, qui ante mortem signa dedit pœnitentiæ, et unus saltem testis de pœnitentia deponat. *Cf. Thesaurus, De pœnis v. sacramentum c. 2.*

22. 8°. In genere omnes publici peccatores qui absque veræ pœnitentiæ signis decedunt *can. 16. caus. 13. q. 2.* vel qui in peccato lethali notorio absque pœnitentia moriuntur. Sic ex. gr. qui in actuali fornicatione, aut adulterio occiduntur, vel morte instantanea in actu criminis pereunt *can. 31. caus. 13. q. 2.* Conditio autem veræ pœnitentiæ si verificetur, conceditur sepultura etiam in superioribus casibus, illis exceptis in quibus ratio justitiæ exigit, ut restitutio fiat, vel cautio detur ut fiat.

23. Tandem pœna privationis a sepultura ecclesiastica instituta est contra duellantes. Conc. Trid. *sess. 25. cap. 19. de Ref.* privationis sepulturæ pœnam statuerat contra duellantes occumbentes in certamine. In eodem ferme sensu locuti fuerunt Gregor. XIII. Const. *Ad tollendum* et Clemens VIII. Const. *Illius.* Quæstio autem mota fuit a doctoribus, an pœna privationis comprehenderet etiam illos qui, expleto certamine, sed ob vulnus in certamine susceptum moriuntur; *Engel h. t. n. 22.* Sed in odium hujus perniciosi criminis Bened. XIV. in *Const. 'Detestabilem'* præter alias censuras contra duellantes decrevit, ut duellantes privarentur sepultura ecclesiastica sive morerentur in duello, sive postea, vulnere tamen suscepto in duello, quamvis post duellum signa dederint pœnitentiæ, immo licet sese reconciliaverint cum Ecclesia per sacramentorum susceptionem. Hæc vero dispositio ultima de privatione sepulturæ non ubique servatur cum duellantibus, qui cum Ecclesia reconciliati per sacramenta ad aliam vitam transeunt. Contraria enim consuetudo suadentibus temporum circumstantiis inducta esse videtur ut in aliquibus locis duellantes qui demoriuntur ob acceptum vulnus in duello, sepeliantur in loco sacro, si veræ pœnitentiæ signa dederint.

24. Quid vero dicendum si de facto indigni hominis cadaver sepeliatur in loco sacro?

1°. Ex *Clem. 1. h. t.* et ex *c. 2. De hæretic. in 6°.* illi qui propriæ temeritatis ausu defunctorum corpora in cœmeteriis, vel Ecclesiis interdicti tempore in casibus non permissis a jure sepeliebant, vel qui sepeliebant in loco sacro excommunicatos publicos vel nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, aut hæreticos, receptores, vel fautores eorundem hæreticorum, excommunicationi latæ sententiæ subjiciebantur. Quæ tamen excommunicatio reservata non erat Rom. Pontifici, et ab Episcopo remitti poterat post congruam satisfactionem. Insuper ab hac excommunicatione ex-

cusabat ignorantia juris, vel facti, necnon metus gravis. Ad eam enim incurrendam requirebatur *temeritas audaciæ Clem. 1. h. t.* At hodie ex *Const. Apostolicæ Sedis* non amplius viget prædicta pœna in tota sua latitudine, sed solummodo pœna excommunicationis latæ sententiæ nemini reservatæ plectuntur 'mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos'. Insuper inter interdicta reservata in eadem Const. sub *n. 20.* est illud contra 'scienter nominatim excommunicatos . . . ad sepulturam ecclesiasticam admittentes'.

25. 2°. Si sepultura sit in loco sacro cadaver excommunicati vitandi, vel infidelis, vel hæretici exhumari debet, quoties ejus ossa discerni possunt *arg. c. 12. h. t. c. 7. De consecr. Ecclesiæ* et *c. 2. De hæretic. in 6°*. Ecclesia vero seu cœmeterium, violatum idest pollutum esse censetur. Hinc inibi nemo ex fidelibus demortuis sepeliri potest antequam reconciliatio loci fiat *c. un. De consecr. Ecclesiæ in 6°*. At de hac re videbimus in tit. *De consecratione Ecclesiæ vel altaris.*

26. 3°. De aliis indignis sepultura ecclesiastica, si contra legem canonicam sepeliantur in loco sacro, in jure nostro expressa dispositio non adest, qua præcipiatur cadaveris ejectio. Porro ejectio cadaveris e sepultura est pœna rigida quæ proinde extendenda non est ad casus in jure non expressos; præsertim quia aliis indignis sepultura religiosa undequaque applicari non potest regula Innocentii *'Quibus non communicavimus vivis, non communicamus defunctis'*.

27. Ultimo loco videndum est an aliquid possit exigi ratione sepulturæ. Profecto nullum dubium est, pretio comparari non posse jus sepulturæ ecclesiasticæ in sensu superius explicato, illud enim est res sacra et pretio inæstimabilis. At 1°. pretio emi potest fundus in quo constituatur sepultura. Locus enim hujusmodi quemadmodum area ad Ecclesiam ædificandam est pretio æstimabilis. Non enim emitur res sacra, sed res profana quæ inde convertitur in sacram. 2°. Fundus in quo constructa, et benedicta est sepultura, potest etiam emi, qua fundus est, dummodo majus pretium non solvatur ob qualitatem religiosam rei. Res enim sacræ, et objecta ceu vasa, quæ cultui divino inserviunt, possunt sub respectu valoris profani alienari recepto pretio valori respondente. Idque a fortiori si agatur de sepultura nobilium more constructa quæ ex operibus, et ornamentis honorabilior est. Cardinalis Petra *Comm. ad*

Const. Pauli II. n. 18. et 19. innixus resolutioni S. Congr. Conc. in causa *Melliten. diei 6. Sept. 1659* probat non requiri beneplacitum Apostolicum quando acquiratur fundus pro constituenda sepultura, requiri autem ad removendum periculum simoniæ, quando interveniente pretio conceditur usus sepulturæ jam constructæ. Verum pro sepultura ordinaria, et publica fidelium aliquid non potest exigi titulo pretii, et ut conditio sine qua non sepeliatur cadaver *c. 13 h. t.* Si autem adsit consuetudo aliquid solvendi pro simplici sepultura, parochus vel rector Ecclesiæ non prohibetur solitam præstationem exposcere, exclusa tamen turpi exactione. Immo doctores cum Abb. *Comm. in cit. cap. 13. n. 7.* tradunt posse Episcopum compellere laicos nolentes, ut consuetudinem servent, et solvant quod consuetudo secumfert, postquam vero completum est funus, et postquam cadaver sepulturæ traditum est.

Appendix de sepultura religiosorum.

28. Jus sepulturæ cum suis consectariis, scilicet cum emolumentis funeris, vel saltem quarta funeris, consideratum est a legislatione canonica tamquam quid connexum cum jure quo fideles fruuntur recipiendi sacramenta a proprio Parocho *c. 1. h. t. in 6°.* et *Clem. Dudum § Verum eod. tit.* Jamvero ob exemptionem religiosæ domus regulares personæ in eadem commorantes sacramenta non suscipiunt a Parocho intra cujus parœciæ limites religiosa domus existit. Hinc penes doctores adagium inductum est 'locus exemptus ut locus extra diœcesim æquiparatur'. Quare jus sepulturæ regularium est independens a juribus parochialibus. Et revera ipsa legislatio canonica in *cap. 5. h. t. in 6.* cavit: 'Religiosi, nisi a propriis Monasteriis adeo forsitan sint remoti quod ad ea, quum moriuntur, commode portari non possint nequeunt cum velle, vel nolle non habeant sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.' Exinde sequitur hominem rēgularem sepeliendum esse apud monasterium suum, adeoque jura funeris esse Monasterii ipsius propria, quamvis demortuus sit extra monasterii claustra dummodo ad monasterium commode transferri cadaver possit.

29. Quæsitum est quomodo esset explicandum illud *commode.* Antiqui doctores dixerunt illum religiosum non posse ad suum monasterium commode transferri, sed mortuum esse tumulandum in Parœcia loci ubi e vita migravit qui a monasterio suo non distat ultra unam dietam, idest per spatium majus viginti milliariis

italicis. Siquidem si ultra iter unius diei quod viginti milliariis juridice continebatur cadaver debuisset moveri, facile non potuisset ad monasterium deferri, quin putresceret, et aërem simul inficeret. Veteres autem doctores considerabant asperitatem viarum, et defectum mediorum quibus ad transferenda cadavera utebantur, et exinde deducebant spatio unius diei non posse cadaver commode asportari ex loco qui distaret ultra viginti passuum millia.

Verum immutata est hodie rerum conditio præsertim post constructas vias ferreis stratas asseribus. Hinc in causa Veliterna diei *21. Augusti anni 1869* S. Congr. Concilii proposito dubio: 'An et quæ emolumenta solvenda essent Parocho ratione juris funeris canonici regularis Lateranensis in urbe Veliterna demortui extra claustra monasterii, cujus cadaver a Canonicis Lateranensibus elatum fuerat in monasterium suæ residentiæ in urbe Roma existens'; responsum est negative in omnibus. Procul dubio Veliterna civitas ultra 20 milliaria ab Urbe distat. Quare dici potest perseverare adhuc dispositionem *cap. 5. h. t. in 6°.* non autem amplius vigere doctorum sententiam, et antiquam praxim de numero viginti millia passuum antiquitus assignato, ceu limite juris sepulturæ regularium demorientium extra claustra monasterii. Hinc ubi commoditas viarum verificetur, et ubi media opportuna suppetant quibus brevi temporis intervallo cadaver religiosi hominis facile possit ad suum monasterium deferri, jus funeris non ad parochum loci pertinet, sed ad ipsum monasterium.

30. Porro quando jus funeris ad monasterium pertinet superiores regulares defuncti etiam inconsulto Parocho loci ubi mortuus est homo religiosus extra claustra Monasterii, possunt deferre cadaver quin Parochus aliquod emolumentum exposcere, et assequi valeat, licet morienti religioso sacrum viaticum, et extremam unctionem administraverit. Ita S. Congr. Epp. et RR. in *Bononiensi diei 2. Julii 1620.* et S. Congr. Concilii *in Puteolana diei 22. Maji 1615.*

31. Quæritur quid dicendum de jure associationis cadaveris, quoties processio funebris debeat pertransire intra limites jurisdictionis alicujus Parochi.

Dubium non est intra limites parœciæ Parochum esse, qui jurisdictionem exercet, aliosque ab exercitio ejusdem jurisdictionis repellere *c. Pastoralis. De his quæ fiunt a prælatis,* et *Trident. sess. 14. c. 9. De Ref.* Siquidem ipse est qui regimen habet ordi-

narium populi in parœcia sua. Jamvero jurisdictionis exercitium sequitur manifestatio ejusdem quæ fiat congruis signis exterioribus, prout est stolam deferre, crucem elatam gestare. Ita præ aliis Pignatelli *Consult. 73.* Hinc viderentur regulares non posse suorum sociorum funus gerere extra monasterium intra limites alicujus Parœciæ.

Verum proposita quæstione: 'An proprius Parochus defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cujuscumque diœcesis ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad Ecclesiam regularium possit libere et licite per eandem cum stola, et cruce elevata transire etiam irrequisito Parocho', S. Congr. die 28. Nov. 1671 respondit *affirmative.* Hanc vero sententiam confirmavit *Innoc. XI. die 2. Dec. 1678.* A pari igitur regulares superiores, qui juribus parochialibus erga suos subditos regulares gaudent poterunt funus religiosi defuncti agere intra limites alicujus parœciæ. Quod de regularibus viris dictum est, etiam regularibus mulieribus est applicandum juxta mentem Bened. XIV. expressam in Const. alias cit. *'Si datam nominibus' diei 4. Martii an. 1748.* At in Monasteriis monialium cum confessarius censeatur esse parochus, ipse est, qui funus religiosæ feminæ defunctæ peragit. Ita doctores et S. Congr. in *Tranensi diei 30. Maji 1856* et *diei 17. Sept. 1858.* Porro hæc, quæ diximus de funere quod agere possunt regulares in alienæ parœciæ limitibus intelligenda sunt de simplici transitu intra terminos ejusdem alienæ Parœciæ. Si enim agatur de translatione cadaveris personæ religiosæ ex aliena parœcia, in qua mortua est, in propriam Ecclesiam, servanda erit limitatio de qua paulo inferius.

32. Quodsi sermo sit de delatione cadaveris regularis personæ ad publicum cœmeterium quod in Ecclesia sepeliri non possit ex. gr. ob legis civilis interdictum, ex decreto S. Congr. Concilii *diei 24. Jan. 1846* deprehendimus posse Regulares cum stola, et cruce elata conventus, et sine parochi interventu cadaver deferre ad cœmeterium commune, modo id fiat absque pompa solemni, et defunctus recto tramite deferatur ad cœmeterium. Eadem prorsus in terminis responsa dedit S. Congr. Concilii in causa *Syracusana funerum diei 24. Febr. ann. 1852,* cum quæstio agitaretur de confessario monialium, qui sibi vindicabat jus ad publicum cœmeterium associandi cadaver monialis monasterii sui. Posita limitatio, ut nempe translatio cadaveris fiat absque pompa, et recto tramite

de loco ad locum, observanda est a regularibus etiam quando e domo a monasterio distincta defunctum religiosum ad proprii monasterii Ecclesiam transferunt. Ubi enim eadem ratio est, ibi etiam eadem juris dispositio esse debet. Hinc si pompa funebris adhiberi velit a regularibus, consuetudo est ut interveniat etiam Parochus. Conf. Mattheucci *Officialis Curiæ c. 48.* et Card. Petra ad *Const. 9am Innoc. III. Sect. unic. n. 11.*

33. Quid si aliquis fidelis laicus sive ex electione sive ex alio titulo jus habeat sepulturæ, et consequenter jus funeris in aliqua Ecclesia regularium?

Regulares non possunt funus comitari, et asportare cadaver absque consensu, et interventu Parochi. S. Congr. Concilii in *Tusculana diei 24. Julii 1734.* At Parochus in associatione funeris ingredi Ecclesias regularium cum stola et cruce erecta non potest. Sed debet terminare preces associationis ante januam Ecclesiæ, ibique dare cadaveri ultimum vale. S. Congr. Concilii in causa *Insular. Canariæ 31. Jul. 1694* et in *Laudens. die 2. Maji 1711.* Ratio est legislatio ecclesiastica quæ in bonum christianæ societatis tuetur jurisdictionem ordinariam Parochorum et exemptionem Regularium, itaque temperavit agendi rationem eorundem ut Parochi quousque fieri possit non ingrederentur provinciam Regularium, et viceversa. Quoad vero regularium exemptionem legislatio canonica præ oculis videtur habuisse ipsa loca, idest monasteria, et ecclesias unitas, ita ut quasi extra diœcesim et parœciam posita considerarentur. E contra in jurisdictione parochiali eadem legislatio, licet consideret limites territorii parochialis, primario tamen præ oculis habet fideles Parochi curæ traditos, quos uti pastor sacramentis, et doctrina pascit. Hinc explicatur quomodo permittatur regularibus aliquando in parœcia aliena gestare signa publica jurisdictionis, non permittatur autem Parochis ingredi ecclesias regularium cum iisdem signis.

34. Quæritur quid dicendum de Ecclesiis regularibus monasteriorum, vel conventuum ex lege civili suppressorum, utrum necne jus funeris conservent quod habebant ante religiosæ familiæ suppressionem? Quæ dicemus, præsertim Italiam ob nuperrimam rerum publicarum eversionem respiciunt. Quoniam ex pluribus monasteriis vel conventibus religiosi prorsus expulsi sunt, in aliis autem relicti sunt pauci numero religiosi tamquam custodes, et capellani Ecclesiæ, et quoniam non raro religiosi expulsi e propriis monasteriis et

Ecclesiis incolunt privatam domum, ibique religiosam vitam simul conducunt; hinc plures casus considerandi sunt. Et primo quidem consideremus Ecclesiam regularium in qua adsit jus sepulturæ, quæque, exclusis religiosis, mutata fuerit in Ecclesiam sæcularem. Sciendum in hac re est, jus sepulturæ in Ecclesia aliqua receptum, et consideratum fuisse tamquam jus reale adhærens ipsi Ecclesiæ. Hinc licet supprimatur canonice, idest ab auctoritate ecclesiastica, regularis familia, vel domus religiosa, ita ut ecclesia e regulari fiat sæcularis; tamen ecclesia ipsa non amittit jus funerandi: sed illud secum transfert in secundam conditionem. Quapropter si in suppressione religiosæ domus ecclesia non redigatur ad communem conditionem Ecclesiarum in parœcia existentium sed alteri pio instituto speciali, quod habeat proprium esse, et formam, destinetur vel uniatur, ex. gr. seminario, xenodochio etc., rectori, vel superiori pii ejusdem instituti reservatur jus funeris quod regularium in Ecclesia proprium fuerat. Ita *S. Rota cor. Merlino dec. 547. Ita S. Congr. Conc. in Ravenn. Funer. 17. Martii 1781; in Pergulana diei 29. Jan. 1825* et *in Tiburtina diei 17. Martii 1827.* In postrema controversia proposita fuere duo dubia: 1°. An Ecclesia S. Petri gaudeat jure tumulandi in casu. Responsum est affirmative. 2°. An et quæ emolumenta funeris in eadem Ecclesia peracti spectent ad Parochum defuncti in casu. Responsum est affirmative pro quarta funerum juxta consuetudinem loci. In causa autem Pergulana resolutum est 1°. Rectorem Seminarii in sua ecclesia quæ fuerat regularis, quæque est intra limites alicujus parœciæ, jus habere perficiendi functiones non parochiales; 2°. Parochum quoad illam Ecclesiam sese in funeribus gerere debere ad formam Ecclesiarum exemptarum, ita nempe ut possit associare cadavera suorum parochianorum usque ad januam Ecclesiæ, habeatque jus ad quartam funeris juxta consuetudinem loci; 3°. Parochum prohiberi quominus in eadem Ecclesia functiones mortuarias non parochianorum exequatur.

35. Quod si domus religiosa suppressa, et Ecclesia redacta fuerit ad conditionem communem aliarum Ecclesiarum in parœcia existentium, ita ut debeat considerari ceu Ecclesia filialis Parœciæ, procul dubio jus funeralium in eadem perficiendorum Parocho competere dicendum est. Et in hoc sensu accipienda est resolutio Congr. Reformationis data *die 16. Dec. 1816* quam confirmavit s. mem. Pius Papa VII. die 17. ejusdem mensis. Refertur hæc

resolutio in *Pergulana diei 18. Dec. 1824 § Reponit.* citatur autem in *Foroliviensi 16. Sept. 1871.*

36. Quid vero dicendum est de Ecclesiis regularibus adnexis domui religiosæ suppressæ a gubernio civili quam incolunt pauci numero religiosi?

Procul dubio nec suppressio religiosæ familiæ juridice valet, nec mutatio status ecclesiæ de regulari in sæcularem legitima est. Etenim utrumque factum est jussu laicorum, quibus teste Innoc. III. in *c. X. De constit.* in ecclesiis nulla est tributa potestas. In specie autem si sermo sit de mutatione status Ecclesiæ regularis quoad jura, onera, et privilegia propria, mutatio fieri nequit absque beneplacito Sedis Apostolicæ ob privilegium exemptionis. Porro hanc regulam non semel exhibuit et roboravit S. Congr. Concilii. Ita in cit. *Ravennatensi 17. Martii 1781, in cit. Tiburtina* et in *Firmana 21. Nov. 1840.*

37. Quare, non obstante iniqua suppressione religiosæ familiæ, Ecclesia de qua in hypothesi integra jura funerum conservabit, ita ut persona regularis, quæ rectoris munere fungitur eadem jura exerceat. Nuperrima decisio S. Congr. Concilii in *Forolivien. Juris funerandi diei 16. Sept. 1871* enatam quæstionem in hoc exposito sensu ad amussim resolvit. Et quidem quoniam religiosi habitantes in domo adnexa quoad jura, et onera parochialia subjiciuntur superiori regulari domus: hinc mea opinio est jus funeris in morte alicujus ex eis plene et exclusive competere eidem superiori regulari. Nec officit difficultas orta ex disciplina introducta juxta quam Ordinarius loci approbat superiorem seu rectorem in Ecclesia regulari a lege civili suppressa; nam ad summum in sensu juris dicendum est religiosas domus, et earum Ecclesias incidisse in eam conditionem de qua cavet Innoc. X. in celebri decreto *Ut in parvis diei 10. Febr. 1654.* Scilicet parvi virorum conventus in quibus saltem sex religiosi non commorantur actu, quorum saltem quatuor non sint Sacerdotes subjiciuntur correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Hac tamen in conditione conventuum jurisdictio Episcoporum non est exclusiva, sed cumulativa cum superioribus regularibus quemadmodum innixus resolutioni authenticæ S. Congr. super statum regularium probat Fagnanus *Comm. ad c. 7. De officio ordin.*

38. Et revera scimus ex facto religiosos in istis domibus suppressis a lege civili commorantes subjici et pendere a suis superio-

ribus regularibus. Igitur et personæ in ipsis domibus residentes quemadmodum regulam religionis observare tenentur, ita etiam servabunt jura adnexa domui et Ecclesiæ, sola excepta libera et plena exemptione a jurisdictione Episcopi ob paucitatem numeri religiosorum juxta Decretum Innoc. X. Quare conservabunt etiam jus funeris parochum proprium excludentes, et ipsis in omnibus applicari poterunt normæ juris, quas supra de regularium funere exposuimus.

39. Quid vero dicendum de regularibus a civili potestate e propria domo expulsis, et incolentibus privatam domum in civitate vel pago?

Resolutio juridica, quod sciam, nulla data adhuc est. Verum si ex auctoritate Superioris regularis et præsertim si ex venia S. Sedis religiosi vitam in communi degant servantes formam instituti proprii, non dubito quin et ipsi independentes sint censendi a jurisdictione parochi etiam quoad funus quoties vel in Ecclesia proprii ordinis, vel in aliqua ecclesia sibi adsignata funus agere possunt. Isti enim coram auctoritate ecclesiastica adhuc regulares sunt et solummodo eorundem exemptio limitata est juxta decretum '*Uti in parvis*' Innoc. X. Conf. Instruct. S. Pœnitentiariæ *diei 18. Aprilis 1867.* Tandem in hac re adnotandum esse censemus tum quoad jus ipsum funeris et associationis tum quoad modum quo exerceri debeat tum quoad quartam emolumentorum funeris plurimum valere statuta synodalia, et decreta episcopalia, quæ tamen juri communi non adversantur, necnon consuetudines locorum legitime præscriptas. Hinc S. Congregatio non semel, immo forsitan quoties occasio sese obtulit, invocavit consuetudinem locorum. Ita in citatis *Pergulana et Tiburtina* atque in nuperrima *Forolivien*si.*)

Titulus XXIX.

De parochis et alienis parochianis.

1. Primis Ecclesiæ sæculis populus fidelium, et presbyteri cæterique ministri adunabantur in sacris officiis peragendis cum proprio Episcopo. Aucto deinde numero fidelium ab Ecclesia cathe-

*) Vide etiam de Cremationе, Cavagnis Jus publ. eccl. lib. 4. n. 158. et seqq.

drali auctoritate Episcopi mittebantur presbyteri ad solatia plebium, sed inde ad cathedralem reversuri. Quapropter appellabantur *visitatores, circumcursatores, circuitores.* Factum vero inde est ut etiam in pagis erigerentur templa, et in ipsis constituerentur ministri. Hæc disciplina primum incepit in Ecclesia orientali. In Ecclesia autem occidentali sæculo IV. id contingit.

2. Presbyteri qui Ecclesiis istis minoribus addicebantur appellati sunt *Cardinales* vel *Cardinati,* veluti cardines adfixi Ecclesiæ *c. 5. Dist. 71. c. 42. can. 7. q. 1.* Dicti etiam sunt presbyteri *Vicarii* vel etiam *Forastici* a vicis et foris ad quæ mittebantur. Appellati insuper sunt *Plebani c. 40. elect. Rectores c. 3. De vita et honest. cler. Proprii Sacerdotes c. 12. De pœnit. et remissionibus.* Tandem dicti sunt *Parochi;* et Parochiæ, vel Parœciæ dicta sunt loca intra quorum fines isti presbyteri officium suum exercebant *can. 35. De Conf. Dist. 1.* Quare christiana plebs quæ tota, et immediate ab Episcopo regebatur et sacramentorum doctrinæque pabulum recipiebat, paulatim divisa est in particulares sectiones quarum cuique præesset proprius sacerdos dependens ab Episcopo. Parochia igitur considerari potest ceu pars diœceseos.

3. Definiri autem potest: *'Certa diœceseos Ecclesia quæ populum certis limitibus distinctum, et Presbyterum seu rectorem proprium habet, qui missione accepta ab Episcopo et sub ejus dependentia eidem populo sacramenta, verbum divinum, et alia spiritualia ordinis spiritualis ex officio administrat.'*

4. Ex hac definitione patet quænam requirantur ad Parochiam constituendam. 1°. Requiritur certus locus seu territorium in quo adsit Ecclesia, quæ titulum constituit Parœciæ, et Ecclesia parochialis dicitur. Parochia enim est ad modum diœceseos in qua adsunt determinati fines territorii, et insuper Ecclesia cathedralis. Erectio autem Ecclesiæ in parochiam et circumscriptio loci seu finium perficitur a Rom. Pontifice vel ab Episcopo ita ut nemo alius possit hanc peragere erectionem *can. 11. c. 16. q. 7.* Parochialis enim potestas est participatio pastoralis officii quod de jure divino proprium est Episcopi.

5. Concilium vero Trid. in *sess. 24. c. 13. de Ref.* mandat Episcopis, ut in locis in quibus parochiæ distinctæ non sunt, 'distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a

quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullæ sunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus'. Immo Episcopo etiam ut Sedis Apostolicæ delegato reservatum est novas parochias inter limites antiquæ parochiæ fundare, seu dividere veteres parochias, quando ob distantiam locorum, sive difficultatem fideles careant necessaria parochi assistentia in spiritualibus. De hac re sermo est in Tridentino *sess. 21. De Ref. c. 4.* et de ea innuimus in tit. V. agentes de divisione beneficii.

6. 2°. Requiritur ut unus, et perpetuus rector seu parochus constituatur *c. 15. De præb. et dignit.* Clarius vero hoc requisitum designat Tridentinum in cit. *sess. 24. c. 13. de Ref.* verbis: 'Unicuique (Parochiæ) suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent ...' Scilicet ad bonum animarum procurandum necesse est, ut pastor fideles, et fideles pastorem agnoscant. Hinc re inspecta in genere provisum non videtur satis saluti animarum si plebi christianæ modo unus, modo alius præficiatur pastor. Quare Parochiæ institutæ in jure censentur ceu totidem beneficia perpetua. Nec obstat quod aliquando cura animarum sit commissa corpori morali. Nam exercenda est per unum, seu vicarium qui juxta intentionem Tridentini *sess. 7. c. 7. de Ref.* ad vitam seu in perpetuum, si fieri possit, parœciæ præficiendus est. Nec alii de capitulo vel monasterio sese ingerere possunt in exercitio curæ animarum, sed solum conceditur capitulo, vel monasterio exercitium paucorum actuum digniorum quos corpus morale in fundatione vicariæ sibi reservavit.

7. Tertium requisitum est ut Parocho, seu rectori competat potestas ligandi, et solvendi, in foro pœnitentiali. Hæc vero potestas competit vi officii scilicet est ordinaria, licet sit participata, seu derivata a potestate episcopali, et eam exercet parochus in omnes suos subditos.

Quæstio fieri potest utrum inter requisita parochiæ etiam numeretur fons baptismalis. Certe intentio sacrorum canonum est ut in qualibet Ecclesia parochiali adsit fons baptismalis. Quemadmodum etiam docuit S. Congr. Concilii in *Verulana 24. Martii 1736* et aliis omissis in *Urbevetana 3. Aug. 1748.* Hæc vero intentio sacrorum canonum ideo inducta est ut unusquisque Parochus oves sacro lavacro abluens in Ecclesiæ ovile introducat, et

simul certo cognoscat quinam in Christi gregem coaptentur necnon quinam ex legitimis nuptiis fuerint procreati. Hinc optimum est ut parochus proprius consecret initium vitæ suorum fidelium per baptismi collationem in propria Ecclesia.

8. At eodem jure canonico factum est ut præsertim in novis parœciis quæ ex divisione ab antiquis institutæ sunt, non erigeretur fons baptismalis, sed jus baptizandi reservaretur priori Ecclesiæ parochiali quæ dicta est Ecclesia matrix et baptismalis. Hinc cœpit distingui inter Ecclesias matrices vel baptismales, et filiales seu simpliciter parochiales, ceu notat Fagnanus *comm. in c. Cum continget n. 54. De decimis* referens solutionem *S. Congr. in Urbinat. 15. Junii 1624.*

Verum ubi locum habent justæ et legitimæ causæ solet facile concedi erectio fontis baptismalis etiam in filialibus Ecclesiis parochialibus. Causæ autem sunt locorum distantia, viarum asperitas aquarum vel nivium copia, quæ solent sæpe sæpius vel ex inopinato impedire accessum ad Ecclesiam baptismalem.

Quod de fonte baptismatis dictum est, etiam de cœmeterio repeti potest. Consonum juri est ut ille, qui consecrat vitæ initia, etiam exuvias mortales in pace Christi sepeliat. At absolute necesse non est, ut in qualibet Ecclesia parochiali adsit cœmeterium.

De muneribus parochorum.

9. Et primo quidem sermo sit de munere parochi in administratione sacramentorum. Quamvis Episcopus, si velit, possit absolute loquendo omnia sacramenta in parœcia administrare, tamen in ordine ad alios sacerdotes in parœcia degentes sacramentorum administratio reservatur parocho. *Arg. Clem. 2. De sepult. vers. In Ecclesiis,* et ex principio posito a Tridentino in *c. 13. sess. 24. De Ref.* ubi ait Conc. de Parocho: 'A quo solo (fideles) licite sacramenta suscipiant'. Hæc in genere dicta sint. Nunc aliquid dicendum est in specie. Et primum loquamur de Baptismo. Parochus est qui licite et valide confert in sua parochia sacramentum Baptismi, alii autem sacerdotes, excepto casu necessitatis, solum de ejus licentia licite baptizant. Hinc ipse parochus est proprius custos fontis baptismalis. Debet vero in peculiari libro adnotare nomina baptizatorum et eorundem patrinorum *sess. 24. cap. 2. De Ref. Matrim.*

10. 2°. De Sacramento Eucharistiæ. Non loquimur de consecratione Eucharistiæ, quæ jurisdictionem non requirit. Si sermo sit de dispensatione, hæc reservata in genere non est parochis. Simplices enim sacerdotes præsertim sacrificium Missæ celebrantes possunt quoscumque fideles aliquo impedimento non detentos ad sacram communionem admittere. Immo Trid. *sess. 22. De sacr. Miss. c. 6.* desiderat ut in Missis etiam privatis fideles communicent. Verum duo casus excipiuntur. Primo excipitur communio paschalis, quæ in Ecclesia parochiali facienda est, juxta *c. 12. De pœnit. et remiss.* Secundo excipitur delatio Eucharistiæ ad infirmos, seu viaticum, quæ delatio parochis reservatur *c. 10. De celebr. Miss.* et *Clem. 1. De privileg.*

11. 3°. De Pœnitentiæ Sacramento. Cum parochus ordinariam recipiat potestatem in foro pœnitentiali, absque speciali delegatione Episcopi sacramentum pœnitentiæ suis parochianis administrat; *c. 15. sess. 23. de Ref. in Trid.* Immo etiam iisdem petentibus administrare illud tenetur, dummodo nullo canonico impedimento ligentur. In antiqua autem disciplina expressa in *c. 12. De Pœn. et remiss.*, fideles tenebantur parocho proprio semel in anno peccata sua confiteri. Deinde autem cum præsertim ex Trid. in cit. *c. 15. sess. 23.* quisque presbyter approbatus ab Episcopo possit confessiones excipere, hinc ex consuetudine inductum est, ut quisque fidelis tam pro frequentiori quam pro annuali confessione sibi sacerdotem eligeret ex approbatis ab Episcopo. Parocho autem id proprium reservatum est ut confessiones excipere possit suorum parochianorum etiam in alia diœcesi quamvis ab Episcopo loci approbationem non acceperit. Confessionis enim exceptio inter actus voluntarios jurisdictionis recenseri potest, qui etiam extra territorium exerceri valent. Quod etiam resolutum fuisse legimus a S. Congr. Concilii in *Posnaniens. diei 19. Nov. 1707.*

12. 4°. De Sacramento extremæ unctionis. Parochus est qui valide et licite hoc sacramentum in parochia sua administrat; alius vero sacerdos non potest licite administrare nisi de parochi licentia. Immo si sacerdos regularis hoc sacramentum administrat invito vel nesciente parocho nisi muniatur privilegio ad id faciendum, incurrit excommunicationem Rom. Pontifici reservatam: *Clem. 1. De priv.* Hæc pœna renovata est in Const. *Apostolicæ Sedis sub n. 14.* inter censuras simpliciter reservatas Rom. Pontifici: 'Excommunicamus religiosos præsumentes clericis vel laicis extra casum

necessitatis sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.'

13. 5°. De Sacramento Matrimonii. In *cap. 1. sess. 24. de Ref. Matr.* Concilium Trid. constituit formam substantialem contractus matrimonialis perficiendi, et designat Parochum proprium ceu testem qualificatum, et auctorabilem, qui assistit, benedicit et solemnes reddit fidelium nuptias. Alii vero sacerdotes nonnisi ex Parochi vel ordinarii licentia matrimoniis assistere possunt. Quare in diœcesi ordinarius testis matrimonialis est 1°. Episcopus, 2°. Vicarius generalis, 3°. Parochus.

14. De parochi munere relate ad Missæ sacrificium. Quod pristina consuetudine observabatur, ut populus fidelis statutis diebus adunaretur cum Episcopo in sacris celebrandis mysteriis, deinde, facta divisione parœciarum, inductum est, ut observaretur in diebus festis cum sacerdote proprio, nempe parocho. Scilicet inductum est ut diebus festis populus ecclesiam parochialem adiret, sacrificio per parochum celebrato assisteret, prædicationem verbi Dei audiret, cognosceret jejunia servanda, et denunciationes exciperet festorum, et Episcopi mandata. Ut vero unio spiritualis major esset voluit Ecclesia, ut parochus missam pro populo celebraret. Conc. Trid. hoc officium Parochi in genere celebrandi pro populo ex divino præcepto derivat *sess. 23. c. 1. de Ref.* Illud vero determinat Bened. XIV. in Const. *Cum semper* edita *die 19. Aug. 1744* statuens officium esse Parochi ut singulis festis diebus sacrificium celebret pro populo. Ab hoc onere non excusat paupertas parochi. Sed idem Pontifex concessit Episcopis Italiæ facultatem dispensandi cum parochis pauperibus ut possint accipere stipendium pro Missa diei dominicæ sed cum onere infra hebdomadam sequentem celebrandi pro populo. Hæc insuper facultas aliis etiam Episcopis, si exposcatur, solet ab Apostolica Sede concedi.

Onus celebrandi Missam pro populo incumbit Parocho etiam in diebus festis, in quibus ex dispensatione Pontificia non amplius viget præceptum audiendi Missam; *S. Congr. in Camerin. 28. Martii 1801.*

15. Oneri ex parte parochi celebrandi pro populo respondebat obligatio fidelium assistendi Missæ proprii sacerdotis, ut satisfacerent præcepto Ecclesiæ. Et quidem adeo rigide hæc disciplina servabatur ut Parochus, antequam in diebus festivis celebraret, plebem interrogare deberet, utrum in Ecclesia adesset alienæ pa-

rochiæ fidelis qui, proprio contempto parocho ibi vellet Missam audire. Quod si adesset, ejiciendus foret *c. 2. h. t.* At ex contraria consuetudine factum est ut hodie liberum sit cuique fideli in toto orbe christiano Missam audire in qualibet publica Ecclesia tam sæculari quam regulari ad satisfaciendum præcepto auditionis Missæ. Quoad Ecclesias regulares jam fuerat concessum a Leone X. in Const. *Intelleximus diei 13. Nov. 1517.* Deinde confirmatum fuit a S. Pio V. in literis Apostolicis datis *17. Kal. Sept. 1567,* et tandem a Clem. VIII. in Brevi *'Significatum' ann. 1592.* Conferri potest Ben. XIV. in op. *De Syn. diœc. lib. XI. c. 14. n. 8.* Quo in loco etiam constituit doctissimus Pontifex opinionem aliquorum canonistarum qui arbitrabantur vigere adhuc præceptum audiendi Missam proprii parochi saltem in solemnioribus festis diebus.

Præ oculis vero haberi debet id quod tradit Trid. in *sess. 22.* in *decreto de observandis et vitandis in celebr. Miss.* Alloquens enim Episcopos ait: 'Moneant eundem populum ut frequenter ad suas parochias saltem diebus dominicis et majoribus festis accedant.'

16. De munere prædicationis. — Parochus vel per se, vel eo impedito, per alios idoneos tenetur diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebem sibi commissam pro sua, et plebis capacitate salutaribus verbis pascere. Conc. Trid. in *c. 2. sess. 5. de Ref.* Quod si Parochus ab Episcopo monitus per trium mensium spatium huic muneri suo defuerit, per censuras ecclesiasticas, vel alias pœnas ad Episcopi arbitrium cogi potest ad officium prædicationis explendum. Immo Episcopus potest, si opportunum duxerit, ex beneficii parochialis fructibus partem congruam detrahere, et alteri tradere qui munus prædicationis expleat, donec parochus resipiscat. Decreti autem hujus executio nullo modo impediri potest nec infirmari, aut suspendi sive ob consuetudinem contrariam, sive ob exemptionem parochi, vel etiam ob interpositam appellationem aut recursum. Trid. in *cit. loco* et *c. 4. sess. 24. de Ref.*

17. Porro non requiritur oratio elaborata ad formam rhetoricæ elocutionis, sed sufficit ut Parochus pascat gregem suum salutaribus verbis, prout docet Innoc. XIII. in Const. *Apostolici Muneris 13. Maji 1723.* Quam Constitutionem, quæ pro Hispania edita erat, omnibus Episcopis veluti exemplar dedit Bened. XIII. in Const. *In Supremo diei 13. Sept. 1724.*

18. Nec admittitur excusatio quod satis provisum sit per publicos annuales concionatores, aut quod exiguus sit numerus fidelium parœciæ. Hæc namque effugia excluduntur a cit. Const. Innoc. XIII. Benedictus XIV. vero in Const. *Et si minime 7. Febr. 1742* ampliavit decretum Tridentinum. In § enim *14.* statuit Pontifex ut Episcopus in Ecclesiis ruralibus etiam non parochialibus, longe a parochialibus positis decernat, etiam gravibus statutis pœnis, populum ibi edoceri debere christianæ doctrinæ elementa a sacerdotibus ibi sacra operantibus.

Urget etiam Parochum præceptum explicandi fidelibus catechismum diebus festis. S. Congr. Concilii in *Montis Felisci 8. Maji 1706* et aliis omissis in *Nullius Orbetelli 28. Aprilis 1736.*

Titulus XXX.

De decimis, primitiis et oblationibus.

1. Decimæ possunt accipi objective et formaliter. Objective definiri possunt 'pars decima omnium fructuum juste quæsitorum ministris ecclesiæ quotannis solvenda ratione sacri ministerii pro eorundem sustentatione'. Ita Hostiensis in summa hujus tit. Formaliter vero seu juridice inspectæ decimæ sunt 'jus petendi partem decimam ex fructibus omnibus juste acquisitis competens ministris Ecclesiæ propter ministerium spirituale.'

2. Quæstio proponitur a DD. quo jure decimæ solvendæ sunt? Ipsum factum immutationis substantialis in materia decimarum satis ostendit earundem institutionem esse juris ecclesiastici, et pertinere ad mutabilem disciplinam. At plura loca juris decimas ad divinam institutionem referunt, et earum solutionem divino præcepto adscribunt. Ita præsertim Alex. III. in *c. 14. h. t.* et Innocent. III. in *capp. 25., 26. et 33. h. t.* Ad rei intelligentiam sequens animadversio facienda est. In Vet. Test. divina lex expressa *Numeror. et Deut. c. 18.* jubebat, levitis, quibus non fuerat portio terræ tributa, a ceteris tribubus solvendam esse decimam partem fructuum ad vitam honeste sustentandam. Cum legalia Vet. Test. cessaverint ex promulgatione Novi, et præsertim hac in re, cum non amplius ex una gente vel populo debeant eligi sacrorum ministri, dici amplius non potest vigere adhuc præceptum divinum Vet. Test. obligans fideles ad solutionem decimarum. In novo autem Testamento renovatum fuisse non legimus.

3. Verum in ipsa institutione decimarum V. T. reperitur elementum, quod perpetuum dici debet, ut scilicet sacrorum ministri alerentur a populo, quæcumque tandem sit ratio subministrandi alimenta. Hanc partem divini præcepti renovatam fuisse deprehendimus in Novo Test. præsertim *Matth. 10.* 'Dignus est operarius mercede sua' et in *1. Cor. c. 9. vv. 7., 11., 17.* Quare adhuc viget divinum præceptum quo fideles tenentur suppeditare temporalia et necessaria ad congruam sustentationem ministris sacris a quibus spiritualia recipiunt, quique divinis mancipati servitiis a curis sæcularibus exempti esse debent.

4. Indifferens est utrum fideles huic oneri satisfaciant, vel concessione prædiorum, et præbendarum vel oblationum et portionis fructuum, et obventionum. Apostoli oblationes a fidelibus excipiebant. Successivis temporibus cum Ecclesiæ possiderent jam bona immobilia, istis imparibus ad honeste sustentandos ministros, adhuc mos perduravit exposcendi a fidelibus oblationes. Cum vero ob imminutum charitatis fervorem oblationes deficerent, necesse fuit lege peculiari has oblationes præcipere. Ne autem esset indeterminata obligatio placuit Ecclesiæ normam sequi in Vet. Test. constitutam, qua decima pars fructuum solvenda erat. Quare lex obligans ad decimarum solutionem in sua forma specifica est lex ecclesiastica. Verum duplici ex respectu decimarum præceptum dici potest divino ex jure procedere: 1°. Quia ex jure divino derivat præceptum tribuendi in genere ministris honestam sustentationem quæ post institutas decimas in Ecclesia præstatur per earundem solutionem. Unde Glossa in *c. 25. v. Divina h. t.* explicans illud *divina constitutione* scribit: 'Quia debent esse cibus in domo domini'. 2°. Quia instituta mensura seu quantitas oblationum solvendarum Ecclesiæ in decima parte fructuum dici potest inducta esse ad imitationem disciplinæ Veteris Testamenti.

De divisione decimarum.

5. Claritatis causa animadvertimus aliquibus in locis solutionem decimæ partis fructuum repræsentare jus condominii Ecclesiæ in fundo. Id autem verificatur si fundus Ecclesiæ datus fuerit in emphyteusim sub ea conditione ut emphyteuta solveret canonem in decima parte fructuum. Decimæ hujusmodi, ut quisque videt, solvuntur titulo civili in repræsentationem juris realis, quod habet Ecclesia, non autem titulo Sacramentorum. Igitur decimæ hujus-

modi dici non possunt sacramentales. Nos loquimur de decimis sacramentalibus.

6. 1°. Aliæ sunt *personales* aliæ *reales*. Reales, quæ etiam prædiales dicuntur, sunt quæ solvuntur ex fructibus prædiorum, quos vel natura sua, vel cooperante industria, et labore hominis prædia referunt. Personales illæ sunt, quæ solvuntur ex obventionibus acquisitis ex sola industria et labore personæ. Ex. gr. ex lucro quod personæ acquirunt ex negotiatione, artificio etc.

7. Reales penduntur a possessore fundi quicumque ille sit, et dividuntur 1°. in *majores et minutas*. Majores sunt quæ solvuntur ex fructibus, qui in agris majoris momenti et quantitatis solent esse ex. gr. ex frumento, vino, oleo etc. Minutæ solvuntur ex fructibus qui exigui esse solent ex. gr. herbis, pomis, lana etc. 2°. Dividuntur in *antiquas et novales*. Antiquæ solvuntur ex fructibus fundi qui jam colebatur; novales, quæ ex terris nuper ad culturam redactis, ex. gr. si palude exsiccata, agri fiant, vel si fundus ab hominum memoria sterilis nunc incipit excoli et fructificare.

8. Quæritur de quibus rebus decimæ solvendæ sint.

In *c. 23. h. t.* decernitur: 'Fidelis homo de omnibus, quæ licite acquirere potest, decimas erogare tenetur'. Concordat *c. 22. et 26. eod.* Et quidem solvendæ sunt decimæ non solum de terris ad culturam redactis sed etiam de novalibus *c. 29. h. t.* Pariter de omnibus proventibus molendinorum, piscationum etc. *c. 5. eod.* necnon de negotio, artificio *can. 66. c. 16. q. 1.* Excipiuntur res et fructus injuste acquisiti; ex hisce enim Ecclesia decimas non recipit, ne videatur participare de pretio criminis et injustitiæ; argumento a sensu contrario *c. 23. h. t.* et *can. 27. c. 1. q. 1.* Quod si vero fundus fuerit per injuriam occupatus, usurpator tenetur decimas præstare arg. *c. 16. h. t.* Nam decimæ prædiales fundo inhærent, qui fundus censetur Ecclesiæ obligatus. Hinc non ex injusta actione hominis, sed potius ex fructibus terræ quæ donum Dei est *c. 26. h. t.*

Animadvertendum autem est decimas reales solvendas esse non deductis, seu non computatis expensis pro cultura et tributis. Debetur enim decima pars fructuum telluris *c. 33. h. t.* Doctores vero communiter tradunt decimas personales solvendas esse deductis expensis. Personales enim decimæ fructibus civilibus æquiparantur, qui computantur post deductas expensas, et onera *l. 1. ff. soluto matr.*

Cuinam decimæ solvantur.

9. Decimæ ab Ecclesia statutæ sunt, ut solvantur clericis spiritualia populo ministrantibus. Quare ille jus habebit decimas percipiendi, cui ex officio incumbit onus sacramenta et alia spiritualia populo ministrandi. Facta igitur divisione diœcesis in parœcias, Parochus est cui solvendæ sunt decimæ *c. 29. h. t.* et pariter *c. 31. h. t.* Quare juxta canonistas Ecclesia parochialis de jure communi fundat intentionem in perceptione decimarum prædialium ex fructibus qui colliguntur intra limites parochiæ suæ. Ita Fagn. ad *c. 29. h. t. n. 21.* Immo Canonistæ allatis decisionibus S. Rotæ docent, parochum habere intentionem fundatam in jure quoad perceptionem decimarum etiam contra ipsum Episcopum.

10. Verum cum Episcopus sit princeps pastor suæ diœceseos, a quo vel indirecte et mediate, vel directe et immediate fideles spiritualia recipiunt, hinc sacri canones eidem reservarunt quartam partem decimarum uniuscujusque parochiæ *c. 13. h. t.* Verum hoc jus Episcopo a parocho præscribi potest quadragenaria præscriptione *c. 4. De præscr.*

11. Quod si parochus contra Episcopum quoad jus decimarum percipiendarum fundatam habeat intentionem in jure, a fortiori illam habere debet contra alios clericos diœceseos, et parochiæ. Ex quo patet cur in *c. 2. De rest. spoliat. in 6°*. Bonifacius VIII. canonicis, qui pro aliquo tempore in aliqua parochia decimas perceperant, et fuerunt hoc jure spoliati a Parocho, denegavit restitutionem contra illam spoliationem, et statuit canonicos demonstrare debere evidenter legitimitatem tituli sui. Scilicet restitutio contra spolium non conceditur ante judicium in merito, quoties spolians intentionem fundatam habet in jure. Et hoc in casu tenetur spoliatus probare valorem juridicum tituli possessionis suæ. Quare in specie nostra reliqui clerici, ut percipiant decimas in parochia, debent habere aliquem titulum peculiarem.

12. Hujusmodi tituli possunt esse 1°. privilegium Apostolicum *c. 2. h. t. in 6°*., 2°. transactio *c. 3. et 9. h. t.* Hæc vero transactio fieri debet ad formam juris seu cum solemnitatibus juris, nec jus decimandi loco pretii venire debet *sess. 6. c. 4. de Ref. in Trid.* 3°. Permutatio pariter legitime facta *c. 6. et ult. De rerum permut.* 4°. Præscriptio quæ, si habeat titulum, qui causam dedit possessioni, sufficit ut sit quadragenaria; si titulo careat, requiritur ut sit immemorialis.

13. Porro jus percipiendi decimas contra Parochum non extenditur ad novalia *c. 29. h. t. et c. 2. in fin. eod. in 6°*. Quod si alicui conventui concessum sit privilegium percipiendi decimas ex agro novali, de illo agro dumtaxat indultum intelligendum est. *c. 21. De Verb. signific.*

14. Si tandem sermo sit de laicis ipsi nunquam præscribere possunt contra parochum jus decimandi. At potest laicus homo ex privilegio pontificio jus decimandi obtinere, et ad tempus potest etiam ex Episcopi concessione. Afferri possunt *c. 25.* ubi supponitur decimas laicis olim in feudum dari potuisse, et *c. 19. h. t.* ubi laici dicuntur decimas sibi concessas illicite possidere et *c. 15. h. t.* ubi prælati qui decimas laicis concedunt vehementer increpantur. Quod vero ad tempus possint prælati decimandi jus concedere laicis patet ex principiis generalibus expositis in titulo *De donationibus* et in tit. *De locato et conducto.* Ut vero res intelligatur, jus decimandi potest considerari sub duplici respectu. 1°. Quatenus est jus spirituale adnexum, vel ordinatum præcise ad officium ministerii spiritualis, seu quatenus decimæ penduntur personis determinatis ministrantibus spiritualia. Hoc in sensu nullo modo potest laicis jus decimandi competere. 2°. Decimæ considerari possunt ceu pars patrimonii Ecclesiæ, ceu bona temporalia Ecclesiæ, quæ comparari possunt præbendis beneficialibus. Hoc sub adspectu in genere laicis competere non possunt quia destinantur Clericis *c. 26. h. t.* At ex privilegio Pontificis concedi possunt laicis præsertim in feudum, et ad tempus etiam ab Episcopo.

De personis, quæ decimas solvere tenentur.

15. Si de personalibus sermo sit, eas solvere tenentur omnes, qui jus habent percipiendi a Parocho suo spiritualia. Hinc eas non solvunt infideles et Judæi quia nullo spirituali jure potiuntur. Hæretici autem summo jure tenerentur decimas solvere, quia ingressi Ecclesiam per baptismum jus haberent percipiendi spiritualia, quod si ea non percipiunt, ex eorum facto provenit. Verum ex quo hæretici peculiares societates constituunt distinctas ab Ecclesia catholica, in negotio salutis censentur aberrare, et quoad spiritualium perceptionem infidelibus comparari possunt. Decimas ergo solvere non tenentur.

Etiam pro catholicis potest esse ratio exemptionis a decimis personalibus. Ita clerici et religiosi parocho loci decimas perso-

nales non solvunt. Levita enim levitæ non decimat *c. 2. h. t.* Consortes enim censentur esse clerici, et religiosi una cum parocho in ministerio. 2°. Etiam privilegium Summi Pontificis potest aliquem fidelem eximere ab onere solvendi decimas personales. 3°. Consuetudo quæ cum titulo sufficit ut sit 40 ann. si absque titulo necesse est ut sit immemorialis. Et revera consuetudine inductum est ut hæ decimæ amplius non solvantur.

16. Reales decimæ solvuntur ab omnibus qui prædia possident juri decimandi obnoxia. Hinc etiam Judæi et infideles vel hæretici ad quos pervenerunt hæc prædia tenentur decimas solvere; *c. 18. De usuris* et *c. 16. h. t.* Ratio est quia secus Ecclesia fraudaretur jure suo. Nec illis infertur injuria, nam terra decimarum solutioni obnoxia tanti minoris æstimabatur, et pro ea inferius pretium impenderunt ut acquirerent. Easdem decimas solvere tenentur domini prædiorum licet alibi domicilium fixerint: *c. fin. De paroch. et alien. paroch. c. 1. De præscript. in 6°.* et *c. 2. De rest. spol. in 6°.*, nisi contraria adsit consuetudo *c. 18. et 20. h. t.* Qua in re etiam animadverti potest in erectione novæ parochiæ intra limites alterius posse reservari jus decimandi in favorem Ecclesiæ matricis, saltem in parte, idest constituta prius rectori Ecclesiæ filialis congrua portione. Ex quo contingere potest ut bona existentia intra fines novæ parochiæ maneant obligata Parocho veteris parœciæ seu Ecclesiæ matricis. Quæ œconomiæ ratio observanda præcipitur in *can. 44. caus. 16. q. 1.* ne Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam perdant, ut insinuatur in ipso Trid. *sess. 21. c. 4. de Ref.* ubi decernitur solummodo ut novo Parocho adsignetur congrua portio ex fructibus antiquæ Ecclesiæ quomodocumque pertinentibus.

17. Quid vero dicendum de Clericis?

Certe hi tenentur decimas solvere de bonis patrimonialibus, seu quæ titulo civili possident. Cadunt enim hæc bona sub dispositione *cc. 23. 24. h. t.* Pariter tenentur decimas solvere de bonis quæ antea decimarum solutioni subjiciebantur et deinde in dotem beneficii transierunt *can. 43. caus. 16. q. 1.* Res enim transeunt cum onere suo *c. 33. h. t.*

At si sermo sit de bonis quæ clericus possidet titulo beneficii, quæque antea subjecta non erant oneri solvendarum decimarum de illis decimas solvere non debet. Hæc conclusio infertur ex *c. 2. h. t.* in quo, ne contradictio admittatur, dicendum est cum Glossa,

et communi doctorum sententia, præcipere caput solutionem decimarum a clericis faciendam de bonis patrimonialibus, seu titulo civili possessis, non vero de bonis ecclesiasticis. Quoad enim ista bona verificaretur absurdum quod Levita decimas solveret Levitæ, seu Ecclesia Ecclesiæ, sacrum ministerium alteri ministerio sacro. Hanc insuper distinctionem inter bona patrimonialia et beneficialia quoad onus decimas solvendi adoptavit per juridicam interpretationem S. Congreg. Conc. in *Marsicana 12. Aug. 1631* et in *Uggelensi Decimarum 11. Maji 1658* et aliis omissis in *Hortana decimarum 25. Sept. 1694.*

18. Si de regularibus sermo sit variæ adsunt decisiones in decretalibus Gregorii tum quoad fundos ab antiquo possessos, tum quoad prædia exculta ab antiquo, tum quoad novalia: tandem tum quoad prædia exculta ab ipsis religiosis, tum quoad ea quæ aliis excolenda tradunt. Cf. *c. 10., 11. c. 12. c. 34. h. t. c. 4. eod. in 6.* § *Cæterum* necnon *c. 21. De Verb. sign.* Hisce capitibus juris adjungenda est resolutio S. Congr. Conc. in causa Pampilonensi decimarum *diei 31. Augusti 1728* in qua declaravit: 'Regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem cap. *Nuper 34.* teneri solvere integras decimas exceptis bonis, et rebus præscriptis in cap. *Ex parte X. De decimis.*'

Ex hisce colligitur omnes regulares esse exemptos ab onere solvendi decimas tam personales, quam reales quæ præstari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, et novalium, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus excolunt; de quibus sermo est in cap. *Ex parte X. h. t.* solvere vero debere decimas de fundis decimalibus, qui ad eos cum tali onere pervenerunt, nisi speciali privilegio eximantur.

De pœnis statutis contra non solventes decimas.

19. 1°. Ex *capp. 5., 21. et 26. h. t.* et ex Trid. *sess. 25. c. 12. de Ref.* præter grave peccatum decimas non solventes subjiciuntur excommunicationi ferendæ sententiæ, a qua non possunt absolvi nisi plene satisfecerint. 2°. Ex *c. 19. h. t.* privantur ecclesiastica sepultura. 3°. In *c. 1. h. t. in 6°.* regularibus præcipitur ne retrahant fideles a solutione decimarum. Cui constitutioni inhærens Clem. V. in *c. 3. De pœnis, in Clementinis* statuit, regulares, qui in sermonibus suis nempe publicis, vel alibi aliquid proferre præsumpserint ut retrahant alios a solutione decimarum excommunicationem ipso

facto incurrere. At hæc excommunicatio non fuit renovata in Const. *'Apostolicæ Sedis'*. 4°. In *Clem. 1ª. h. t.* regulares usurpantes vel impedientes decimas debitas ecclesiis, suspenduntur ab officiis, administrationibus, et beneficiis quæ possideant, quod si nihil horum habeant, excommunicantur, si intra duos menses iisdem Ecclesiis non satisfecerint. Porro suspensio, de qua in hac decretali, juxta doctores intelligitur ab administratione rerum temporalium, non autem a divinis.

20. Si decimæ denegentur potest decimator agere in petitorio actione confessoria, qua a judice exposcit declarari sibi jus decimandi competere. Ita Glos. in *c. 26. h. t.* Si vero quæstio sit in possessorio, utrum nempe decimator possideat jus decimandi necne, tunc poterit agere remedio adipiscendæ, vel retinendæ possessionis. Primum judicium cum totum versetur circa jus spirituale est exclusivum tribunalis ecclesiastici arg. *c. 25. h. t. et c. fin. De rerum permut.* Secundum vero seu judicium in possessorio, cum possessio juris sit res temporalis, poterit etiam pertinere ad laicum judicem, cum videlicet reus erit laica persona.

De primitiis.

21. Primitiæ sunt primi fructus. De primitiis sermo est in lib. *Exod. 23., Deuter. 26. et Num. 18.* Ex *c. 1. h. t.* et Glossa ibi in Ecclesia instituta est praxis solvendi Ecclesiæ primitias, quæ comprehendunt non solum primos fructus agrorum et animalium in anno, sed etiam primos fructus agri novalis. Porro nomine primitiarum solvendarum Ecclesiæ venit certa portio ex fructibus agrorum, quæ non excedit quadragesimam partem ipsorum fructuum. In animalibus vero ipsum primogenitum animal non in natura, sed ejus æstimatio præstanda est in portione quæ major non sit quadragesima. Si primitiæ solvantur Ecclesiæ parochiali, parochus est, qui exclusive ad alios sacerdotes facit suas. Si solvantur aliis Ecclesiis cedunt ipsis Ecclesiis. In genere præsumitur primitias Parocho solvi debere. At fere ubique in desuetudinem abiere.

De oblationibus.

22. Oblationis nomine venit quidquid Ecclesiæ offertur causa religionis.

Oblationes per se inspectæ non cadunt sub ullo jure sive divino sive humano. At ex lege testamentaria aut ex consuetudine,

præsertim in defectu honestæ sustentationis ministrorum fieri potest ut certis anni temporibus fideles teneantur oblationes Ecclesiæ præstare. Cavendum vero est præsertim in usu sacramentalium, in benedicendis agris vel domibus aqua lustrali, ne exigantur oblationes ceu correspectivum benedictionis.

23. Si quæratur cuinam cedant oblationes, dicendum est de jure communi oblationes quæ fiunt intra limites parœciæ, sive in Ecclesia parochiali, sive in oratorio privato, vel alicui imagini pertinere ad Parochum loci. Ipse enim habet fundatam intentionem in jure. Ita communiter Doctores. At hac in re notanda sunt: 1°. Principium superius allatum locum habuisse in tota sua extensione cum vigebat usus decimarum. Hodie autem præsertim locorum consuetudines attendendæ, quibus consuetudinibus inductum est ut oblationes oratoriis, vel locis piis factæ administrentur ab illis quibus commissa est loci cura sub Episcopi auctoritate, vel saltem vigilantia. Qua in re præ oculis haberi debet decretum urbis et orbis S. Congreg. Rituum 1703 edit. circa jura parochialia, et præeminentias inter Parochos, et confraternitates laicorum, eorumque Capellanos. In dubio 28. decreti cum quæreretur an possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, et eleemosynarum in sæpe dictis Ecclesiis (confraternitatum) collectarum vel capsulæ pro illis excipiendis expositæ clavem retinere, responsum est negative. 2°. Præcipue attendenda est intentio fidelium offerentium.

24. Ecclesia non a quibuscumque recipit oblationes: 1°. non recipit oblationes in Ecclesia, vel ad altare a non baptizatis, et ab aliis qui a communione præcisi sunt. 2°. Ab usurariis *c. 3. De usuris.* 3°. A raptoribus *c. 2. De raptoribus.* 4°. Ab oppressoribus pauperum *can. 2. Dist. 89.* 5°. A sacrilegis *can. 12. c. 17. q. 2.* 6°. A publicis pœnitentibus ne videatur ratione oblationis Ecclesia remittere pœnam *can. 118. Dist. 3. De consecrat.* 7°. Etiam a publicis peccatoribus, in pœnam criminis et scandali.

Titulus XXXI.

De regularibus et transeuntibus ad religionem.

1. Antiquissimi sunt in Ecclesia cœtus personarum, quæ ex professo quasdam virtutes exercent, et perfectioni vitæ spiritualis insistunt. Cœtus isti dicuntur vivere in statu regulari. Cum per-

sonæ in hoc statu viventes consiliorum evangelicorum observantiam spondeant visum est aliquibus posse juri divino tribui hunc statum. At revera quamvis in statu regulari locum habeant præcipuum tria evangelica vota, tamen status ipse prout specifice determinatur in hodierna disciplina ab ecclesiastica institutione repetendus est et juris est ecclesiastici. Et definitur 'Stabilis in communi vivendi modus fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium ab Ecclesia approbatus, editis votis perpetuæ obedientiæ, paupertatis, et castitatis'. Ex hac definitione descendit ad statum religiosum constituendum requiri 1°. stabilitatem seu permanentem immo perpetuam conditionem a fideli susceptam per liberam professionem in religiosa communitate, quæ libera professio inducat veram obligationem personalem.

2. 2°. Tria vota perpetua castitatis etc. Hæc tria vota dicuntur substantialia status religiosi tum quia ex evangelica præscriptione sunt media ut pertingat homo ad culmen christianæ perfectionis pro qua institutæ sunt regularium familiæ, tum quia hisce tribus votis potest etiam aliud votum accedere.

3. 3°. Requiritur approbatio Ecclesiæ quæ judicio suo cognoscat de qualitate regulæ propositæ utrum revera ad scopum perfectionis dirigere valeat. Antiquitus regulæ religiosarum familiarum ab ordinariis locorum probabantur cum consensu Romani Pontificis, vel tacito, vel præsumpto. Deinde cum multiplicitas religionum confusionem induceret in Ecclesia, factum est ut Innocent. III. in Conc. Later. IV. ad judicium S. Sedis reservaverit approbationem ordinum regularium *c. ult. De relig. domib.* Concordat *cap. un. De voto in 6°*. Hinc approbatio hujusmodi cœpit adnumerari inter causas majores, quæ ex dispositione *c. 3. De Bapt. (42. lib. III.)* reservantur Rom. Pontifici decernendæ.

4. Ex *cap. un. De voto in 6°*. deprehendimus vota alia esse solemnia, alia vero simplicia, et solemnitatem non esse aliquid intrinsecum ipsi voto idest aliquid dependens ab ipso vovente, sed aliquid super additum ab extrinseco. Scilicet solemnitas voti inducta est ab Ecclesia, quæ religionem approbat, agnoscens regulam religionis illius esse medium perfectionis assequendæ. Solemnitas vero voti efficit ut actus qui contra votum simplex esset solummodo illicitus, contra votum solemne sit etiam invalidus. Antiquitus cum nulla esset religio approbata quin vota haberet solemnia, hinc ipsa simplex approbatio inducebat solemnitatem votorum.

5. At primo factum est a Gregorio XIII. in Bulla *Ascendente Domino* ut pro Societate Jesu statueret, vota simplicia alumnorum societatis matrimonium dirimere, quoadusque iidem alumni in societate manerent. Exinde principium quod antea valebat: extra religionem non adest votum solemne, sed votum solemne est quod emittitur in religione approbata, aliquam mutationem passum est, et in hoc aliud conversum est: 'Votum solemne est quod emittitur in religione approbata a S. Sede cum solemnitate votorum'. Et exinde inceperunt existere religiones approbatæ ab Apostolica Sede absque solemnitate votorum.

De ingressu in religionem.

6. Loquimur de ingressu tantum, deinde de professione. Pro ingressu ætas determinata non est. Sufficit vero ætas pubertatis *cap. 8. et c. 12. h. t.* et quoad mulieres Trid. *sess. 25. De Reg. c. 17.* Et ratio est quia hæc ætas necessaria ad sufficientem discretionem habendam, et sufficiens reputatur, ut persona indolem status regularis cognoscat, et proprias vires cum rigore ejusdem comparet. Hinc quicumque in ætate pubertatis constituti nullo impedimento detinentur, ingredi religionem possunt. At 1°. Episcopi sine Pontificis consensu non possunt ingredi religionem *c. 10. De renunc.* 2°. Conjuges post matrimonium consummatum *c. 3. et 13. De convers. conjug.* nisi quibusdam positis conditionibus, de quibus infra in cit. *tit. De conversione conjug.* 3°. Servi sine domini licentia. *arg. can. fin. caus. 17. q. 2. et can. 12. caus. 16. q. 1.* Quibus adhærent Constitutiones Sixti V. *‚Cum de omnibus'* editæ *Kal. Dec. 1587* et instructio edita jussu Clementis VIII. die *19. Martii 1603.* 4°. Obligati ad ratiocinia, seu qui debent adhuc reddere rationem administrationis rerum alienarum *c. 1. Dist. 63. et Constit. Sixti V.* et Clem. VIII. cit. Ex quibus constitutionibus excluduntur etiam 5°. nimium ære alieno gravati, et 6°. infames et 7°. tandem corpore vitiati.

7. In hodierna autem disciplina præ oculis habenda sunt duo decreta Summi Pontificis Pii IX. s. mem. Primum decretum incipit *Romani Pontifices,* secundum vero incipit *Regulari disciplinæ.* Utrumque editum fuit *die 25. Jan. 1848.*

In primo statuit Pontifex in quovis ordine, vel societate, vel congregatione, instituto aut monasterio, sive habeat vota solemnia, sive habeat solummodo simplicia, nullum esse admittendum ad ha-

bitum religiosum suscipiendum nisi antea muniatur, et præsentet literas testimoniales Ordinarii originis, et ordinarii loci illius in quo per annum post decimum quintum annum completum commoratus fuerit. Ordinarii etiam per secretas informationes tenentur in conscientia omnia diligenter inquirere, et exponere tum de natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, et scientia illius, qui expostulat ingredi religionem.

8. Secundum decretum duplici constat parte. In prima parte præscribitur modus observandus in approbatione, et acceptatione novitii ad habitum suscipiendum. Modus hic consistit in duplici præsertim scrutinio. Primum scrutinium perficiendum est in Provincia, in qua fidelis homo expostulat habitum religiosum. Perficitur vero a Provinciali et a septem aliis idoneis religiosis, in capitulo provinciali electis, qui examini subjiciant postulantem et documenta expendant, et per secreta suffragia judicent an dignus sit qui in religionem recipiatur. Unum supra medietatem suffragiorum requiritur ut postulans probatus habeatur. Secundum scrutinium Romæ faciendum est a Superiore generali totius ordinis, vel a procuratore generali Romæ commorante, quoties superior generalis ibidem non resideat, et saltem ab aliis tribus generalibus examinatoribus. Quare documenta et examen in primo scrutinio habitum in forma authentica Romam transmittenda sunt. Quod si tres examinatores nec Romæ commorantur, nec Romam commode vocari possunt, eadem acta seu documenta transmittenda sunt ad Superiorem generalem etsi alibi moretur. Insuper præter utrumque scrutinium servanda sunt, quæ a Constitutionibus particularibus cujusque ordinis religiosi statuta sunt. Ille habitum religiosum suscipere poterit qui in utroque scrutinio, et juxta legem peculiarem ordinis fuerit probatus.

9. Altera pars decreti inscribitur *De lege servanda in admittendis Novitiis ad professionem.* Summa dispositionum hæc est: Provincialis, vel si in religione non adsit Provincialis, Superior domus novitiatus duobus mensibus ante professionem, audita relatione Magistri novitiorum, vel per se, vel per idoneum religiosum interrogare debet Novitium de voluntate profitendi, de spiritu, quo ducitur, de indole regulæ instituti. Deinde auditis singillatim religiosis in domo novitiatus commorantibus, convocare debet capitulum ejusdem domus, et exquirere debet sententiam capitularium. Deinde provincialis sententiam capituli communicare

debet tribus examinatoribus qui judicent cum Magistro Novitiorum utrum dignus sit Novitius, qui ad professionem admittatur. Tandem provincialis de omnibus instructum reddere debet superiorem generalem, qui, captis etiam aliis informationibus, approbationem datam ab examinatoribus revocet vel confirmet. Insuper ea omnia observanda sunt, quæ ab Instituti religiosi Constitutionibus requiruntur.

10. Ingressus in religionem proprie regularem non facit, sed Novitium. Novitii autem ex stricta obligatione non tenentur ad tria vota observanda, nec ad observanda alia præcepta vel statuta regulæ familiæ religiosæ, sed solum, ut ajunt, ex honestate et decentia omnibus religionis privilegiis fruuntur. Libere vero possunt ad statum sæcularem remeare.

De professione religiosa.

11. Professio est, quæ hominem religiosum facit. Definitur autem: 'Libera et solemnis promissio qua homo fidelis religiosum statum firmiter assumit, religione per suum prælatum expresse, vel tacite approbante, et acceptante'.

12. Libera debet esse professio seu ex libero consensu personæ profitentis procedere debet. Quare si emittatur professio ex metu gravi, seu qui cadat in virum constantem, et sit externe, injuste et directe incussus, ipsa professio invalida est *c. 1. De his quæ vis metusque causa fiunt.* Cui concordat Conc. Trid. *sess. 25. c. 19. De regularibus.* Quare in professione religiosa quemadmodum in contractu matrimonii non valet principium, actus positi sub metu gravi validi sunt, sed rescinduntur ad querelam partis læsæ. In genere comminatio damni gravis sive contra personam, sive contra honorem sive contra patrimonium habetur ceu causa metus gravis; solet enim etiam in viro constanti hæc comminatio inducere mentis trepidationem, et auferre illam consilii tranquillitatem et maturitatem quæ tantopere necessaria est in suscipienda gravi perpetuaque obligatione status religiosi. Pro tutanda libertate professionis in mulieribus attendenda est dispositio Trid. *c. 17. sess. 25. De Reg.* Statuit Tridentinum ut puella professionem non emittat priusquam Episcopus, vel eo absente aut impedito ejus Vicarius, aut aliquis alius eorum sumptibus ab eis deputatus exploraverit diligenter voluntatem virginis, an coacta vel seducta fuerit, an sciat quid agat. Ne autem Episcopus ignoret tempus professionis præfecta Monasterii

eum ante mensem certiorem reddere tenetur. Quod si non fecerit ab officio suspensa maneat quamdiu Episcopo videbitur. Hæc porro non ad validitatem professionis sed ad honestatem requiruntur. Ex resolut. S. Congreg. Conc. in *Suessonens. diei 16. Sept. 1662.* et ex aliis ad Episcopum pertinet explorare voluntatem virginum etiam in monasteriis exemptis.

13. 2°. Professio est actus solemnis; idest emissus in forma propria cujuscumque religionis approbatæ. At antiquo jure professio alia fuit *expressa* seu solemnis, alia *tacita*. De tacita professione loquuntur plura capita juris. Ita *cc. 4., 8., 9., 20., 22. et 23. h. t.* Pariter *cc. 2., 3. et 4. h. t. in 6°*. Necnon *Clem. 2. eod.* Ex quibus capitibus infertur tacitam professionem jure canonico agnitam fuisse uti validam quoties factum aliquod verificaretur, quod simul revelabat voluntatem determinatam fidelis assumendi in perpetuum statum religiosum, et consensum communitatis acceptantis eundem in fratrem. Quare inducebatur tacita professio 1. quoties aliquis non contradicente communitate in ætate pubertatis constitutus habitum novitiorum, non distinctum tamen colore, scissura vel forma ab habitu professorum, sponte per annum gestavisset, et actibus propriis religiosorum professorum se ingessisset; 2°. si ante annum completum probationis suscepisset habitum proprium religiosorum professorum, et per triduum gestavisset. Hæc vero differentia erat, ut tacita professio intra annum probationis obligaret solummodo professum alicui religioni in genere: tacita autem professio post annum completum novitiatus, obligaret professum religioni in qua facta fuerat professio.

14. Quæsitum est a Doctoribus an tacita professio abrogata fuerit a Tridentino in *c. 15. sess. 25. De reg.* ex quo statuitur in quacumque religione tam virorum quam mulierum professionem esse nullam nisi fiat anno ætatis 16. completo, et post annum integrum probationis, computandum ab habitus religiosi susceptione. Communiter DD. inter quos Fagnanus comm. ad *c. 8. h. t.* tenent tacitam professionem etiam post Trid. dispositionem valere dummodo serventur conditiones a Concilio l. c. adsignatæ. Ita etiam declaravit S. Congregatio Concilii in *Cremonensi 1578.* Hinc inferunt DD. post Tridentinum valere tacitam professionem quoties post integrum annum probationis cum religionis habitu peractæ, et post expletum annum 16. ætatis a novitio actus illi perficiuntur qui inducant tacitam professionem atque vicissim a religione actus

illi acceptantur. Hinc quoad habitus gestationem, cum ante annum 16. et ante annum probationis non possit habere locum professio, concludunt habitus gestationem tacitam inducere professionem, si per alium annum idest si ad totum annum 17. gestatur habitus communis religionis. Quod si habitus novitiorum sit extrinsece distinctus ab habitu professorum, ajunt hoc in casu valere dispositionem *c. 8. h. t.* Quod nempe ad inducendam tacitam professionem sufficiat post annum probationis et annum 16. assumere habitum professorum illumque ad triduum gestare.

15. In hac vero re recenter quoad viros disciplina mutata est a Pio IX. s. mem. in citatis decretis Sacræ Congregationis super Statum Regularium *'Romani Pontifices'* et *'Regulari disciplinæ'* editis die *25. Jan. 1848*, necnon in Literis Encyclicis ejusdem S. Congr. diei *18. Martii 1857*, et magis expresse in declarationibus datis ab eodem Summo Pontifice die *12. Jan. 1858 sub n. XI.* Ex hisce locis patet vota solemnia emitti debere in institutis religiosis virorum per solemnem professionem, et ideo professionem tacitam pro viris omnino abrogatam esse.

Nunc de requisitis ad professionem emittendam.

16. Jure decretalium aliquod requisitum erat solum necessarium pro licita professione non autem pro valida. Ita annus novitiatus ex *c. 16. h. t.* non erat ita necessarius, ut absque eo non teneret professio. Annus enim novitiatus consideratus est ceu tempus quo novitius experiretur qualitatem, et rigorem vitæ regularis, et vicissim religio cognosceret Novitii personam. Utrinque vero renuntiari poterat juri proprio. Ita in *c. 16. h. t.* et clarius in *c. 23. eod.* At Trid. in c. *15. sess. 25. De Regul.* 1°. quoad ipsum novitiatum decernit, in quacumque religione tam virorum, quam mulierum nullum esse admittendum, qui minore tempore quam per annum integrum post susceptum habitum steterit in probatione. Quodsi secus fiat decernit Trid. professionem esse nullam, nullam obligationem inducere, nullumque producere effectum. Ergo annus novitiatus non ad honestatem, sed ad validitatem professionis pertinet.

17. Annus vero hic probationis debet esse 1°. integer de die ad diem, immo de hora ad horam, ex resolutione S. Congr. Conc. *diei 1. Febr. 1631.* Hinc nulla declaranda est professio in qua defuit modicum tempus, idest etiam spatium duarum horarum. Eadem Congr. ita resolvit *die 21. Januarii 1617.* In anno autem

bissextili etiam dies quæ superest computatur. Ita S. Congregatio in Patavina *diei 5. Julii 1617.* 2°. Annus debet esse continuus, et non interruptus. Quod satis indicat Tridentinum per ea verba *per annum steterit.* Hinc teste Fagn. *comm. in c. 16. h. t.* omnes canonistæ scribentes de hac re tenent nullam esse professionem si annus probationis fuerit interruptus. Hæc vero interruptio vitiat professionem etiamsi ad modicum tempus locum habuerit. Immo teste Fagn. in *c. Insinuante. Qui Clerici n. 36.* S. Congr. nullam declaravit professionem emissam post annum novitiatus interrupti duarum horarum spatio. Quare qui novitiatum reliquit debet iterum probationem incipere, et per integrum annum in eadem perseverare nisi super defectus novitiatus dispensationem ab Apostolica Sede fuerit assecutus. 3°. Debet probatio fieri in habitu religionis, ita ut computetur annus ab epocha susceptionis habitus. 4°. Debet fieri probatio in monasteriis et locis pro novitiatu designatis ex decretis Clem. VIII. *'Regularis disciplinæ' 12. Martii 1596*, et *'Sanctissimus' 20. Junii 1599.* Quæ decreta pro Monasteriis Italiæ et insularum adjacentium lata, nec omnes ordines regulares respicientia ab Urbano VIII. Const. *'Sacra Congregatio' 21. Sept. 1624* extensa sunt et applicata regularibus omnibus ubique locorum existentibus.

18. Quoad annum probationis exceptio facta est a S. Pio V. in Const. *'Summi Sacerdotii' 23. Aug. 1570* quoad novitias ordinis S. Dominici quibus indulsit ut in articulo mortis constitutæ, dummodo ad ætatem necessariam pervenerint, possint professionem emittere ante annum completum probationis. Id vero eis datum est solum ad effectum lucrandi indulgentias, et alias gratias concessas monialibus professis ita ut si convalescant non censeantur religioni obligatæ nisi transacto probationis anno iterum professionem emittant. Et sacra Congr. Conc. die 14. Jan. 1641 declaravit professionem ab infirmis monialibus emissam ante expletum annum probationis non parere monasterio jus ad dotem, vel hæreditatem monialis profitentis habendam.

19. Hoc privilegium concessum monialibus ordinis prædicatorum, ob communionem privilegiorum sibi communiter vindicarunt omnes regulares familiæ sive virorum sive monialium. Quod vero Greg. XIII. Constitutione *'In tanta' 1. Nov. 1573* Pianam Constitutionem reduxerit ad Concilii Tridentini dispositionem, dicunt hoc non respicere indulgentias et gratias spirituales quæ percipi

possunt a Novitio profitente ante annum completum probationis, sed respicere solum alios effectus præsertim civiles.

20. Tandem opportunum arbitramur citare S. Congr. Conc. in *Massanensi ann. 1613* et in *Neapol. mensis Nov. 1605* ex quibus eruitur novitiam, vel novitium e monasterio egressos causa valetudinis post integrum annum probationis posse admitti absque altero probationis anno ad edendam solemniter professionem nisi religionis conditio, aut novitii mores essent immutati. Neque obstat decretum Tridentini *c. 16. sess. 25. De Reg.* ubi statuit: 'Finito tempore Novitiatus Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio ejiciant'. Nam hoc decretum intelligendum est de personis quæ post completum annum novitiatus nullo impedimento detinentur quominus illico profiteantur religionem. Extendi ergo non debet ad casum in quo Novitius ob adversam valetudinem expleto anno cogitur e religione exire.

21. Speciali mentione digna sunt, quæ ex temporum adjunctis, ad regularem disciplinam, vel conservandam, vel restaurandam Summus Pontifex Pius IX. statuit 1°. in decreto *Neminem*, per organum S. Congregationis super Statum Regularium edito *diei 18. Martii 1857* et 2°. in Const. *Ad Universalis Ecclesiæ die 7. Februar. 1862*. Immutatio inducta a Pontifice respicit solummodo viros, seu familias et instituta regularium virorum in quibus emittuntur vota solemnia. Unde quoad mulieres nihil est innovatum. Dispositio autem Pontificis hæc est: Firmis remanentibus his omnibus quæ juxta Trid. legem, et subsequentes dispositiones, necnon statuta propria ordinis cujusque annum novitiatus respiciunt, novitius post completum novitiatum emittere debet vota simplicia. Deinde post triennium computandum a die quo vota simplicia emisit, si dignus reperiatur, ad professionem votorum solemnium admittitur. Quod si vero aliquod institutum regulare habeat indultum ut ad longius tempus perduret professio votorum simplicium, servandum est. Votorum insuper solemnium professionem potest Superior generalis vel provincialis ex rationabilibus causis differre. At differri hæc professio non potest ultra annum 25. ætatis novitii. Quo tempore adveniente, alumnus vel admittitur ad professionem vel dimittendus est a religiosa familia. Si in religione non adsint provinciales superiores, facultas differendi emissionem votorum solemnium tribuitur etiam superiori domus novitiatus de consensu tamen magistri Novitiorum, et duorum aliorum qui in

instituto aliquo gradu sint insigniti. Hæc statuta fuere in decreto *Neminem.* In Const. vero *Ad universalis Ecclesiæ 7. Febr. 1862* decernit Pontifex nullam prorsus, et irritam esse professionem votorum solemnium quoties ex quacumque causa vel prætextu, ignorantia etc. omissa fuerint vota simplicia.

22. 2ª qualitas, seu requisitum ad professionem est legitima ætas. Antiquitus in genere erat statuta ætas pubertatis in *c. 8. et c. 17. h. t.* Quod si in *capite 6. h. t.* prohibeantur recipi adolescentes ætate annorum 18 inferiores, eam dispositionem intelligunt doctores de aliqua religione rigidioris observantiæ in qua vi regulæ ordinis non recipiuntur nisi in ætate pubertatis completæ. At Conc. Trid. in cit. *c. 15. sess. 25. de Reg.* decernit ætatem legitimam pro edenda professione esse annum 16. completum ita ut professio ante hoc tempus emissa nullius sit valoris, et per se irrita. Ex dispositione Pii IX. superius citata post annum 16. completum possunt emitti solummodo vota simplicia, solemnia vero non possunt emitti nisi post aliud triennium completum, scilicet post annum 19. completum. Potest vero differri ad annum 25. Insuper quoad ætatem necessariam pro laicis et conversis statuit Summus Pontifex servandam esse Const. Clementis VIII. *'In supremo'* quæ lata est *die 2. Aprilis 1602.* In hac Const. decernit Clemens VIII. conversos non posse ad habitum recipi ante annos 20 ætatis.

23. Quibus positis exponendæ sunt quædam declarationes authenticæ circa novam dispositionem nomine et auctoritate ejusdem Summi Pontificis editæ. Et 1°. ex declaratione diei *12. Jan. 1858* vota simplicia emissa post annum probationis perpetua sunt ex parte voventis. At solvi possunt vel ex dispensatione Summi Pontificis ob graves et urgentes causas exposcenda, vel ex decreto Superiorum ordinis qui alumnum dimittant a religione. 2°. Ex eadem declaratione professi votorum simplicium admittuntur ad participationem omnium gratiarum, et privilegiorum quibus fruuntur professi votorum solemnium, necnon suffragium habent in Capitulis una cum solemniter professis, exceptis actibus capitularibus in quibus deliberandum est utrum necne sit admittendus ad vota solemnia aliquis professus votorum simplicium. Hæc exceptio facta est ad evitandum periculum collusionis. *Declar. diei 7. Febr. 1862.*

24. 3°. Ex declaratione diei *6. Aug. 1858* professi votorum simplicium tenentur ad observantiam regulæ ordinis eodem modo quo

tenentur solemniter professi, quoad vero votum paupertatis, attendenda est alia declaratio diei *12. Aug. 1858*, prout sequitur: 'Professi votorum simplicium *dominium radicale*, uti ajunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium eodem pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, et usufructum, et usum quibus eis placuerit remittere ac etiam suo ordini si ita pro eorum libitu existimaverint'. Ordini vero suo hæc cedere non possunt, si ordo nequeat temporalia bona possidere.

25. Si quæratur quid sit dominium radicale respondent Canonistæ esse dominium in actu primo. Ita Ferraris voc. *votum art. 11. n. 119. et seqq.* Metaphorica hæc locutio est deducta ex arbore in qua distingui possunt duo, radix nempe, et externa evolutio. Hinc in dominio distingui potest 1°. purum et nudum jus seu mera capacitas; 2°. plena potestas ad exercitium, seu evolutio juris. Primum dici potest dominium in radice sua, seu dominium radicale. Secunda dici potest plenum dominium in sensu juridico, quo quis potest libere uti, frui rebus propriis, de iisque disponere.

26. Vota simplicia cum considerata sint solummodo ceu via et dispositio ad vota solemnia non excludunt reditum personæ ad statum sæcularem et civilem conditionem. Quare non privant hominem dominio radicali, sed solummodo eundem privant exercitio juris et administratione. Hæc enim non bene conveniunt cum homine fideli qui actu est religiosus, et vovit paupertatem. Solemnia autem vota quæ in perpetuum mancipant hominem religiosæ paupertati, adimunt etiam dominium radicale, et collocant hominem extra omnem civilem possidendi capacitatem.

27. 4°. Alias vidimus ex decreto Tridentini in *c. 16. sess. 25. De Reg.* Novitiorum renunciationem non valere etiam ad causas pias nisi cum Episcopi licentia vel ejus Vicarii generalis fiat intra duos menses ante professionem, et cum implicita clausula, quod non valeat, nisi sequatur professio religiosa.

Ex declar. *diei 1. Aug. 1862* deprehendimus renunciationes istas pro professis votorum simplicium locum habere posse intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Animadvertendum est, juxta *c. 4. h. t. in 6°.* beneficium illius, qui religionem ingreditur, non esse conferendum intra annum proba-

tionis nisi accedat consensus novitii: idest nisi accedat renunciatio novitii. Jamvero ex resolutionibus S. Congreg. Concilii relatis a Pitonio *in tom. 1. Disceptatione 6ª*. et a Fagnano in *cap. 23. h. t.* Doctores tenent renunciationem beneficii venire sub dispositione Tridentini interdicentis quamcumque renunciationem ante duos menses proximos professioni. Cum vero ex declaratione immediate collata renunciatio de qua in Tridentino *c. 16. sess. 25. De Reg.* facienda sit infra bimestre proximum professioni votorum solemnium; sequitur, etiam renunciationem beneficii fieri non posse ante hoc tempus. Interim vero ex *c. 4. h. t. in 6°.* destinatur clericus idoneus qui onera beneficii impleat et congruam habeat portionem fructuum, et proventuum beneficii.

28. 5°. Ex jure communi conjugibus ante consummationem matrimonii conceditur bimestre ad deliberandum utrum religionem approbatam velit alteruter ingredi, et inde per professionem vinculum conjugii solvitur, ita ut pars quæ in sæculo permansit possit alias nuptias conciliare. Quæsitum est an post novum jus a Pio IX. statutum alter debeat solummodo annum expectare, an etiam triennium post vota simplicia usque nempe ad emissionem votorum solemnium? Ex declaratione *diei 25. Januarii 1861* deprehendimus matrimonium ratum et non consummatum dissolvi solummodo per solemnem votorum professionem non vero per emissionem votorum simplicium. Ne autem uxor triennium post vota simplicia viri ligata permaneat, ipsa vel vir, poterit ab Apostolica Sede expo-/ scere facultatem, ut statim vota solemnia possint emitti.

6°. Juxta Const. Clem. VIII. professio votorum solemnium nuncupanda est in domo ipsa novitiatus. At ex decreto *Neminem diei 19. Martii 1857* professi votorum simplicium commorari debent in domibus professorum et studiorum. Quare enata quæstione Summus Pontifex *die 9. Decemb. 1859* declaravit, et constituit ut, literis Apostolicis Clementis VIII. aliisque quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere possint suo tempore vota solemnia nuncupare in conventu seu domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de jure servandis, quin tenerentur profiteri in domo peracti Novitiatus.

29. 7°. Cum quæsitum esset an qui forte habitum religionis induerint majores jam 25 annorum ætate, aut huic ætati proximi, possint expleto jam novitiatus anno ad vota solemnia, et profes-

sionem admitti vel expectare debeant ulterioris probationis triennium; in declaratione diei 20. Jan. 1860 responsum est negative ad primam partem, affirmative ad 2am scilicet expectandum esse triennium.

30. 3°. Tertium requisitum ad valorem religiosæ professionis est consensus seu acceptatio ex parte religionis. Professio enim est onerosus contractus ultro citroque obligans. Religio scilicet suscipit obligationem præstandi alumno suo necessaria pro honesta sustentatione suo ordini conveniente, eumque tractandi juxta regulam religiosi instituti. Deprehenditur vero hæc necessitas acceptationis ex *c. 13. et 16. h. t.* Hæc vero acceptatio fit a superiore generali, vel a superiori provinciali, at prius debet per actum capitularem exquirere consensum capituli. Quod infertur ex *c. 6. De his quæ fiunt a prælatis.*

31. Post juris immutationem inductam a Pio IX. attendenda est declaratio diei 7. Febr. 1862 in qua edicitur: Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium audiri quidem debere capitulum conventuale ad instructionem animi superiorum: Superiorem vero generalem vel ejus subdelegatum non adstringi ad amplectendam resolutionem ejusdem Capituli. Præterea cum sermo sit de non acceptanda professione solemni, seu melius de dimittendo ab Ordine religioso alumno qui professus est vota simplicia præ oculis habendi sunt articuli IV. et V. declarationis authenticæ *diei 12. Januarii 1858.* In his articulis decernitur 1°. Facultatem dimittendi a Religione professum votorum simplicium pertinere ad Superiorem generalem Ordinis cum suo generali consilio. 2°. In casibus extraordinariis a Superiore generali cum suo consilio posse præsertim pro regionibus longinquis ad dimissionem decernendam subdelegari probos, et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent. 3°. Ad decernendam dimissionem non requiri formam judicialem, sed procedi posse sola veritate facti inspecta. 4°. A superioribus vero procedendum esse summa charitate et prudentia, et ex justis et rationabilibus causis quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat.

De effectibus professionis religiosæ.

32. Quid efficiant vota simplicia jam supra vidimus; hinc modo proprie loquimur de professione solemni. Primus effectus est ut

ineatur perpetuum vinculum, et mutua obligatio inter religionem et professum de qua supra *c. 13. et 16. h. t.* Quod vinculum mutuo consensu solvi nequit arg. *c. 6. De statu Monachor.* et *can. 4. c. 33. q. 5.* 2°. Religiosa professio extinguit alia vota simplicia prius emissa etiam ingrediendi religionem strictioris observantiæ *c. 5. h. t. in 6°.* Quemadmodum enim ait Alex. III. in *c. 4. De voto:* 'Reus fracti voti aliquatenus non habetur qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare'. 3°. Irregularitatem ex defectu natalium ortam aufert in relatione ad ordines etiam suscipiendos, haud excluso ipso presbyteratu, non autem defectum aufert in ordine ad prælaturas sive in religione sive extra religionem assequendas *c. 1. De filiis presbyterorum.* Hoc vero privilegium non est ad alias irregularitates extendendum. Scilicet professio religiosa non aufert irregularitates ex alio capite ortas. 4°. Eximit religiosum a patria potestate, in iis vero quæ onus quoad professum secumferunt. Nam incipit subjici regulæ, et superioribus ordinis religiosi. Ita DD. cum Gloss. in *l. si ex causa* § *Papinianus ff. De Min.* 5°. Solvit sponsalia ante contracta, et matrimonium ratum et non consummatum. Conc. Trid. *can. 6. sess. 24. De Ref. Matr.*

De invalida professione.

33. Exponendum est decretum Tridentinum in *sess. 25. c. 19. De Reg.* Ex hoc decreto patet 1°. esse professo jus reclamandi contra votorum professionem; 2°. illud dari quoties pateat professionem fuisse emissam sub actione vis, et metus aut indebita ætate aut verificetur *quid simile.* Quæ ultima verba satis exprimunt jus reclamandi competere in genere pro quacumque causa quæ nullam fecerit professionem ex. gr. quia novitiatus fuerit interruptus, vel Novitius non gestaverit habitum religiosum etc.; 3°. querelam esse proponendam intra quinquennium computandum a die emissæ professionis coram legitimo Superiore regulari, seu prælato Monasterii, et simul coram loci ordinario. Quodsi professus tacuerit per quinquennium, eo expleto non amplius auditur, quia præsumitur ratam habuisse professionem suam omnique juri nuncium misisse; 4°. si quis intra quinquennium propria auctoritate habitum dimisit, ad monasterium redire cogendum esse, non admitti ad proponendam querelam, tamquam apostatam puniendum et interim privandum omni privilegio suæ religionis.

34. Hæc Tridentina dispositio ampliationem, et formam magis determinatam accepit a Const. Benedicti XIV. *'Sed datam hominibus' diei 4. Martii 1748.* In hac Constit. decernit plura: 1°. Decretum Trident. *c. 19. sess. 25. De Regul.* comprehendere etiam feminas professas religionem, licet videatur de viris religiosis tantum loqui. 2°. Statuit, etiam non reclamante religioso professo, ipsum superiorem detecto impedimento intra quinquennium posse cum Ordinario loci procedere in cognitione causæ nullitatis professionis. 3°. Actionem instructam intra quinquennium licet inde desertam, posse iterum a religioso moveri, et judicari ab Ordinario et Superiori regulari. 4°. Superiorem ad effectum quæstionis illum esse qui tempore motæ litis regimen habet Monasterii vel cœnobii in quo reclamans professionem emisit. 5°. Quoad moniales, si sermo sit de monasterio sui Ordinario immediate subjecto, solus Ordinarius intra quinquennium causam reclamantis judicat; si vero sermo sit de monialibus exemptis, Superior regularis non est confessarius regularis, sed ille cui concreditum est universum regimen Monasterii. 6°. Superior regularis non potest totum negotium Episcopo finiendum committere, sed potest alium virum ecclesiasticum juris canonici peritum delegare, qui cum Episcopo procedat. 7°. Romanæ Sedi reservatur cognitio causæ nullitatis ob emissam probationem extra domum Novitiatus. 8°. Potest ad querelam admitti intra quinquennium religiosus qui habitum dimisit, si deinde illum reassumpserit et in religione commoretur. 9°. Conficiendus est processus vere et proprie dictus judicialis et sub pœna nullitatis actorum est deputandus defensor professionis religiosæ ex officio, qui interrogatoria dare debet, et assistere confectioni tabularum processus, necnon coram judicibus voce, et scripto valorem professionis tueatur. Citandi insuper sunt, et audiendi defensores Monasterii seu cœnobii et alii omnes, quorum interest professionem religiosam sustineri. 10°. Si Ordinarius et Superior regularis in judicio dissentiant, causa definienda devolvitur ad Apostolicam Sedem. 11°. Lata sententia in prima instantia ab Ordinario, et Superiore regulari, religiosus poterit appellare, si pro validitate professionis jus dictum fuerit; debebit vero appellare defensor ex officio, si pro nullitate professionis steterint judices, et interim suspenditur executio sententiæ prolatæ. 12°. In secunda instantia ad illum ordinarie devolvitur causæ cognitio, ad quem de jure aliæ omnes ecclesiasticæ causæ in gradu appellationis transeunt. Simul

vero cum hoc secundo Ordinario causam judicabit Superior regularis Monasterii ejusdem ordinis, quod monasterium sit vel in civitate, vel in diœcesi Ordinarii appellationis. Si nec in diœcesi adsit Monasterium, assumitur superior vicinioris Monasterii ejusdem ordinis. In hac etiam sede judicii, et in aliis, si ulterius appelletur, adsint semper defensores professionis sub pœna nullitatis actorum. Hæc omnia observanda etiam sunt in curia Cardinalis Vicarii Urbis. Superior vero regularis non admittitur ad judicandum cum causa apud Sedem Apostolicam, in aliqua nempe Sacra Congregatione vel in Rotæ auditorio decernitur. 13°. Nisi binæ sententiæ conformes habentur, non poterit professio uti nulla haberi, nec professus ad alia vota transire potest.

35. Antiquitus ex decreto Gregorii XIII. edito a Sacra Congr. Concilii *die 5. Martii 1598*, elapso quinquennio, nullus religiosus audiebatur, nec si asseruisset per vim et metum se fuisse professum et vim, et metum semper perdurasse. At inductum est, ut, quinquennio elapso inutiliter, concederetur beneficium restitutionis in integrum, quo beneficio obtento posset cognosci et decerni causa nullitatis professionis. Jam vero in citata Constit. '*Si datam hominibus*' judicium pro concedenda vel neganda restitutione in integrum reservatur Sedi Apostolicæ. Quo in negotio ut rite procedatur juxta cit. Constitutionem committi debet Ordinario loci et Superiori Regulari mandatum ut super causis restitutionis in integrum conficiant processum, eodem modo quo facere deberent pro causa nullitatis professionis infra quinquennium decernenda. Deinde quæstio apud S. Sedem discutitur perinde ac si ageretur de causa nullitatis, nec pro obtinenda restitutione unica favorabilis sententia sufficit, sed duplex conformis requiritur. Hac obtenta restitutione, Ordinarius loci et Superior Regularis procedere possunt ut supra, in cognitione causæ pro invaliditate professionis quemadmodum, si ante quinquennium facta fuisset reclamatio. Hæc ex Constitutione '*Si datam*'. Hodie vero ut temporis brevitati, et sumptuum moderationi consulatur, annuente Summo Pontifice solet apud S. Sedem utraque quæstio simul pertractari in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium proposito distincto dubio.

36. Causæ pro exposcenda restitutione in integrum ad duas præcipue reducuntur: nempe 1°. ad ignorantiam impedimenti et nullitatis professionis; 2°. ad impotentiam instituendæ querelæ contra professionem in decursu quinquennii.

De transitu ab una religione ad aliam.

37. Professio religiosa non solum obligat ad observantiam trium votorum substantialium, sed etiam obligat ad ea vota observanda prout sub speciali regula observanda proponuntur. Quare in genere odiosus est transitus religiosi ab uno ad aliud institutum. Sed tres casus possunt considerari: videlicet 1°. transitus de religione strictioris observantiæ ad religionem observantiæ laxioris; 2°. transitus de una ad aliam religionem æqualis rigoris; 3°. transitus de religione minus rigida ad rigidiorem.

Primus transitus expresse prohibetur in Tridentino *sess. 25. cap. 19. circa finem De Reg.* Ex capite autem *5. h. t.* deprehendimus transitum regularis de sua ad æqualis rigoris religionem non esse facile permittendum. Ergo permitti potest ex legitima causa.

38. Tertius casus est transitus ad religionem strictioris observantiæ. Transitus hujusmodi a jure admittitur *c. 18. h. t.* quia consideratur uti desiderium majoris perfectionis, quam religiosus sibi assequendam proponit. Ut autem legitime hic transitus fiat, 1°. debet religiosus exposcere a superiore suo immediato licentiam transeundi, eique exponere causam sui consilii. Quam licentiam denegare non debet Superior, posita justa causa, et si illegitime denegetur, potest religiosus consilium suum exequi. 2°. Ut vero licentia concedatur a Superiore, et legitime perficiatur transitus, necesse est ut Superiori constiterit aliam religionem esse paratam ad religiosum suscipiendum: ita ut recta via ab uno ad aliud religiosum institutum transitus fiat. 3°. Ex decreto Urbani VIII. *diei 21. Sept. 1624* Superior recipiens debet ante omnia inspicere litteras dimissorias superioris religionis. Decretum hujusmodi legi potest in textu Concilii Tridentini cum declarationibus et resolutionibus S. Congr. Concilii edito a sacerdote Petella Neapoli *p. 433.* ad *cap. 19. sess. 25. De Reg.*

39. Posito transitu a religione in qua votum emittitur de non procuranda sibi dignitate, vel prælatura extra proprium ordinem, votum hujusmodi perseverat et obligat religiosum in nova religione ad quam transit. Ita in Constitutione Urbani VIII. *Honorem diei 24. Febr. 1643.* Præterea si transitus factus fuerit a religione mendicantium ad non mendicantium institutum, *ex Cl. 1. h. t.* religiosi transeuntes 1° redduntur inhabiles ad prioratus, administra-

tiones et officia quæcumque etiam tamquam vicarii aliorum locum tenentes. 2°. Excluduntur a capitulis congregatis vel pro electionibus, vel pro aliis negotiis exercendis. Excipiuntur solum capitula congregata pro correctione et pro disciplina regulari in quibus sedem et vocem habent.

40. Ea quæ diximus communia sunt viris et mulieribus in iis, in quibus dispositio potest mulieribus convenire. In specie autem pro monialibus animadvertendum est ex Const. S. Pii V. *'Decori' 1. Febr. 1569* absolute interdici monialibus egressum e clausura nisi sit ex causa lepræ, epidemiæ et magni incendii. Ex qua Const. inferunt DD. de jure communi ademptam esse monialibus facultatem transeundi ad aliud monasterium. Ita etiam censuit S. Congr. cujus resolutionem citat Giraldi *Comm. ad c. 18. h. t.* Ita autem adempta est hæc facultas ut eam possit concedere Major Pœnitentiarius solummodo pro monasteriis ultra montes et nonnisi legitima causa existente discussa in Signatura. Ita Bened. XIV. in Const. *'Pastor bonus' 13. Apr. 1744* § *36.*

De ejectis, fugitivis et apostatis.

41. Ejectus ille est qui post emissa vota solemnia perpetua et irrevocabilia ex sua culpa ob legitimam causam expellitur ab instituto religioso. Dixi post *emissa vota perpetua et irrevocabilia* quia qui adhuc novitius, vel qui juxta decretum *Neminem* Pii IX. *diei 18. Martii 1851* dimittitur a religione post professionem votorum simplicium non computatur inter ejectos in sensu canonum. Ex *c. ult. De statu Monach.* in quo dicitur ovem morbidam ejiciendam esse ab ovili ne inficiat sanas et ex *c. 7. Ne Clerici vel Monachi,* et ex *c. 24. h. t.* infertur posse a superioribus regularibus ejici monachum a religione non obstante professione votorum solemnium. Accessit his capp. decretum S. Congr. Conc. editum jussu Urbani VIII. *Sacra Congr. diei 21. Sept. 1624.* Ex quibus omnibus patet nullum posse ejici religiosum nisi sit vere incorregibilis, seu qui graviter et cum scandalo delinquat, nec pluries monitus et correctus cesset a delinquendo graviter et cum scandalo, nec insuper ad saniorem mentem reduci possit pœnitentiis, censuris et ipsa per annum incarceratione in jejunio intra septa monasterii tolerata. Hoc experimentum carceris reductum fuit ad sex menses in decreto S. Congr. specialis *diei 24. Julii 1694* probato ab Innocentio XII.

42. Ejectio autem juxta citat. decr. Urbani VIII. fieri debet ab ipsomet Superiore generali tantum de consilio, et assensu sex patrum, qui sunt eligendi in singulis capitulis generalibus inter religiosos gravioris ætatis et maturi consilii; et instructo secundum eorum stylum, et constitutiones processu et plene probatis causis expulsionis juxta sacrorum canonum præscriptiones. Hæc facultas pro ejiciendis incorregibilibus religiosis extenditur etiam ad Provinciales juxta cit. decretum Innoc. XII.

43. Post ejectionem antiquitus ex *c. 24. h. t.* onus inerat Superiori ut singulis annis requireret ejectos utrum ad monasterium redire vellent. Hodie vero servanda est dispositio decreti cit. Urb. VIII. in quo, licet in genere renovetur *c. 24. h. t.*, tamen in specie statuitur Superiores requirere et excipere debere ejectos, dummodo in ipsis subsit spes evidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his literis concedendis S. Congr. serio oneravit. Excipiunt DD. ab hac obligatione illos religiosos, quorum statuta ab Apostolica Sede probata prohibent iterum recipi formaliter ejectos.

44. Ejecti interim permanent religiosi. Hinc 1°. tenentur vitæ emendationi serio vacare, ut reconciliatione cum religione et novo ingressu digni reddantur. 2°. Obligantur votis paupertatis, ex quo incapaces sunt juris possidendi, et castitatis. Voto obedientiæ non adstringuntur cum actu non habeant superiorem cui pareant. Quam diu autem ad religionem non redierint, in habitu clericali incedere debent et Episcopo subesse. Ita decernitur in cit. decreto Urbani VIII. § 7. Tandem ex eodem decreto § 10. religiosi ejecti quoadusque extra religionem degunt, sunt ipso facto suspensi ab exercitio ordinum et quidem absolutio ab hac censura reservata est Romano Pontifici. Hanc pœnam renovatam videmus in Const. *Apostolicæ Sedis* § *V.* inter suspensiones latæ sententiæ Summo Pontifici reservatas.

45. Fugitivus religiosus proprie ille est qui e monasterio ex quocumque etiam pii operis perficiendi prætextu absque superiorum licentia recedit, vel cum habitu vel sine habitu cum intentione tamen ad monasterium redeundi. Ex mente insuper Concilii in eodem loco expressa inter fugitivos adnumerandus est etiam ille religiosus qui egreditur e monasterio sub prætextu adeundi superiores, nisi fuerit ab iisdem missus aut vocatus. Pariter est fugitivus et ille qui monasterium relinquit sub prætextu adeundi Sedem

Apostolicam. Ita ex Const. Sixti V. *Cum de omnibus.* Excipitur casus quo religiosus ob gravamina a Superioribus sibi illata volens ad Sedem Apostolicam confugere, probare potest testium proborum fide, Superiores denegasse expostulatam licentiam. Ita idem Sixtus V. in Const. '*Ad Romanam*' adnexa eidem Constitutioni *Cum de omnibus* § *20.* Pariter ex eadem Const. *Cum de omnibus* uti fugitivus considerari et tractari nequit religiosus in casu quo ipse discedens ex monasterio plene cognoscitur ab illis apud quos divertit ita ut nulla dubitatio aut suspicio contra religiosum de irregulari discessu concipi possit.

46. Apostatæ proprie loquendo illi sunt qui religionem illegitime deserunt absque animo ad eam redeundi. Fugitivi et apostatæ tenentur 1°. ad observantiam trium votorum substantialium, et aliarum obligationum proprii instituti. Hinc quoad votum obedientiæ, quoniam de facto superiorem actu non habent, illud frangunt per peccatum in causa, scilicet protrahendo reditum ad religionem. 2°. Arg. *c. 2. Ne clerici vel monachi in 6°.* Fugitivi et apostatæ habitum dimittentes, sunt ipso facto excommunicati. Qui vero non dimiserint habitum non incurrunt hanc pœnam nisi expresse statuta fuerit in Constitutionibus ordinis approbatis a S. Sede. De hac vero pœna excommunicationis latæ sententiæ silet Const. *Apostolicæ Sedis.* Hinc ex jure communi non amplius viget. Vigere autem potest in peculiaribus ordinibus religiosis si de eadem caveant regulæ a S. Sede probatæ. Summus enim Pontifex integras voluit permanere pœnas in regularium ordinum constitutionibus descriptas. 3°. Quamdiu manent extra monasterium privantur omnibus privilegiis sui instituti *c. 19. circa fin. sess. 25. De Reg. in Tridentino.* 4°. Juxta *c. 4. sess. 25. De Ref.* in Tridentino Religiosus qui quolibet prætextu absque licentia superioris in scripto accepta repertus fuerit, ab ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniendus est. 5°. Ex decreto Urbani VIII. cit. *diei 21. Sept. 1624* fugitivi et apostatæ, sive habitum regularem deferant sive non, possunt ab Episcopo loci ubi moram trahunt in carceres conjici et Superioribus consignari, ut secundum instituti regulam puniantur. 6°. Ex *c. 3. sess. 6. De Ref. in Trid.* quicumque regularis degens extra monasterium, si deliquerit, ab Ordinario loci tamquam Sedis Apostolicæ delegato visitari, puniri et corrigi potest. Superiores vero regulares juxta *c. ult. h. t.* tenentur conquirere et revocare fugitivos et apostatas. Hæc obli-

gatio in genere adhuc viget, licet non amplius annualis revocatio facienda sit ob contrariam dispositionem ex temporum circumstantiis inductam. Superiores insuper possunt etiam uti vi coactiva pœnarum ad reducendos in monasterium fugitivos, et apostatas, immo et ad brachium sæculare confugere. Conferantur decretum Urbani VIII. et decretum Innoc. XII. apud Pettella *Canones et Decret. Conc. Trid.* ad *c. 19. sess. 25. De Reg. II. 21. et 25.*

Titulus XXXII.

De conversione conjugatorum.

1. Conversio in titulo exprimit efficax conjugatorum propositum ingrediendi, et profitendi religionem vel ordinem majorem suscipiendi. Et 1°. quoad ingressum et professionem religiosam. Ante consummationem potest unus ex conjugibus religionem approbatam ingredi altero conjuge etiam invito, et in religione profiteri. Textus est clarus in *c. 2. h. t.* cui concordat *c. 1. eod.* Ex *cap. 2.* conceditur cuique conjugi bimestre ad deliberandum, utrum velit in conjugio manere, vel ingredi religionem. Hinc intra hoc bimestre neuter conjugum tenetur reddere debitum conjugale et matrimonium consummare. Hoc vero bimestre ex sensu *cap. 2.* incipit decurrere a die termini præfixi a judice, quo bimestre elapso altera pars potest jure meritoque cogere conjugem ad consummandum matrimonium. Professione autem votorum solemnium emissa ante consummationem matrimonium simpliciter ratum dissolvitur. Hinc altera pars remanens in sæculo potest ad alia vota libere transire *cap. 2. h. t.* et *can. 6. sess. 24. De Matr. in Trid.* Si quæratur cur uni ex conjugibus ante consummationem matrimonii detur facultas ingrediendi religionem et in eadem profitendi etiam altero invito; respondent DD. quia ex una parte verba Christi Domini 'Quod Deus conjunxit, homo non separet', intelligenda sunt de matrimonio rato, et consummato *c. 7. h. t.* ex altera vero ministerio juris post dispositionem dicti *cap. 7. h. t.* contractui matrimonii inesse censetur conditio: 'Nisi statum perfectiorem intra bimestre suscipiam'. Ideoque antequam matrimonium per consummationem constituatur in plena expressione significationis unionis Christi cum Ecclesia, idest in perfecto esse sacramenti, conditio illa vim suam conservat, ita ut si subsequatur professio religiosa quæ actuat conditionem eandem, matrimonium ratum dissolvatur.

2. Notandum vero est DD. non denegare facultatem ingrediendi religionem uxori, si infra bimestre non obstante manifestatione consilii sui de ingressu in religionem approbatam, per vim a viro cognita fuerit. Nemo enim per vim legitime expoliatur jure suo. Hoc vero in casu pars quæ in sæculo remanet, non potest ad alia vota transire, matrimonium enim cum sit ratum et consummatum non solvitur per religiosam professionem.

3. Consummato matrimonio, etiam alteruter conjugum ingredi, et profiteri potest religionem. At plures conditiones requiruntur 1°. ut altera pars consentiat *c. 1. h. t.* Consensus autem debet esse liber: hinc non valet si per fraudem aut per vim et metum fuerit extortus *cc. 16. 17. h. t.*

4. Quid vero si alteruter ex conjugibus altero conjuge invito, vel ignorante religionem professus fuerit? Ex *c. 3. et 12. h. t.* pars quæ in sæculo remansit potest revocare conjugem professum, et ipsa professio nulla est, ita ut, mortuo etiam conjuge in sæculo, non teneatur ad religionem redire. Ratio est, quia cum teste Paulo potestatem sui corporis non vir habeat, sed uxor, et viceversa, hinc professio religiosa unius ex conjugibus ceu læsiva jurium alterius valere non potest. Qui enim professus est, promisit quod promittere non poterat.

5. At quamvis in casu professio religiosa non teneat, tamen aliquid operatur professio nulla. Conferenda sunt cit. *capp. 3. et 12. h. t.* Sciendum enim est in materia voti hoc valere principium, votum nempe fieri posse de bonis propriis non vero de alienis. Jam vero qui religionem professus est, vivente altero conjuge inscio vel invito, aliquid proprium habebat, nempe potestatem petendi debitum conjugale. Quare potuit huic juri renunciare ac proinde relate ad ipsum conjugem profitentem votum castitatis tenet. Invocari enim potest principium juris 'Actus si non valet uti ago, valere debet uti agere possum'. Hinc qui professus est manentibus prioribus nuptiis tenebitur utique reddere debitum ne jus alienum lædatur, non poterit vero petere, quia huic juri renuntiavit. Soluto vero matrimonio per mortem alterius conjugis, votum castitatis in tota sua extentione reviviscit seu nullam amplius patitur limitationem ex jure alterius. Quare votum emissum in religione obicem ponit quominus sine dispensatione novum matrimonium contrahatur. Ex modo autem loquendi Pontificis in *c. 3. h. t.* DD. inferunt votum hujusmodi non esse solemne sed simplex.

Quare impedit solummodo non vero dirimit matrimonium. Ita Engel in *h. t. n. 9.* Et merito; nam in ea conditione in qua fuit emissum reducitur ad votum non petendi debitum conjugale.

6. 2°. Præter consensum alterius conjugis requiritur ut alter conjux si adhuc sit juvenis, vel si superadultæ quidem ætatis, sed tamen in periculo incontinentiæ versetur, religionem ingrediatur et profiteatur. Quodsi unus ex conjugibus sit senex, et absque periculo incontinentiæ, tunc ipso in sæculo remanente, alter de ejus licentia poterit religiosum amplecti institutum. Qui vero remanet in sæculo debet votum perpetuæ castitatis in conspectu Ecclesiæ, seu coram auctoritate ecclesiastica et testibus emittere. Porro votum hujusmodi non est solemne, sed simplex in sensu canonum juxta *c. un. De voto in 6°.* et celebratur publice solum probationis causa. Hæc principia juris habentur in *capp. 4., 8. et 13. h. t.* Concordant *canones 19., 21. caus. 27. q. 2.*

7. Si quæratur quænam ætas requiratur ut habeatur senectus ad effectum de quo agitur, communiter respondent DD. pro mulieribus esse ætatem 50 annor. pro viris annor. 60, quia post hanc ætatem ordinarie non est generatio. At melius judex seu Episcopus in singulis casibus videbit an periculum incontinentiæ verificetur vel non.

8. Animadvertendum vero est validam esse professionem unius conjugis, nec eum esse revocandum quoties alter amiserit jus petendi debitum conjugale. Hinc 1°. non est revocandus conjux religiosus si altera pars quæ in sæculo permansit votum castitatis emisit, sed poterit ab Episcopo compelli ut religionem ingrediatur si in florenti adhuc ætate sit, vel in periculo incontinentiæ. 2°. Si unus ex conjugibus jura matrimonii violaverit per adulterium, poterit altera pars, etiam suo conjuge invito, religionem ingredi et profiteri *c. 15. h. t.* Quod si pars, quæ adulterium admisit, velit religionem ingredi, debet assensum exquirere conjugis innocentis, qui, si assentiatur, tenetur emittere votum castitatis temporaneum seu quoad vixerit pars adultera quæ religionem professa est. Ita decisum est a S. Congr. Conc. in *Januensi diei 2. Maji 1722* relata a Giraldi *comm. in c. 8. h. t.* ex *Thesauro Resolutionum S. Congr. tom. 2. p. 164.*

9. Pauca de altera conversione conjugatorum ad ordines sacros.

Non loquimur de græca Ecclesia, quæ non agnoscit omnem incompatibilitatem status conjugalis cum majoribus ordinibus Episcopatu inferioribus. Loquimur solummodo de disciplina Ecclesiæ Latinæ. Primo certum est ordines majores impedimentum utique dirimens constituere relate ad matrimonium contrahendum, non vero dissolvere matrimonium contractum, licet solummodo ratum, quia privilegium dissolvendi matrimonium ratum solummodo professioni religiosæ concessum est eo quod conjux professus censetur veluti mundo mortuus. *Extrav. Antiquæ Joann. XXII. De voto.* Hinc si vir inscia vel invita uxore ordines majores susceperit ordinatio utique valida est, sed illicita, et poterit vir ab uxore revocari, quia non amisit jus petendi debitum. Vir autem amittit jus suum petendi *cit. Extrav. Antiquæ De voto.* Quare mortua uxore nec licite nec valide novum potest vir matrimonium contrahere, sed tenetur vel ad statum clericalem regredi, vel religionem ingredi. Unde ut vir possit ad ordines promoveri 1°. debet obtinere consensum uxoris suæ. 2°. Uxor si juvenis sit ingredi religionem et solemniter profiteri tenetur. *c. Episcopus 6. Dist. 77.* Quod si vero sit in ea ætate in qua nulla habeatur incontinentiæ suspicio, poterit uxor in sæculo permanere, sed emittere debet votum simplex castitatis perpetuæ; quod votum simplex ex *can. Seriatim 14. dist. 32.*, juxta ea quæ animadvertit Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. 13. c. 12. n. 16.* prohibet uxori viro e vivis sublato, alterum matrimonium contrahere: quod si contrahat, irritum est ecclesiasticis sanctionibus, seu Ecclesia non recipit matrimonium hujus mulieris. Quare votum illud simplex reddit mulierem inhabilem ad contrahendum matrimonium, ac proinde voto solemni æquiparatur. 3°. Si uxor consentiat virum suum consecrari in Episcopum ex *c. 6. h. t.* nullo modo potest in sæculo remanere, sed debet religionem ingredi, immo Episcopus consecrari non potest, nisi antea uxor ejus continentiam professa sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat.

Titulus XXXIII.

De conversione infidelium.

1. In hoc titulo sermo est de conversione infidelium ad fidem catholicam. Ex *c. 36. Conc. Tolet. IV.* relato in *can. 5. distinct. 45.* necnon ex *can. 33. caus. 23. q. 5.* deprehendimus jus ecclesiasti-

cum præcepisse ut nullus invitus ad fidem amplectendam cogendus esset; cujus enim vult Deus miseretur nec inviti salvandi sunt sed volentes, ut integra sit forma justitiæ et meriti.

2. At ut fideles allicerentur ad veram fidem amplectendam, seu melius ne arcerentur ab eadem ob timorem damnorum, et jacturæ temporalium bonorum, plura videmus in conversorum favorem statuta in legibus canonicis. Et 1°. *cap. 2. inter extrav. com. De Judæis* Joannes XXII. præcipit rectoribus et officialibus regionum ad Apostolicam Sedem pertinentium ne Judæos conversos ad veram religionem, turbari sinant a possessione bonorum quæ tempore conversionis obtinebant. Huic decretali accesserunt Const. Greg. XIII. et Const. Pauli III. *'Cupientes' 21. Martii 1542* confirmatæ et ampliatæ a Clem. XI. in Constit. *'Propagandæ per universum' 5. Idus Martii 1704.* Ex quibus patet *a)* non solum ex judaismo, sed omnibus infidelibus ubicumque ad fidem conversis concedi ceu privilegium fidei et pro causæ piæ titulo facultatem retinendi omnia bona etiam illicite, seu ex usura alioque malo quæstu acquisita, dummodo notæ non sint personæ quibus restitutio facienda esset; *b)* conversos eximi a patria potestate; *c)* gaudere privilegiis communibus civitatis; *d)* conversos non posse a parentibus exhæredari aut ullo modo privari illis bonis sive paternis, sive maternis quæ conversis iisdem debita erant de jure, seu successione quamvis fidem amplexi fuerint contra parentum voluntatem.

3. His expositis in genere explicanda est theoria canonica quæ exhibetur in titulo prout refertur in Decret. Gregorii IX. Duplex in titulo caput extat.

In primo sermo est de impedimento criminis infidelium relate ad matrimonium contrahendum post conversionem. Quæsitum est a Cœlestino III. 1°. an valeret matrimonium contractum a christianis mulieribus cum Saracenis, qui ex cruciatis bellis facti captivi commorantes in domibus Christianorum, ex machinatione mulierum interfecerunt earum viros, et conversi ad fidem easdem in uxores acceperunt. Respondet Cœlestinus non valere matrimonium hujusmodi. Ex quo deducunt DD. impedimentum criminis, licet juris ecclesiastici, oriri in casu etiam ex facto, quod ab homine adhuc in infidelitate constituto positum est. Ratio est, quia agitur de mulieribus fidelibus et de viris qui ut matrimonium contrahere possent, debebant ad fidem converti. Quamvis ergo leges

Ecclesiæ non obligent infideles, tamen ex eo quod in casu una pars ex contrahentibus erat fidelis, et factum ipsum habebat relationem ad fidem jure statuit Cœlestinus crimen patratum ab infideli constituere impedimentum dirimens christiani matrimonii.

2°. Proposita est species de quibusdam mulieribus christianis quæ nupserant Saracenis conversis ad fidem a quibus earum viri in bello fuerant pugnando interfecti. Qua in specie respondit Cœlestinus matrimonium valere nec posse mulieres istos conversos, ceu non legitimo matrimonio sibi conjunctos deserere.

4. In *c. 2. h. t.* species est de Judæo ad fidem converso, remanente ejus uxore in infidelitate, et statuit Greg. IX. puerum ex matrimonio in infidelitate natum post triennium ætatis suæ apud patrem educari debere. Hanc Const. Bened. XIV. in epist. *'Probe te' diei 15. Nov. 1751* extendit etiam ad casum conversionis uxoris, ita ut ob fidei privilegium filii qui in infantia aut pueritia constituti sunt, nec doli sunt capaces, debeant educari semper apud conjugem conversum. Nec aliqua injustitia admittitur, cum ipsæ leges civiles quamvis aliquando pro sexus diversitate patri, matrive filios attribuerint *l. un. C. Divortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant,* tamen ex justis causis præsertim ob suspectos matris mores filios omnes quamvis exuberes soli matri educandos committebant. Ita *ll. 1. et 3. ff. De liberis exhibendis.* Jam vero major pejorque suspicio non datur, quam si filius doli incapax relinquatur sub potestate et directione parentis infidelis.

Diximus vero filium doli incapacem; nam si sit doli capax, cogendus non est ad religionem christianam sequendam, sed eligat cui ex parentibus vel infideli vel converso adhæreat: *cit. can. 33. c. 23. q. 5.*

Titulus XXXIV.

De voto et voti redemptione.

1. Votum in sensu canonum est 'Promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili'. Dicitur 1°. *promissio* ut distinguatur a consilio et proposito, quæ intentionem utique aliquid faciendi important, non autem secumferunt voluntatis decretum ad suscipiendam actu aliquam obligationem. Hinc qui non exequitur propositum utcumque firmiter et efficaciter conceptum in materia indifferente, idest nec vetita nec præcepta, peccati reus non est

c. 3. h. t. Dicitur 2°. *deliberata* quia scilicet ad votum concipiendum requiritur perfecta animadversio seu cognitio objecti promissionis. Hinc indeliberata et minus considerata sponsio votum dici nequit, sed est potius aspiratio quædam voluntatis spontaneæ non ex consilio rationali, sed potius ex motu instinctivo procedens. Quare sponsio hæc est potius opus phantasiæ et imaginationis quam rationis et intellectus. Pariter libera debet esse voluntas. Ea vero sufficit libertas voluntatis quæ sufficit ad peccatum patrandum. Verum communis doctorum arg. *c. Veniens 5. Qui clerici vel monachi,* tenet vota emissa sub metu gravi injusto esse irrita, adeoque non indigere dispensatione. 3°. *Deo facta* vel immediate, vel mediate seu immediate facta sanctis. Deum vero semper respicere debet votum quia est actus religiosus et ad cultum pertinere dicitur. 4°. *De bono meliori.* Hæc verba non significant objectum voti esse semper bonum perfectum aut optimum. Nam omnes conveniunt objectum voti esse posse rem simpliciter honestam, immo et rem de se indifferentem, quæ vero ad bonum finem dirigatur. Igitur votum de bono meliori fieri dicitur 1°. quia promissio de re honesta non debet impedire prosecutionem majoris et perfectioris boni. Sic ex. gr. regulariter non valet votum de matrimonio contrahendo quia melior est continentia et status religiosus. Igitur votum fit de meliori bono negative, quatenus meliori bono obviare nequit. 2°. De meliori bono fit votum etiam positive, quia res etiam simpliciter honesta eligitur ceu medium animam perficiendi. Scilicet obligatio de re honesta suscipitur quia pro vitæ spiritualis utilitate judicatur melius esse actionem aliquam simpliciter honestam ponere quam non ponere. Tandem *De bono possibili.* Etenim impossibilium nulla est obligatio, sive impossibilitas sit moralis, quæ exsurgit ex prohibitione legis, sive sit physica, quæ est ex incapacitate virium et defectu proportionis medii ad finem. Qua in re animadvertendum est impossibilitatem ex defectu virium et capacitatis aliquando reduci ad magnam difficultatem qua res arduæ dicuntur impossibiles. Hoc in sensu impossibilitas sumitur cum sermo est de possibilitate legis applicandæ universæ communitati. Quare lex nimis ardua, seu quæ maximam secumfert difficultatem imponi nequit populo. Hinc quod optimum est sub lege non cadit. At cadere potest sub consilio ac proinde potest esse materia voti. Immo votum potest comprehendere etiam id quod exequi non potest suis ordinariis viribus, sed indiget aliqua gratia

Dei, ad illud exequendum. Quemadmodum est castitas perpetua juxta illud proverb. 'Scio quod non possum esse continens nisi Deus dederit'.

2. Prima divisio votorum est ut alia sint *solemnia* alia *simplicia*. Solemnia sunt quæ ab Ecclesia uti solemnia recognoscuntur. Reliqua vota licet ab Ecclesia probentur, simplicia nuncupantur. Etenim Bonif. VIII. *c. un. h. t. in 6°.* docet *vota solemnizari ab Ecclesia.* Porro hæc solemnizatio duo importat. Primo quidem Ecclesia judicat auctoritate sua aliquod genus actionum revera perfectionis medium constituere. Unde ille qui vovet hoc genus actionum præstandum in forma recognita ab Ecclesia, certus est in conscientia sua, promissionem datam esse de bono meliori et possibili illamque a Deo acceptari. Secundo autem solemnizatio præstita ab Ecclesia specialem effectum tribuit, qui in eo consistit, ut actus contra votum emissum non solum sit illicitus, sed etiam invalidus et irritus, dum actus contra votum simplex est in genere solummodo illicitus. Quare solemnitas voti non est qualitas intrinseca ipsi voto, sed in se eadem sunt vota solemnia et simplicia et utraque exhibent promissionem Deo factam. Solemnitas ergo voti est qualitas extrinseca, procedens ex actu legitimo Ecclesiæ, quæ approbans votum eidem tribuit virtutem irritandi actus contrarios. Quo posito mihi non arridet sententia eorum qui tenent votum solemne distingui a voto simplici quia in solemni voto adest acceptatio Dei per Ecclesiam ac proinde unum ab alio substantialiter distinguunt. Nam solemnitas voti *arg. cap. un. h. t. in 6°.* procedit in sensu supra exposito; et quoniam etiam votum simplex est promissio de bono meliori præsumi debet acceptatio ejus ex parte Dei.

3. 2ª divisio est ut alia vota sint *realia*, alia *personalia*, alia *mixta*. Realia ea sunt quibus promittitur res aliqua distincta, aut quæ distingui potest a facto mere personali ex. gr. eleemosyna, ædificatio, vel reparatio Ecclesiæ. Personalia quæ aliquid a persona determinata præstandum designant ex. gr. peregrinatio aut obsequium personale Deo præstandum, aut jejunium. Mixta sunt ea vota in quibus præter præstationem rei, etiam promittitur ipsa actio personalis. Ex. gr. si promittitur peregrinatio cum obligatione aliquid sacræ imagini donandi.

4. 3ª divisio est ut alia *non sint reservata*, alia *reservata*. Primi generis sunt ea quæ Prælatus ordinarius potest dispensare,

redimere vel commutare. Reservata autem sunt quæ exsuperant potestatem ordinarii superioris, sed ex speciali dispositione solum dispensare, redimere et commutare potest superior auctoritas in Ecclesia. Et primo quidem Summo Pontifici reservata sunt vota solemnia. Quoad vero vota simplicia ex *Extr.: 'Etsi dominici' fin. De Pœnitent. et remission. inter comm.* reservatur S. Sedi: 1°. Votum perpetuæ castitatis, 2°. votum religionis approbatæ ab Ecclesia, 3°. votum peregrinandi Romam seu ad limina Apostolorum, 4°. votum peregrinandi Hierosolymam ad sepulchrum Domini, 5°. votum peregrinandi Compostellam ad S. Jacobum. Reliqua vota simplicia subsunt potestati Ordinariorum, qui possunt noviter eadem sibi reservare.

De voti obligatione.

5. Quodcumque votum valide emissum ex virtute religionis obligat ad præstandum id quod promissum fuit. Quodsi votum cognoscatur et probationis capax sit, potest fidelis homo ab externo foro Ecclesiæ adigi ad illud implendum, præsertim si Ecclesiæ, vel causæ piæ intersit votum impleri *c. 6. h. t.* Porro votum personale aut etiam mixtum, nisi adsit impedimentum, implendum est ab ipsomet vovente. Neque enim valet principium 'qui per alium facit per se ipsum facere videtur'. Votum vero reale per alios impleri potest, immo debet impleri quando vovens per se ipsum nequeat illud implere.

6. Quæritur an obligatio votum implendi transeat ad hæredes. Si sermo sit de voto reali, certum est illud obligare etiam hæredem illius defuncti qui vovit, et non implevit votum. Nam successores tenentur ad solvenda onera realia antecessorum *c. 18. De censibus* et hæres adeundo hæreditatem tacite fecit suas obligationes illam afficientes. Vota autem personalia hæres implere non tenetur, quia præsumitur testatorem voluisse solummodo personam suam obligare. Excipitur casus quo hæres in se susceperit onus implendi votum quod defunctus non implevit. Votorum mixtorum executio ad hæredes transit quoad partem realem quoties pars realis a personali separari possit, seu quando pateat voluntatem voventis fuisse obligandi æque principaliter rem et personam suam, non vero quando pateat voluisse obligare principaliter personam, et accessorie rem, seu quando præstatio rei reducitur ad merum obsequium personale. Verum ad hæredem transit onus implendi

votum quoad partem realem et quoad personalem si utramque obligationem in se hæres susceperit. Species legitur in *c. 6. h. t.* de Duce Hungariæ qui ab Innoc. III. obligatur ad implendum votum paternum quod ipse Dux patri in extremis agenti se impleturum spoponderat, visitandi nempe Hierosolymitanam provinciam in forti manu seu cum exercitu et in humili corde. Hoc votum erat certe mixtum.

De voti redemptione.

7. Redemptio voti stricto sensu sumpta significat mutationem obligationis personalis in realem obligationem; arg. *c. 1. h. t.* in quo quæritur, an votum peregrinationis eleemosynis redimi possit, vel in aliud commutari. At communiter sub hac appellatione DD. intelligunt quamcumque liberationem ab obligatione voti. Hæc vero liberatio seu cessatio voti pluribus modis potest contingere. Primo loco immutatione status rerum. Quæ immutatio vel in votis personalibus contingit, cum persona vovens impedimento perpetuo detineri incipit, quo non amplius possit votum implere. Hoc in casu vovens non tenetur per alium obligationi, quam contraxerat, satisfacere. Sed huic theoriæ opponi videtur *c. 8. h. t.* in quo Summus Pontifex decernit ut illi, qui voto ultramarino se obstrinxerint idest voverint in bello terræ sanctæ christianæ militiæ auxilium, si nequeant in propria persona pugnare, teneatur quisque in bonum terræ sanctæ refundere eas expensas quas iturus fecisset. Resp. Votum peregrinationis hierosolymitanæ non erat simpliciter pro causa devotionis, et ad obsequium personale Christi sepulchro præstandum, sed erat potius mixtum et de votis realibus ita participabat, ut æque principalis esset obligatio personalis et realis. Nam revera votum emittebatur in subsidium terræ sanctæ. Igitur impedita persona, valebat votum quoad præstationem rei, quæ cedere poterat in subsidium terræ sanctæ. Iterum immutatio status rerum tum quoad vota personalia tum quoad realia verificatur quoties materia voti deficiat seu quoties opus Deo promissum fiat vel illicitum, vel impeditivum majoris boni ex. gr. si post votum peregrinationum, aut status clericalis quis velit ingredi religionem. Vel tandem quoties opus factum fuerit indifferens ex. gr. si cessaverit prorsus periculum ob quod quis sibi voto inhibuit ingressum in aliquam domum, cessat obligatio voti. Ad hanc immutationem status rerum reducitur etiam cessatio conditionis vel temporis in voto adjecti.

8. Liberatio vel cessatio voti contingit secundo loco per irritationem voti. Irritatio est actus, quo ille, a quo vel persona vovens, vel materia voti dependet, tollit obligationem voti. Unde votum per se est validum, et obligat quousque non fuerit irritatum. Hæc irritatio obligationis fit ex sola voluntate illius, a quo vovens ipse, vel voti materia dependet. Nam vota semper habere præsumuntur implicitam conditionem 'nisi contradicat ille cui vel vovens, vel materia voti subest'.

9. Et 1°. ex dependentia personæ potest superior regularis vota religiosorum irritare, quia voluntas religiosi inferioris effectum non habet nisi in quantum fuerit confirmata aut tolerata a Superiore. Excipitur votum transeundi ad institutum strictioris observantiæ. Qua in re Superior contradicere nequit, posito quod electio religiosi sit bonum melius. Episcopus vero non potest irritare vota clericorum sibi subjectorum nisi in quantum impediant utile ministerii ecclesiastici exercitium. Clerici enim licet sint Episcopo subjecti, tamen conservant juridicam personalitatem et retinent velle, et nolle. Unde Episcopus in clericos habet quidem jurisdictionem, seu auctoritativam potestatem, sed non habet potestatem dominativam. Si autem votum obviaret exercitio sacri ministerii ex. gr. si clericus voveret se non accepturum beneficium parochiale Episcopus posset votum hujusmodi irritare, quia in hoc clericus revera subditur Episcopo ceu judici competenti, et Superiori legitimo. 2°. Pater, et propriedictus tutor possunt omnia vota impuberum irritare; impuberes enim liberi et pupilli quoad omnem obligationem suscipiendam ob imbecillitatem judicii in jure censentur pendere ab auctoritate et directione patris vel tutoris c. *Mulier. 14. c. 32. q. 2.*

10. Ex dependentia autem ratione materiæ, et ne alienis juribus præjudicium inferatur 1°. pater, et curator possunt irritare vota puberum filiorum, et minorum si hæc vota cedant in damnum rerum paternarum vel administrationis curatori commissæ. Hinc pater irritare nequit vota filii de bonis castrensibus et quasi-castrensibus: quia hæc propria et libera sunt filii. 2°. Vir potest irritare vota uxoris quæ præjudicant eidem viro vel in debito conjugali, vel in administratione rei familiaris. Non potest vero vir irritare hæc vota si ab uxore ante matrimonium fuerint emissa. Potestas enim viri in uxorem incipit a tempore initi matrimonii: nec habet vim retroactivam.

11. Tertia liberatio vel cessatio voti contingit per commutationem ejusdem voti, idest per subrogationem alterius operis in locum operis promissi. Commutatio fieri potest in opus Deo gratum, vel majus, vel æquale, vel etiam minus. Commutatio voti in opus evidenter melius fieri potest etiam auctoritate privata, seu ab ipso vovente, arg. *c. 4. h. t.* et *c. 3. De jurejurando.* Non enim, ait Pontifex in cit. cap. 3., propositum infringit qui in melius illud immutat. At exceptio est 1°. quoad vota Papæ reservata, quæ non possunt immutari nisi in religiosa professione, arg. *c. 4. h. t.* 2°. quoad vota emissa cum juramento, quia duplex est obligatio in casu, una ex voto idest ex fidelitate, altera ex juramento quod est actus distinctus a voto, et supremus religiosi cultus. Quemadmodum infertur ex literis Apostolicis Bened. XIV. ad Pœnitentiarios urbis, datis *die 3. Decemb. 1749* § *3. n. 43.* quæ incipiunt *'Inter præteritos'*. Quare emissa professione religiosa quoad jusjurandum exposcenda esset relaxatio ejusdem. 3°. Excipiuntur vota emissa in utilitatem tertii, et ab eodem acceptata. Commutatio enim in casu læderet jus tertii per quasi-contractum acquisitum.

12. Commutatio voti in bonum æquale, vel inferius ut legitime fiat, requiritur causa vel utilitatis, vel difficultatis et auctoritas superioris. Nomine superioris venit non solum Romanus Pontifex sed etiam Episcopus quoad vota non reservata. Simplices sacerdotes commutare possunt si privilegium seu indultum habeant commutandi vota. Hoc privilegium concedi solet a Sacra Pœnitentiaria pro votis cum debitis limitationibus pro foro conscientiæ et in sacramentali confessione. Commutatio, si fieri possit, melius est ut a reali ad reale votum, a personali fiat ad personale. Pariter si commode possit fieri ad æquale bonum, faciendum non est ad minus.

13. Quarta liberatio fit per dispensationem voti. Dispensatio est actus legitimi superioris quo ex justa causa aufert titulum obligationis voti. Per dispensationem ergo deficit prorsus ipsa obligatio. Requiritur vero justa causa, quia potestas Ecclesiæ teste *Paulo 2. Cor. 13.* data est in ædificationem. Causæ autem sunt 1°. si votum conceptum fuerit ex minori deliberatione, ex. gr. in aliqua animi perturbatione, vel in ætate puerili, 2°. magna difficultas quæ adversatur executioni voti, inspecta præsertim conditione in qua vovens versatur; 3°. si ex obligatione voti notabile damnum vel spirituale vel temporale sequatur. 4°. Dispensatur

votum ob bonum commune Ecclesiæ vel reipublicæ arg. *cc. 5., 7. et 9. h. t.* At ex sensu horum capitum et *c. 1. h. t.* animadvertendum est dispensationem considerari in jure ceu rem odiosam, tollit enim penitus obligationem. Hinc ad eam deveniendum non est quando commutatio fieri potest. Unde Sacra Pœnitentiaria solet dispensare commutando.

14. Ad dispensandum requiritur auctoritas legitimi superioris. Absolutio enim a vinculo spirituali ab iis solum concedi potest, quibus dictum est 'quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo'. Quare dispensatio pertinet ad potestatem jurisdictionis. Legitimus vero Superior est pro tota Ecclesia Romanus Pontifex, qui dispensare potest non solum in votis simplicibus, sed etiam in solemnibus. Vi enim verborum Christi *Tibi dabo claves, . . quodcumque solveris* . . judicare potest legitime Romanus Pontifex de omni negotio spirituali fidelium et decernere quid agendum sit. Cui rationi accedit etiam altera: quia nempe solemnitas voti non est aliquid intrinsecum voto, ita ut natura sua votum solemne distinguatur a simplici; sed pendet ab Ecclesia, quæ acceptando promissionem, decernit esse nullos et irritos actus positos contra virtutem voti. Quare solemnitas votorum non limitat potestatem Romani Pontificis.

15. Pro subditis diœcesanis proprius Episcopus dispensat in votis simplicibus et sede episcopali vacante, Vicarius Capitularis, in quem ordinaria Episcopi jurisdictio transit. Insuper etiam prælatus exemptus seu nullius diœceseos qui jurisdictione quasi-episcopali gaudet, dispensare potest in votis simplicibus subditorum suorum. Cum vero Episcoporum potestas subordinata sit supremæ potestati Romani Pontificis, hinc Episcopus, et a fortiori prælati inferiores non possunt de lege ordinaria absolvere in quinque simplicibus votis reservatis S. Sedi. In his autem quinque votis potest etiam Episcopus juxta theoriam probatorum auctorum dispensare quando adsit impedimentum adeundi Romanum Pontificem et necessitas ob periculum animæ urgeat. Præterea Episcopus et alii prælati inferiores non possunt dispensare in votis solemnibus: probata sunt enim vota hæc ab Apostolica Sede.

16. Quoad vero vota simplicia Pontifici reservata animadvertendum est, reservationem horum votorum esse odiosam, quippe quæ potestatem ordinariam Episcoporum et aliorum prælatorum

restringit. Quare stricte accipienda est reservatio. Hinc DD. tradunt non esse reservata Romano Pontifici, sed dispensari posse ab Episcopo vel ab alio prælato jurisdictionis 1°. promissiones factas non Deo sed B. Virgini, vel alteri Sancto servandi castitatem perpetuam, ingrediendi religionem etc. 2°. Votum castitatis temporaneæ, votum castitatis conjugalis, votum non nubendi, non petendi debitum, non fornicandi etc. Et ratio est quia hæc vota non sunt completa et perfecta vota castitatis perpetuæ. 3°. Vota quæ non sint omnino certa. Unde reservata non sunt vota in quibus rationabiliter dubitari possit utrum adfuerit vera promissio seu intentio suscipiendi obligationem, vel plena deliberatio. In dubiis enim benignior pars est præferenda *Reg. 36. Juris in 6°.* 4°. Vota indeterminata prout sunt alternativa, quorum unum non est reservatum. Ex. gr. si dicatur: voveo castitatem perpetuam, aut jejunium perpetuum. 5°. Vota non absoluta idest concepta sub eventuali conditione, quoadusque conditio implementum non habuerit. Quoadusque enim conditio suspensa manet promissio non constituit verum votum obligationem inducens. Quin immo gravissimi DD. tenent vota hæc conditionata neque post impletam conditionem uti reservata haberi posse, quia ortum habuerunt a consensu imperfecto, et alligato conditioni suspensivæ: adventus autem conditionis cum non inducat novam voluntatem, non mutat naturam voti prius imperfecte emissi. Adeoque hoc votum non cadit sub reservatione quæ rigidæ interpretationi subjicitur. 6°. Quinque vota, de quibus supra, non sunt reservata, ac proinde dispensabilia ab Episcopo quoad circumstantias speciales accidentales adjectas a vovente ex. gr. si quis voverit peregrinationem romanam pedibus faciendam. Tandem si vovens scierit bene distinguere castitatem a virginitate et expresse voverit virginitatem perpetuam. Conf. Ferraris *Biblioth. can. v. Votum art. 3.* Ultimam vero exceptionem hic auctor undequaque non probat.

17. Ad materiæ de voto intelligentiam quæritur quid operetur valida dispensatio? Certum est apud omnes cessare per hunc actum Superioris obligationem voti. At obligatio potest cessare sive per actum legislatoris qui destruit vel suspendit virtutem legis, vel per actum auctoritativum judicis, qui declarat juridice et efficaciter pro tali persona, et pro tali re vinculum legis non verificari. Hinc etiam judex dicitur cum veritate absolvere reum ab actione legis.

18. Duplex est doctorum sententia. Alii cum Paludano in *4. d. 38. q. 4. ar. 4.* tenent dispensationem reduci ad actum quo declaratur materiam voti non esse amplius Deo gratam, et ratio est quia cum vota intercedant directe inter Deum et hominem voventem, constituunt legem inter Deum et ipsum voventem. Votum igitur producit jus favore Dei. Quare auctoritas Ecclesiæ proprie dispensare in voto non potest seu non potest destruere vinculum quod existit vi voti. Quare melius est si dicatur Superiorem ecclesiasticum auctoritative judicare, seu denuntiare talibus in adjunctis et circumstantiis versari hominem in quibus Deus votum ejus seu opus, vel promissam rem non acceptat, ac proinde locum esse cessationi voti. Ex hac sententia sequitur dispensationem voti etiam per Romanum Pontificem factam nullius esse valoris, quando causæ nullæ sint. Quare in voto non viget principium cæteroquin certum in materia dispensationum, illicitam esse, sed validam dispensationem factam a Superiore absque legitima causa, in specie legibus ecclesiasticis subjecta. Cujus regulæ ratio hæc est, quia in dispensatione legis ecclesiasticæ Superior procedit ceu legislator potestatem habens directam circa ipsam legem, et actus dispensationis sortitur valorem et effectum non a causa sed ab intentione seu voluntate superioris dispensantis. E contra valor dispensationis in voto juxta sententiam expositam totus ab existentia causæ procedit, qua posita Superior ecclesiasticus potest declarare cessationem obligationis ex defectu acceptationis Dei, non posita autem causa, nequit Superior denunciare cessationem voti. Quare in iis quæ a vovente proponuntur Superior proprie legem voti non abrogat, sed judicium fert super causis seu circumstantiis quæ ab eodem vovente proponuntur.

19. At alii auctores cum Lessio *De justitia et jure lib. 2. c. 40. Dub. XII. n. 98. et seqq.* animadvertunt officium declarandi materiam voti non amplius esse Deo gratam pertinere potius ad DD., quam ad prælatos. Hinc docent, dispensare in voto nil aliud esse quam relaxare voti vinculum, et tollere ejus obligationem condonando homini Dei debitum, quod erga Deum vovens contraxit. Probant autem in Ecclesia adesse hanc potestatem: 1°. ex perpetuo usu Ecclesiæ quæ debita fidelibus condonavit contracta erga Deum ex voto, juramento et similibus; 2°. ex Paulo *2. ad Cor. c. 2.* ubi scribit 'ego quod donavi, si quid donavi, in persona Christi'; 3°. ex verbis Christi *Matth. 16. Tibi dabo etc.* et *Matth. 18.*

Quæcumque etc. Quæ verba sunt generalia et intelligi possunt de omni vinculo quod homo potest contrahere erga Deum; 4°. ex ratione; si enim Deus dedit Ecclesiæ potestatem solvendi a vinculo culpæ et pœnæ, cur non etiam a voto? Auctoritas Lessii plurimi facienda et rationes allatæ maximi ponderis sunt. Unde hanc secundam sententiam priori præferendam esse censemus.

Titulus XXXV.

De statu monachorum et canonicorum regularium.

1. Cum in præcedentibus titulis actum sit de votis in genere et de ingredientibus religionem, in præsenti titulo specifice agitur de observantia trium votorum solemnium quæ in religione approbata emittuntur. Cum vero tractatio hæc potius ad moralem theologiam spectet quam ad jus canonicum, hinc duo solum materiæ tituli evolvemus, seu tractabimus de voto paupertatis et de lege clausuræ monachorum. Quoad votum obedientiæ solummodo animadvertimus, in aliquibus congregationibus votorum simplicium abusus irrepsisse, ut ex dispositione regulæ præsertim religiosæ mulieres tenerentur propriam conscientiam Superiorissæ pandere. Ad istos abusus compescendos, teste Bizzarri, in sua *Collectanea pag. 832.* S. Congr. Episcoporum et Regularium 'minime solet approbare aperitionem conscientiæ Superiorissæ, sed tantum permittitur, ut sorores, si velint, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progressus quoad virtutes. De aliis enim ab eis agendum est cum proprio confessario'.

2. Hisce obiter notatis sermonem instituimus primo loco de observantia voti paupertatis. Qua in re animadvertimus indifferens esse an religiosum institutum possidendi sit capax, vel ex eleemosynis et oblationibus manualibus vivat, semper enim singuli religiosi ex virtute emissi voti paupertatis possidere prohibentur. Ex quo sequitur, nullum religiosum etiam cum licentia Superioris habere posse proprie dictum peculium, quia abdicatio proprietatis adnexa est essentialiter regulæ monachali *c. 6. h. t.* Peccat ergo contra votum paupertatis religiosus qui etiam de Superioris licentia non quidem juridice, sed affectu et effectu tamquam sua retinet bona immobilia, vel census aut præstationes ordinarias sive in usum fructum, sive in usum, sive in administrationem privatam, sive in privatum commodum. Ita ex sensu *cap. 2. h. t.* ita etiam

ex Trid. *c. 2. sess. 25. De Reg.* et ex Const. Clem. VIII. *'Nullus omnino'* quæ renovata fuit ab Urbano VIII. in sua Const. 28.

3. At relate ad administrationem animadverti potest 1°. sub hac prohibitione non comprehendi œconomum seu confratrem qui bona monasterii ex commissione et ad nutum Superioris et in commodum monasterii administrat *cit. c. 2. Conc. Trid. sess. 25. De Reg.* et *cit. c. 2. h. t.* 2°. Pariter religiosi ex licentia vel expressa vel præsumpta Superioris non prohibentur retinere res mobiles sibi necessarias et iisdem rebus uti, easque impendere in suos usus honestos et moderatos. Trid. in *c. 2. sess. 25. De Reg.* 3°. Si sermo sit de legatis relictis personæ regulari sive in bonis immobilibus, sive in annuis reditibus, hæc legata cedunt monasterio si capax sit possessionis. Hinc peccaret contra votum paupertatis tamquam proprietarius religiosus ille qui horum bonorum vel annuorum redituum administrationem susciperet et in proprios usus converteret, vel in toto, vel in parte.

4. 4°. Idem dicendum de livellis, seu de annuis præstationibus quæ ex constitutionibus aliquorum monasteriorum præsertim Sanctimonialium fiunt pro singulis personis. Hæc scilicet livella debent a Superiore recipi et in capsa communi conservari. Expendi autem potest pecunia livelli a Superiore in usus necessarios personæ religiosæ, quod vero superest, cedit in bonum monasterii. Cæterum persona cui livellum solvitur de licentia superioris aliquid in eleemosynam vel in parvas donationes potest erogare. At hac in re sequens facienda est animadversio.

5. Quamvis perfecta vita communis non sit de essentia status regularis, tamen S. Sedes in votis habuit, ut ea observaretur. Pius IX. vero decreto edito *die 22. Aprilis 1851* hæc quæ sequuntur præscripsit per organum S. Congr. EE. et RR. Videlicet 1°. 'In omnibus Novitiatus domibus vita perfecte communis introducatur, et quæcumque indulta, privilegia, exemptiones familiæ illius individuis antea concessa derogata censeantur. — 2°. In domibus professorii, educationis et studii perfecta constitutionum observantia potissimum de paupertate revocetur. — 3°. In qualibet domo statuatur ærarium seu capsa communis cum solitis cautelis, in qua a religiosis omnibus non obstante quolibet privilegio deponenda erit pecunia, cum nil eis penes se retinere licitum sit præterquam quod constitutiones respectivæ permittant'. Qua dispositionum gradatione optime intelligitur quid ad sensum S. Congr.

distinguendum sit. Tres siquidem ibi innuuntur leges ceu conditiones religiosi status essentiales ab omnibus observandæ 1°. ærarium commune seu capsa depositi, quin tamen aut exactæ vitæ communis aut perfecta constitutionum observantia urgeatur. 2°. Perfecta constitutionum observantia præscindendo tamen ab exacta vita communi, quam forte Constitutiones non præscribant: quod non omnes indiscriminatim urget, sed domus tantummodo Professorii, educationis et studii. 3°. Perfectius Religiosorum tyrocinium atque institutio quibus vita perfecte communis absolute præscribitur.

6. Præ oculis haberi possunt responsiones datæ ab eadem S. Congregatione ad postulata Fr. Joannis Decii Labois S. Congr. de Somascha qui petierat: 1°. 'An Religiosi qui in domibus professis congregationis communem vitam sponte professi sunt, et observant a Superioribus pro libito transferri possint in domus in quibus illa vita non observatur? — 2°. An Religiosus semel abstractus ab vitæ communis observantia et in domum illam non profitentem translatus in posterum ad eandem vitam communem capessendam a Superioribus cogi possit? — 3°. An majores ordinis Superiores qui vitam communem non profitentur, domus in quibus illa vita communis observatur, in locum residentiæ sibi eligere et ibi commorari possint? Ex audientia Sanctissimi *die 1. Octob. 1852* Sanctissimus propositis dubiis rescribendum mandavit: Ad 1^m^ Negative. Si vero aliqua gravis causa concurrat, recurrat ad S. Congr. pro temporanea translatione. Ad 2^m^ Quoad futurum provisum in primo: relate vero ad præteritum si translatio fuit provisoria, affirmative. Secus hortandos esse. Ad 3^m^ Negative, nisi vitam communem profiteantur'.

7. Quoniam vero in nonnullis regionibus legislationes civiles post suppressos ordines regulares, singulos religiosos considerare cœperunt ceu totidem cives juris possidendi capaces, hinc S. Sedes speciales instructiones edidit pro conscientiarum directione. Sic habemus instructionem *diei 1. Dec. 1820* pro regularibus Belgii confirmatam a Leone XIII. *die 31. Julii 1878.* Sic etiam pro Italia habemus instructionem S. Pœnitentiariæ *diei 28. Junii 1866* et *18. Aprilis 1861,* quas superius summarie retulimus.

8. Religiosus vero qui voto paupertatis sive quoad possessionem, sive quoad administrationem vel usumfructum aut usum juxta datam explicationem contraierit, dicitur esse proprietarius, et

pœnis canonicis religiosorum proprietariorum subjicitur. Nempe 1°. qui inventus est proprietarius privatur voce activa et passiva per biennium *c. 2. sess. 25. De reg. in Tridentino.* 2°. Ex *capite 2. h. t.* removeri potest a communione altaris. 3°. In *c. 3. h. t.* post admonitionem regularem expellendum esse dicitur e monasterio. 4°. Religiosus qui in morte cum proprietate bonorum contra regulam sui ordinis repertus fuerit, quin eidem proprietati renuntiaverit, præsertim monitus a Superiore, caret sepultura ecclesiastica *cc. 4. 2. 6. h. t.* Religiosus insuper proprietarius subjicitur pœnis peculiaribus comminatis in constitutionibus proprii ordinis.

9. Ad materiæ complementum sciendum est ex dispositione *c. 6. h. t.* peccare contra votum paupertatis etiam illum religiosum qui de licentia superioris nimias expensas faciat ultra id quod est necessarium, in luxum et pompam vestium et ornamentorum; adeoque religiosum hunc esse corrigendum, et si in abusu insordescat, depellendum esse e Monasterio.

10. Veluti appendicis loco aliquid dicendum remanet de regularibus qui legitime et habitualiter extra claustra commorantur. Et primo quidem

De Regularibus qui ad Episcopatum promoventur. Quæritur utrum et quomodo Episcopus regularis teneatur proprii ordinis regulam observare.

In decreto Gratiani refertur *can. un. Statutum Caus. 18. q. 1.* ubi legitur: 'Statutum est . . . ut Monachus, quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, veluti legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habeat . . . Posteaquam (vero) Episcopus ordinatur, ad altare (idest ad Ecclesiam) ad quod sanctificatur et titulatur, secundum sacros canones quod acquirere potest, restituat'. Ex tenore hujus canonis duo sequi videntur 1°. virum regularem promotum ad Episcopatum non amplius teneri ad observantiam regulæ cui sese per professionem solemnem obligaverat; 2°. virum regularem quidquid acquirit post promotionem ad Episcopatum non sibi sed Ecclesiæ suæ acquirere. Hæc secunda conclusio uti certa retenta est, et retinetur, adeo ut, nisi Episcopus regularis indultum testandi obtineat a S. Sede non possit de bonis suis per actum ultimæ voluntatis disponere. Solummodo huic Episcopo DD. facultatem tribuunt ut ex Summi Pontificis licentia ob ipsam promotionem præsumpta, possit reditus

mensæ episcopalis et aliorum bonorum quæ fortasse acquisivit, in licitos et honestos usus impendere, prout exigit dignitas episcopalis. Quam rem ita exprimit S. Thomas in *2. 2. q. 88. art. 8. ad 3um* Episcopus regularis 'nihil debet habere tamquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ'. Unde quoad substantiam Episcopus regularis tenetur voto paupertatis, licet in illius observantia aliquo modo differat a simplici religioso. Quoad votum castitatis perpetuæ, ridiculum esset leve etiam dubium movere.

11. Relate vero ad votum obedientiæ dicendum est, illud in se inspectum non resolvi per promotionem personæ ad Episcopatum, sed ejus observantiam urgeri non posse, quia Episcopus non habet amplius Superiorem regularem cui subjiciatur. Sed si Episcopus a sua Ecclesia recesserit sive ob privationem, sive ob renunciationem, sive quia non possit aut nolit residere in diœcesi, redire debet ad claustra religiosa, et subesse Superioribus, et regulas observare tenetur. Ita ex Decreto Alex. VII. mox cit.

12. Quid vero dicendum de observantia regulæ ordinis religiosi? Non infimæ notæ auctor Andreuccius *De Episcopo titulari part. 3. n. 163.* docet Episcopos regulares ad regulæ observantiam teneri ex *sola decentia et honestate,* et id probare conatur ex canone *statutum* superius relato. At S. Thomas in *art. 8. q. 85. 2. 2.* explicans canonem hunc *statutum* hæc habet: 'Ille qui de Monacho fit Episcopus absolvitur a jugo monasticæ professionis non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quæ officio pontificali repugnant'. Quare DD. communiter tenent religiosum ad episcopalem vel Cardinalitiam dignitatem evectum substantialiter religiosum permanere. Conf. De Lugo *Resp. Moral. lib. 5°. dub. 12.*

13. Huic theoriæ adhærens Alex. VII. in decreto *diei 26. Julii 1662* super residentia Episcoporum confirmato a Clemente XI. *ann. 1715* et extenso ad Episcopos regulares in Vicarios Apostolicos, administratores et visitatores deputatos 'decernit insuper et declarat Sanctitatis suæ mentem nequaquam esse, eosdem Episcopos, si regulares fuerint, ab obligationibus professioni regulari, quam emiserunt, adnexis per adeptionem dignitatis, ac muneris episcopalis ullatenus absolvere ac eximere nisi quatenus ejusdem muneris, ac curæ pastoralis exercitio impedimenti sit'. Accessit Constitutio *Custodes* Benedicti XIII. *die 7. Martii 1725* ubi

hæc habentur: 'Statuimus, atque sancimus, ut ex monastico, regulari et mendicantium instituto ad episcopalem seu quamcumque aliam dignitatem et S. R. E. Cardinalatum jam evecti et in posterum evehendi, universis et singulis suæ regulæ officiis et obligationibus quæ pontificale sive cujusque alterius dignitatis aut Cardinalatus officium minime impediunt perpetuo subsint . . . ac proinde sui monastici ordinis, sive alterius regulæ mendicantium insignia et propria indumenta lanea suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque . . . coronam præferant quibus antea . . . ex solemni sua professione . . . tenebantur, a cujus professionis obligatione . . . neutiquam absolvuntur . . . Propterea hujusmodi Episcopis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus et mandamus ut omnia et singula præsentibus literis nostris hactenus recensita undequaque observare non differant. Si vero . . . hoc agere contempserint, vel neglexerint, eos pœna suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto incurrenda tamdiu innodatos declaramus donec . . . relaxationem . . . meruerint obtinere'.

14. Tandem teste Card. Bizzarri in *Collectanea pag. 773* proposito dubio 'An et quomodo Episcopus regularis teneatur ad observantiam regulæ suæ professionis' Sacra Congr. EE. et RR. *die 6. Maji 1864* respondit 'affirmative ad præscriptum Const. Ben. XIII. incip. *Custodes:* nempe Episcopus Regularis tenetur observare regulas suæ religionis, quæ materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observationes dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem, ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illæ conveniant'. Hæc resolutio probata fuit eadem die *6. Maji 1864* a Summo Pontifice Pio IX. Ex hisce omnibus optime noscitur quænam sit obligatio circa regulæ observantiam qua Episcopi religiosi tenentur.

15. *De Religiosis qui ex Indulto Apostolico vivunt in sæculo.* Indultum quod dicitur sæcularisationis solet concedi vel ad tempus, vel in perpetuum. Religiosus qui ad tempus ex concessione S. Sedis degit extra claustra, remanet verus religiosus et quidem aliquando indultum conceditur sub conditione retinendi habitum proprii ordinis, aliquando autem conceditur licentia dimittendi vestem regularem. Hac vero in secunda hypothesi religiosus debet sub vestibus sæcularibus aliquam partem religiosi habitus singularis gestare. In utroque

autem casu religiosus ita dimittitur ut tempore quo moratur extra claustra subjiciatur Ordinario *in vim etiam voti solemnis obedientiæ.* Hinc quoad istos religiosos ratio vitæ regularis parum immutatur et bona quæ congregant cedunt propriæ religioni quemadmodum patet ex resolutione *diei 19. Januarii 1829* Congr. specialis deputatæ a Leone XII. et approbata a Pio VIII. *die 26. Junii ejusdem anni.* Si autem sermo sit de religiosis in perpetuum sæcularisatis, istis conceditur indultum manendi in sæculo quoad vixerint in habitu presbyteri sæcularis, si sint in sacris ordinibus constituti, vel in habitu decenti si sint tantum clerici, vel conversi. Sequens vero clausula injungitur: 'Retento interius aliquo sui regularis habitus signo . . . ita tamen ut substantialia votorum suæ professionis cum statu compatibilia observet, et sub obedientia Ordinarii etiam in vim voti religiosi vivat'. Quod si agatur de religiosis laicis vel etiam de clericis, qui in sacris ordinibus non sint constituti additur alia clausula, nempe firmo voto castitatis.

16. In ordine ad hujusmodi indultum merito adnotat Card. Bizzarri in *Collect. pag. 775.* 1°. Perpetuo sæcularisatos considerari ceu personas perpetuo abscissas a sua familia regulari. 2°. Istos sæcularisatos teneri ad observandum votum castitatis, et ad observanda substantialia aliorum votorum. 3°. In indulto non injungi sæcularisatis observantiam regulæ ordinis religiosi. Quare si in professione præter tria vota communia, religiosus quartum votum emisit ex. gr. votum abstinentiæ a carnibus, post sæcularisationem substantialiter illud observare debebit, non vero debebit observare jejunia quæ a regula præcipiuntur, sed non fuerunt objectum specificum voti. Et ratio est quia vota directe obligant personam et per consequens eandem comitantur etiam post egressum a religione: e contra præcepta regulæ obligant personam, quatenus ad regularem familiam pertinet. Igitur post egressum legitimum personæ ab ordine religioso, cessat quoad personam illam obligatio præceptorum regulæ ordinis propriæ. 4°. Quoniam perpetuo sæcularisati servare debent votum paupertatis in substantia, hinc ipsos posse utique bona, si quæ possident, in honestos et licitos usus adhibere, et præsertim in propriam sustentationem erogare, at eorundem bonorum verum dominium non habent, ac per consequens sine licentia S. Sedis de iis libere et præsertim causa mortis disponere nequeunt, sed cedunt Cameræ spoliorum ut supra vidimus in tit. *De pecul. Cleric.* 5°. Sæcularisatos absque indulto

Sedis Apostolicæ assequi non posse beneficia ecclesiastica. Continent enim verum jus percipiendi suosque faciendi fructus temporales.

De lege clausuræ.

17. Nomine clausuræ venit totum illud spatium quod muris seu septis monasterii clauditur. Hanc clausuram utpote maxime conducentem ad observantiam regulæ monasticæ vehementer tuetur lex ecclesiastica. Primo loco agemus de clausura monialium deinde virorum. Et quoniam infringi potest lex clausuræ sive per egressum monialium e monasterio, sive per ingressum personarum extranearum: hinc primo agemus de egressu monialium e monasterio.

18. De hoc egressu agit *c. un. h. t. in 6°.* quod renovatum est a Conc. Trid. in *c. 5. sess. 25. De Regul.* In istis locis decernitur 1°. Episcopum obligari sub gravi ad procurandam observantiam legis clausuræ ubi clausura adest, et ad eam restituendam, ubi fuerit violata. 2°. Decernitur ut in monasteriis sibi subjectis Episcopus auctoritate propria, in exemptis vero procedere possit auctoritate Apostolica. 3°. Ut Episcopus possit contra inobedientes et contradictores censuras et alias pœnas decernere, quacumque appellatione postposita et invocare etiam brachium sæculare. 4°. Ut nulla ex monialibus possit egredi ex monasterio post professionem etiam ad breve tempus nisi ex aliqua legitima causa approbanda ab Episcopo.

19. Hæc vero causa probari debet ab Episcopo in scriptis etiam in monasteriis exemptis ita ut licentia Superioris regularis monasterii non sufficiat. Quare in monasteriis exemptis concurrere debet licentia superioris regularis et Episcopi. Ita in Const. S. Pii V. *Circa Pastoralis,* et in alia Const. subsequenti *Decori 1. Febr. 1570.* In hac insuper Const. *Decori* causæ egressus monialium a monasterio ad tres reducuntur: 1°. magnum incendium; 2°. lepram; 3°. epidemiam. Porro ex declaratione S. Congr. EE. et RR. *mensis Sept. 1720* Archiepiscopo Avenionensi transmissa, patet sub appellatione epidemiæ venire morbum contagiosum, quo aliqua monialis laborat. Unde monialis hæc ne alias inficiat egredi potest e monasterio. Quare epidemia generalis in civitate vel oppido, et timor ne morbus propagetur, et moniales etiam afficiat, causa egressus monialium a monasterio esse non potest. Conf. Card.

Bizzarri in *Collect. pag. 345.* Si quæratur utrum taxative vel demonstrative tantum fuerint hæ causæ designatæ, variant DD. sed ex praxi S. Congr. EE. et RR. patet causas præfatas fuisse demonstrative designatas.

20. Quod si illegitime egressa fuerit monialis, decernit Pontifex pœnam excommunicationis Papæ reservatæ tum in ipsam egredientem, tum in concedentes licentiam, concomitantes, receptantes. Porro ex declaratione S. Congreg. Conc. in *Comen. et Licien. 16. Sept. 1709* hanc excommunicationem incurrit monialis ascendens supra tectum Monasterii; censetur enim esse extra ambitum et limites clausuræ. Insuper S. Pius V. in eadem Const. contra monialem illegitime egredientem et superiores vel præsidentes illegitime concedentes licentiam decernit pœnam privationis ipso facto incurrendam officiorum et administrationum, necnon pœnam inhabilitatis ad illa officia et administrationes, et ad alia hujusmodi obtinenda. In Const. autem *Apostolicæ Sedis* renovatur pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ simpliciter reservatæ contra moniales exeuntes e clausura extra casus et formam a S. Pio V. in Const. *Decori* præscriptam.

21. Verum animadvertunt DD. ex defectu licentiæ non incurri descriptas pœnas quoties periculum est in mora, et res ulteriorem dilationem non patitur juxta regulam *c. 3. De verb. sign. in 6°.* § *nec quidquam* 'ab omni lege extrema necessitas est exempta'.

De ingressu extranearum personarum in Monasteria.

22. In *c. un. h. t. in 6°.* interdicitur ingressus in monasterium monialium inhonestis personis absolute, et honestis nisi rationabilis et manifesta causa verificetur, et adsit præterea licentia Superioris. Conc. Trid. in *cit. c. 5. sess. 25. De Reg.* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet ingressum in monasteria monialium omnibus cujusque generis, conditionis et sexus et ætatis absque licentia Episcopi *vel* superioris in scriptis obtenta. Hæc porro qualitas disjunctiva quoad monasteria exempta sublata est a decreto Congr. Concilii approbato ab *Urbano VIII. diei 13. Nov. 1620.* Hinc Episcopi et Superioris simul licentia requiritur, nisi consuetudo ferat ut a solo Ordinario exposcatur licentia, ex alio decreto approbato ab eodem Pont. *diei 21. Maji 1621.*

23. Porro excommunicationem latæ sententiæ superius dictam reservarunt Papæ Const. '*Ubi gratiæ*' Greg. XIII. *13. Junii 1575*

et Const. *Monialium* Pauli V. *diei 10. Julii 1602.* In hisce Const. pœna excommunicationis expresse statuitur contra quoscumque etiam marchionali et ducali dignitate fulgentes, qui prætextu privilegiorum, quæ revocantur, septa monasterii ingrediuntur. Insuper gravissimæ pœnæ excommunicationis et privationis dignitatum, officiorum et beneficiorum latæ sententiæ, et inhabilitatis decernuntur contra superiores immediatos conventus introducentes quascumque personas. Constit. autem *Apostolicæ Sedis n. 6°.* renovat indefinite pœnam excommunicationis latæ sententiæ simpliciter reservatæ S. Sedi contra lædentes clausuram monialium ingrediendo absque legitima licentia monasteria monialium nec non eos introducentes vel admittentes.

24. Quærunt doctores an pœnæ in istis constitutionibus statutæ etiam feriant introducentes pueros et puellas non habentes usum rationis.

Videtur probabilior affirmativa sententia præsertim quia hæ constitutiones sunt ampliativæ dispositionis Tridentinæ *cit. c. 5.* in qua interdicitur ingressus personis cujusque ætatis. Et quidem Mattheuccius *Official. Curiæ cap. 32. n. 22.* plura decreta S. Congregationis affert, quæ in hoc sensu loquuntur.

25. Ex encyclica autem Bened. XIV. *Per binos 24. Jan. 1747* ad *Episcop. Portugalliens.* per modum legis statuitur non posse admitti in monasterium puellas educandas vel famulas, nisi de licentia S. Sedis toties quoties reposcenda. Ex Const. Greg. VIII. *Dubiis 23. Dec. 1581* de jure observandum est, ut prælati tum sæculares sive Episcopi, sive Cardinales, tum regulares ingrediantur monasterium in causis necessariis, et cum paucis personis senioribus et religiosis.

26. Ex Const. Alex. VII. *Felici 10. Nov. 1664* prælati regulares non possunt ingredi claustra monasterii monialium sibi subjecti 1°. nisi semel in anno ex causa visitationis faciendæ per seipsos, complendæque una die, post solis ortum ad solis occasum. Visitatio autem personalis facienda est ad crates extra claustra monasterii. 2°. Si pluries in anno ingredi debeant Monasterium, debent id agere cum Episcopo, ac persona ecclesiastica ab eodem deputanda. 3°. Confessarii sive ordinarii sive extraordinarii possunt ingredi solummodo ad conferenda Sacramenta infirmis monialibus, vel ad animæ commendationem, et debent secum adducere

socium maturæ ætatis et probatæ vitæ. Ratione necessitatis possunt ex sola licentia Abbatissæ ingredi monasterium medici, chirurgi, operarii et opifices. Tandem quoad ingressum in monasterium monialium præ oculis haberi debet Const. *Salutare* Bened. XIV. *3. Jan. 1742 § 3.* ubi sub pœnis supra relatis interdicitur hujusmodi ingressus quibuscumque personis etiam S. R. E. Cardinalibus, exceptis locorum Ordinariis, aliisque superioribus, quibus tamquam Ordinariis monasteria subjecta sunt in casibus necessariis, et servatis aliis de jure servandis.

27. Ad hujus materiæ complementum animadvertimus clausuram aliam esse papalem, aliam episcopalem. Clausura papalis locum habet in Monasteriis monialium, in quibus adest solemnitas votorum, adeo ut positis votis solemnibus, clausura de jure subjiciatur protectioni, et tutelæ S. Sedis. Const. S. Pii V. *Circa pastoralis officii* et S. Congr. EE. et RR. in *Policastrensi diei 6. Dec. 1839. Collect. Card. Bizzarri pag. 96.* At non desunt exempla domorum religiosarum votorum simplicium, quibus ex speciali dispositione S. Sedis imposita est lex clausuræ papalis. *Collect. loc. cit.* — In genere autem clausura episcopalis locum habet in domibus religiosis votorum simplicium, quoties ab Episcopo alicui ex istis domibus clausuræ lex fuerit præscripta. Differentia autem inter papalem et episcopalem clausuram in eo posita est, ut in papali clausura S. Sedes tantum non autem Episcopus dispensare possit, dum episcopalis clausura ab Episcopo dependet. Quare posita clausura papali Episcopus tantum in casibus expressis in jure dispensare potest, in aliis requiritur licentia S. Sedis, tum quoad egressum monialium tum quoad ingressum personarum extranearum in monasterium.

De clausura virorum.

28. Clausura virorum quoad egressum ex Const. *Nullus* Clementis VIII. super reformatione regularium consistit in eo ut nullus religiosus e septis monasterii absque licentia superioris, et accepta benedictione exire audeat. Contravenientes gravi pœna etiam carceris arbitrio superioris plectuntur. Animadvertunt vero DD. sufficere licentiam rationabiliter præsumptam Superioris, nec egressum sine licentia si fiat absque contemptu et scandalo lethalis peccati reitatem secumferre. Quisque autem intelligit nos hic non loqui de fugitivis et apostatis qui certe rei sunt gravis culpæ.

29. Clausura monachorum quoad ingressum in eo sita est, ut in monasteriorum septa mulieres omnes ingredi prohibeantur etiam prætextu cujuscunque privilegii concessi ante S. Pium V. et Gregorium XIII. Nam revocantur hæc privilegia ab istis Pontificibus, a S. Pio V. in Bulla *Regularium personarum* et subsequente ejus declaratione *Decet Romanum Pontificem,* a Greg. XIII. in Const. *Ubi Gratia.* Ex quibus Constitutionibus patet omnes et singulas mulieres sive ex prætextu privilegii, sive absque titulo privilegii ingredientes, et ipsos religiosos introducentes incurrere pœnam excommunicationis latæ sententiæ; religiosos istos insuper introducentes mulieres incurrere pœnam privationis officiorum quæ habent, inhabilitatem ad alia obtinenda, nec non suspensionem a divinis. De hac suspensione tacet Const. *Apostolicæ Sedis,* quæ tamen inter excommunicationes simpliciter reservatas R. Pontifici sub n. VII. recenset excommunicationem contra 'Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliosque eas admittentes'.

Titulus XXXVI.

De religiosis domibus ut Episcopo sint subjectæ.

1. In sensu tituli arg. *cc. 4. et fin. ejusd.* sub appellatione *domus religiosæ* venit locus pius erectus auctoritate Episcopi licet non consecratus: scilicet monasteria, xenodochia pro peregrinis, nosocomia pro infirmis, domus pro puerorum vel puellarum educatione, confraternitates, congregationes et in genere loca pia ad caritatis vel religionis opera exercenda, quæ fuerint auctoritate Episcopi instituta. Ex ipsa rubrica tituli quæ sensum habet determinatum et ex *cc. 3., 6., 7. et 8. h. t.* de jure communi Episcopus, qui nativo jure moderatur opera caritatis et religionis in sua diœcesi, præest religiosis domibus; seu religiosæ domus subjiciuntur jurisdictioni Episcopi. Hæc vero subjectio consideratur 1°. relate ad erectionem; 2°. relate ad modum existendi seu regimen earum.

2. Erectio, seu fundatio, aut ædificatio locorum religiosorum fieri debet cum interventu auctoritatis Episcopi *c. 4. h. t.* Hinc privatus homo poterit motu proprio erigere hospitale, sed religiosus locus non erit, nec immunitate aliisque privilegiis locorum piorum gaudebit, nisi Episcopi auctoritas intercesserit. Ita communiter DD. Aliquid vero dicendum de locis religiosis pertinentibus ad instituta Regularium. De erectione novorum monasteriorum sta-

tuit Trid. *c. 3. sess. 25.* erigi eadem non posse sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia. Accesserunt decretum Clementis VIII. *Quoniam ad institutum, 23. Julii 1603,* Decretum Greg. XV. *Cum alias* et Urbani VIII. *Rom. Pont. 21. Jan. 1625.* Ex his Constitutionibus deprehendimus 1°. novam erectionem monasteriorum, domorum, collegiorum, aut conventuum cujuscumque ordinis religiosi sive mendicantium sive non perfici non posse absque licentia Episcopi loci et servata forma sacrorum canonum. Si secus fiat erectio a Superioribus regularibus, contra ipsos decernitur pœna privationis vocis activæ et passivæ, officiorum inhabilitatis et etiam excommunicationis. 2°. Episcopus audire debet alios religiosos loci, et ad quatuor millia passuum distantiam incolentes, necnon cæteros interesse habentes in executione perficienda. Solet ad hunc effectum affigi ad valvas Ecclesiæ decretum ut omnes novam erectionem faciendam cognoscant, et querelas si quas habeant contra illam moveant. 3°. Episcopus antequam consentiat, tenetur perpendere an saltem duodecim religiosi ali possint, et sustentari in monasterio sive ex reditibus, sive ex oblationibus et eleemosynis fidelium. Si quæratur utrum necessaria sit licentia etiam S. Sedis dicendum est eam certe requiri pro Italia et insulis adjacentibus. Ex Constitut. *Instaurandæ* Innoc. X. *an. 1652* Benedictus XIV. *De Syn. diœc. lib. 9. c. 1. n. 9.* docet communem sententiam esse et a tribunalibus adoptatam, requiri hanc licentiam etiam extra Italiam et adjacentes insulas.

3. De subjectione domorum religiosarum Episcopo quoad modum existendi seu regimen earum.

Si sermo sit de locis religiosis quæ ad familias regulares non pertinent, ratione subjectionis duo præsertim Episcopo competunt, scilicet jus visitandi eas, et jus exigendi quotannis ab administratoribus rationem administrationis rerum gestarum *c. 8. sess. 22. De Ref.* et *c. 9. ejusd. sess.*

4. In specie autem de religiosis locis spectantibus ad familias religiosas seu regulares hæc scitu necessaria sunt: Jure decretalium quamvis exemptio jam inducta erat, tamen adhuc vigebat principium 'omnia loca pia esse sub Episcopi potestate nisi contrarium probaretur', seu nisi probaretur exemptio. Exemptio enim non concedebatur in genere ordinibus religiosis, sed domibus singulis. Principium generale sumitur *capp. 1., 4., 6. h. t.,* exceptio præsertim in *c. 8. h. t.* exhibetur. At ex *c. 8. sess. 25. De Reg.*

in Tridentino exempta sunt tamquam ex regula generali omnia monasteria regularium ordinum a S. Sede approbatorum saltem in congregationem redacta.

5. Accessit inde regula statuta in decretis de celebratione Missæ S. Congr. Concilii *die 21. Junii an. 1625* § *14.* editis auctoritate Urbani VIII., et est, ut Monasteria omnia, Conventus, domus, congregatio regularium sive intra sive extra Italiam seu ultra mare et ultra montes nullibi recipiantur, nisi præter alia requisita in singulis ejusmodi locis duodecim saltem religiosi degere et ex reditibus vel ex consuetis eleemosynis competenter ali et sustentari possint, alioquin monasteria et loca hujusmodi post illam epocham seu post diem *21. Junii 1625* recipienda, in quibus 12 religiosi sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, intelliguntur subjecta esse visitationi, correctioni atque omnimodæ jurisdictioni Ordinarii. Conf. Fagn. *ad cap. 1. De instit. n. 52.* Animadvertendum vero est per hanc subjectionem potestati Ordinariorum parvos Conventus non fuisse subtractos a jurisdictione prælatorum regularium, ceu resolutum fuisse refert Fagnan. *com. in c. 4. De off. ord. n. 41.* Hinc in negotiis expediendis datur cumulativa potestas Ordinariis et prælatis regularibus.

6. At quid dicendum de monasteriis erectis ante decretum Urb. VIII.? De ipsis in genere valet dispositio Tridentina in *c. 8. sess. 25. De Reg.,* ut si fuerint in congregationem redacta, scilicet si conjuncta simul sint ita ut superiores communes in provincia habeant et capitula triennalia possint celebrare, exempta remaneant ab jurisdictione Episcopi. In specie vero relate ad monasteria Italiæ et insularum adjacentium servandæ sunt Constitutiones Inn. X. *Instaurandæ,* data *idib. Oct. an. 1652,* et alia *Ut in parvis, 10. Febr. 1654.* In prima Constitutione Pontifex suppressit plura monasteria seu conventus in quibus ob redituum tenuitatem tot sustentari non poterant religiosi quot necessarii fuissent ad observantiam disciplinæ regularis. In altera duo statuit: 1°. restituit quosdam conventus suppressos in 1ª Constitutione sed vult ut quoadusque reditus non sufficiant ad sustentandos commode et revera cum effectu non sustententur duodecim religiosi, conventus, et religiosi subjiciantur jurisdictioni Ordinarii, tamquam S. Sedis delegati. 2°. In conventibus seu monasteriis non suppressis per primam Const. decernit Pontifex ut saltem sex reli-

giosi probatæ vitæ alantur quorum quatuor saltem sint sacerdotes maturæ ætatis. Quod si id quandocumque non verificetur decernit Pontifex religiosos subjici ipso jure visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii. Animadvertit præterea per hanc suam Const. se noluisse derogare decreto Urbani VIII. *21. Jun. 1625.*

7. Subjectio locorum piorum seu religiosorum auctoritati episcopali parit Episcopo jura et obligationes. Jura hæc et obligationes explicantur in titt. *De officio judicis ordinarii, De foro competenti, De censibus exact. et procurat.* In specie vero tenetur Episcopus advigilare, ut administratio rite procedat. Hinc administratores, sublato quolibet privilegio et consuetudine, tenentur reddere Episcopo quotannis rationem gestorum. Ita in *c. 9. sess. 22 De Ref. in Tridentino.*

8. Ad materiam tituli complendam dicendum aliquid est de *c. 9. h. t.* in quo prohibetur quominus novæ instituantur religiones et habitus assumatur in nova religione non adprobata. Hanc legem renovavit Gregor. X. in *c. un. h. t. in 6°.* et expresse reservavit S. Sedi adprobationem novorum institutorum religiosorum. Faciunt etiam ad rem *Clem. 1. h. t.* et Extrav. *Ratio recta* inter comm. *h. t.* necnon *cap. un. eod. tit. inter Extrav.* Joann. XXII. Ex quibus constitutionibus sequitur, nullum amplius institutum religiosum de novo institui posse ut jura et privilegia regularium habeat in Ecclesia nisi assentiatur Apostolica Sedes.

9. S. Sedes autem adprobare solet nova instituta vel cum votis solemnibus, vel solum cum votis simplicibus. Et quidem in formula generali approbationis instituti religiosi cum votis simplicibus solet S. Sedes integram relinquere jurisdictionem Ordinariorum. Unde religiosi institutorum hujusmodi ordinarie loquendo subduntur proprio Superiori quoad regimen internum, in reliquis Ordinario loci subjici solent. Animadvertendum vero est 1°. prohibitionem de non assumendo novo habitu intelligendam esse de habitu a pluribus collegialiter viventibus assumpto. Insuper hæc dispositio ita saltem in praxi explicata est ut non interdicatur in aliqua peculiari Diœcesi ex Ordinarii licentia congregationem quandam sive virorum sive mulierum in communi viventium instituere. 2°. Nullam censuram ipso facto, nec jure antiquo regulariter incurrere emittentes professionem in religione nondum adprobata vel admittentes ad professionem.

10. At exceptio erat quoad tres religiones positive suppressas ita ut qui ausus fuisset eas iterum excitare incurreret ipso facto pœnam excommunicationis. Tales sunt 1°. religio Beguinarum olim in Alemania existens, de qua agit *Clem. 1. De Relig. Domib.* et *Extrav. Ratio recta;* 2°. institutum fratricellorum seu fratrum de paupere vita Beguinorum seu Bizocorum, de quo agit *Extrav. Joann. XXII. Sancta Romana h. t.;* 3°. Congregatio Jesuitissarum, de qua in Bulla '*Pastoralis Romani*' Urbani VIII. *an. 1631.* Pœnam excommunicationis non renovavit Pius IX. in Const. *Apostolicæ Sedis.*

Titulus XXXVII.

De capellis monachorum et aliorum religiosorum.

1. Nomine capellæ in jure venit altare, aut oratorium, aut etiam ædicula sacra a templo sejuncta vel eidem adnexa. In sensu tituli nomine capellæ venit ecclesia curata seu parochialis unita monasterio.

2. Hæc unio potest esse *non pleno jure* scilicet ut ajunt quoad temporalia tantum. Per hanc unionem Ecclesia parochialis non mutat statum, sed permanet Ecclesia parochialis sæcularis, nec regitur per regularem, aut per vicarium, sed per clericum sæcularem et perpetuum parochum instituendum ab Episcopo a quo pendet plene quoad administrationem curæ animarum. Duo sunt in casu jura monasterii 1°. ut participet de fructibus beneficii; 2°. ut nominet clericum instituendum. De hac specie agit *c. 1. h. t.*

3. Secunda species unionis fit *pleno jure* et est quando titulus parœciæ transfertur in monasterium, ita ut monasterio vel ejus capiti competat administratio curæ animarum. Hæc unio mutat statum beneficii et ex sæculari illud facit regulare. Regitur autem per Vicarium qui potest esse etiam sæcularis quique destinatur a Superiore Monasterii, vel ab eo qui ratione officii habet titulum parœciæ. Debet vero probari ab Episcopo quia cura animarum in diœcesi pendet ab Ordinario. Hinc Vicarius quoad ea quæ ad curam et administrationem sacramentorum pertinent subest jurisdictioni, correctioni et visitationi Episcopi *c. 11. sess. 25. De Reg.* Potest vero removeri vel a Superiore regulari, vel ab Episcopo, qui rogat Superiorem regularem, ut eum removeat.

4. Tertia species unionis ea est quæ fieri dicitur *plenissimo jure* et tituli sæcularis quodammodo extinctiva, quæque locum habet cum non solum titulus parochiæ transfertur in monasterium regularium, sed ipse populus eximitur a jurisdictione Episcopi, et subjicitur prorsus monasterio. Per hanc unionem constituitur territorium separatum, et Ecclesia nullius. In hac parœcia unita monasterio nihil potest Episcopus sed parochus tum quoad institutionem, tum quoad correctionem et visitationem, tum quoad remotionem pendet a Superiore seu Abbate regulari Monasterii. De his parœciis unitis Monasteriis loquitur Tridentinum in 2ª parte decreti *c. 11. sess. 25. De Regul.*

5. Si quæratur in dubio quænam præsumatur facta unio, respondemus præsumi eam qui minus derogat juribus Episcopi, qui fundatam habet intentionem in jure pro libertate exercitii regiminis spiritualis in sua diœcesi.

Titulus XXXVIII.

De jure patronatus.

1. Vocabulo *patroni* latini scriptores usitantur ad significandum defensorem vel provinciæ, vel civitatis, vel particularis causæ. Scriptores vero ecclesiastici præsertim post sæc. XII. patronos appellarunt fundatores Ecclesiarum aut beneficiorum et eos, qui ab ipsis causam habuerunt. Ex officio defensionis eosdem appellarunt advocatos, quamvis stricto sensu distinguerent advocatos et patronos ita ut patronus ille esset qui in omnia jura concessa fundatori succederet, advocatus vero qui succederet in officium defensionis ecclesiæ vel beneficii. Ita arg. *c. 9. h. t.*

2. Inspecta historia patronatus, inspectoque jure cuique patrono communi, jus patronatus definitur 'Jus seu potestas nominandi, vel præsentandi superiori ecclesiastico clericum promovendum ad beneficium vacans, competens fidelibus ob fundationem, ædificationem et dotationem Ecclesiæ'. Ex definitione duplex eruitur patronatus qualitas 1°. ut consideretur ceu vinculum juris a pluribus æquiparatum servituti, quo limitatur et circumscribitur potestas Episcopi in collatione Ecclesiæ vel præbendæ vacantis. Hinc clericus si fuerit idoneus, promovendus est ad beneficium vacans. Quare actus institutionis quo superior beneficium clerico præsentato confert non liberalitatis sed necessitatis actus dicitur. Secunda

qualitas est ut nempe patronatus sit jus spirituale; nam ordinatur ad collationem beneficii et personam legitime designat, quæ ex institutione Superioris officium, et stationem sacram occupet et exerceat. Hinc ex tit. *De simonia* scimus patronatum non posse nec vendi, nec emi, quin incidatur in simoniam. Porro quisque noscit simoniacam labem contrahi quoties vendatur, aut pretio comparetur, vel quod gratiæ Dei donum est, vel quod ecclesiastica constitutione sacrum est. Nonnisi ergo ex privilegio et concessione Ecclesiæ in laicis residere potuisset patronatus.

3. Definitio proposita deducta est ex principali jure quod patronis competit. At ut conceptus juris patronatus plenius tradatur ab aliis doctoribus sequens proponitur juris patronatus definitio. Videlicet 'Jus quoddam singulare certis in honoribus commodisque consistens, cui etiam certa onera cohærent, concessum iis qui beneficia vel Ecclesias fundarunt, ædificarunt, et dotarunt vel etiam iis qui ab iisdem causam habent'.

4. De variis speciebus juris patronatus.

Jus patronatus directe et proprie consistit in jure præsentandi clericum; at factum est ex usu Ecclesiæ ut institutor beneficii posset etiam designare genus personarum, vel ex aliqua familia, vel ex certa gente aut loco quæ personæ si essent idoneæ deberent a patrono necessario præsentari Episcopo ad assequendum beneficium. Hoc jus ut quis præsentari debeat, appellarunt DD. passivum patronatum, dum patronatum proprie dictum seu jus præsentandi appellarunt patronatum activum. Hinc prima divisio est in jus patronatus passivum et activum. Porro jus patronatus proprie dictum idest activum varias habet divisiones. 1ª Divisio est ut aliud sit ecclesiasticum, aliud laicale, aliud mixtum.

5. Ecclesiasticum est illud per quod provisum est Ecclesiæ, vel dignitati ecclesiasticæ non vero personæ. Scilicet est illud quod adnexum est alicui Ecclesiæ, vel præbendæ, vel officio sacro ita, ut jus habeat præsentandi ad beneficium patronatum clericus qui ad Ecclesiam illam pertineat, vel habeat præbendam aut officium. Quare jus nominandi procedit ex titulo ecclesiastico. Laicale illud est quod patrono competit ex titulo civili, ex. gr. ex successione in aliqua familia. Nec officit si accidentaliter exerceatur ab aliquo clerico. Nam si ex titulo laicali clericus acquisivit jus præsentandi jus patronatus non desinit esse laicale.

6. Mixtum jus patronatus est quod simul competit ex titulo ecclesiastico et ex titulo laicali ex. gr. si ad aliquod beneficium jus habeat nominandi Parochus alicujus Ecclesiæ, et individua alicujus familiæ.

De qualitate hujus patronatus est ut in particularibus casibus sequatur regulam vel patronatus laicalis vel ecclesiastici, prout magis uni quam alteri faveat jus. Excipitur casus quo ex conventione alternative præsentet clericus et laicus.

Jus patronatus competens universitatibus laicalibus laicale est, et etiam laicale est quod competit confraternitatibus seu sodalitiis laicorum. Nam quamvis opus pium compleatur a confratribus, tamen hoc opus a laicis personis perficitur, nec sodalitium haberi potest ceu capitulum, et congregatio ecclesiasticarum personarum.

7. 2°. Jus patronatus dividitur in personale et reale. Personale est quod in rem non concipitur, sed vel certæ personæ, vel certo personarum generi conceditur ex. gr. filiis et descendentibus filii in infinitum. Reale illud est quod alicui competit intuitu certæ rei vel certi juris realis, ita ut semper transeat in quemcumque possessorem ejusdem rei vel juris ex. gr. si adnexum sit castro, villæ aut fundo vel officio alicui.

8. 3°. Dividitur in hæreditarium, familiare, gentilitium et mixtum. Hæreditarium est quod relinquitur hæredibus sive testatis, sive intestatis. Hinc si filius se abstineat a paterna hæreditate, vel extraneus hæres hæreditatem repudiet, eo ipso amittunt jus patronatus. Si unus vel alter repudiaverit hæreditatem jus patronatus accrescit aliis hæredibus adeuntibus hæreditatem. Repudiantibus omnibus hæreditas dicitur jacens. Ex beneficio prætorio seu a judice datur hæreditati jacenti curator. Curator datus exercet jus patronatus. Non idem vero dicendum de executoribus testamentariis; nam cum adsit hæres testamentarius hic erit patronus. Filius cui relicta sit portio legitima, cum honoretur post Justinianum titulo hæredis, consequitur cum aliis hæredibus jus patronatus hæreditarium. Non ita vero hæres in re certa quia comparatur legatario. Exceptio duplex est 1°. si jus patronatus sit reale, et adnexum fundo illi hæredi relicto; 2°. si aliis hæredibus repudiantibus hæreditatem hic totum assem hæreditarium assequatur.

9. Jus patronatus familiare ab aliquibus confunditur cum gentilitio et dicitur esse illud in quod succedunt, qui sunt de familia

fundatoris, vel alterius familiæ cui sit relictum. Verum pragmatici distinguunt familiam in extensivam, et contentivam. Extensivam dicunt eam, quæ ab institutore genita est, et ab eo veluti a communi stipite, vel proxime vel remote descendit, seu quasi extenditur. Contentivam appellant eam, quæ non solum institutoris filios et nepotes, sed etiam collaterales ejus complectitur. Quapropter familiare proprie dicitur jus patronatus quod comprehendit familiam quæ a fundatore vel a primo patrono instituto descendit. Gentilitium erit si comprehendet etiam familiam contentivam, seu collaterales idest gentem institutoris patronatus, vel personæ cui relictum est jus patronatus. Quare erit familiare jus patronatus si institutor dicat: relinquo jus patronatus omnibus masculis descendentibus ex masculis meis vel filii. Erit vero gentilitium si dicat: jus nominandi habeant omnes de mea domo et eorum successores. In hoc utroque jure patronatus non attenditur hæreditas sed solummodo vinculum sanguinis.

10. Porro jus patronatus familiare et gentilitium regulariter comprehendit solos masculos succedentes ex masculis. At aliquando concipitur ita ut comprehendat quoscumque successores, quare etiam a feminis acquiritur. Quo in casu descendentale vel lineale dici potest jus patronatus eo quod omnes lineas etiam cognatorum comprehendat. Aliquando concipitur ita ut complectatur solos agnatos scilicet masculos descendentes ex masculis, et feminas immediate per masculos institutori conjunctas. Quo in casu agnatitium dicitur jus patronatus. Quid si in hoc jure patronatus deficiat linea masculina? Pragmatici dicunt admitti in subsidium masculos feminarum. Nam institutor licet prædilexerit masculos de masculis, tamen non abhorruit a masculis de feminis sibi vinculo sanguinis conjunctis. Hoc vero ex præsumptione: hinc si contrarium voluisse institutorem pateat, excluduntur. Ex. gr. si dixerit beneficium, deficiente linea designata, fore liberæ collationis, vel si ultimo de agnatis dederit substitutum.

11. Mixtum jus patronatus participat simul de hæreditario, et de familiari: illud scilicet est ad quod obtinendum requiritur simul qualitas successionis sanguinis et successionis hæreditatis. Ex. gr. si testator dicat: relinquo jus patronatus Titio et ejus hæredibus et successoribus. Animadvertendum denique est jus patronatus familiare gentilitium et mixtum, etiam si fuerit relictum sub forma primogeniali in ultimo gradu lineæ contemplatæ transire

in hæreditarium, et proinde ultimum possessorem posse de eo disponere per actum ultimæ voluntatis nisi contraria appareat voluntas institutoris, qui scilicet vel noluerit in casu extinctionis lineæ liberam fore Ecclesiam vel substitutum dederit.

De modis, quibus acquiritur jus patronatus.

12. Considerari possunt modi quibus primum constituitur et existere incipit jus patronatus qui appellari possunt modi *originarii* et modi quibus in alios transfertur jus patronatus jam existens quique possunt dici *derivati*.

13. Modi originarii ad acquirendum jus patronatus alii dici possunt ordinarii alii autem extraordinarii. Modos originarios simulque ordinarios qui nempe ex institutione patronatus derivant exhibet versiculus 'Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus'. Hinc triplex est titulus primarius juris patronatus nempe fundatio, ædificatio seu constructio et dotatio Ecclesiæ. Ecclesiam fundasse dicitur qui fundum seu aream, aut terræ spatium concedit ut ibi ædificetur Ecclesia. Aedificasse ecclesiam dicitur qui ex consensu Ordinarii propriis sumptibus eam construxit. *Arg. 33. c. 16. q. 7.* et *cap. 25. h. t.* Qui vero absque Ordinarii consensu Ecclesiam construxit cum illicite egerit *arg. c. 9. De Censur. dist. 1.* non acquirit jus patronatus.

14. Quid vero dicendum de eo, qui restituit Ecclesiam collapsam vel collabentem? Pro acquisitione juris patronatus ædificanti æquiparatur qui penitus destructam Ecclesiam iterum ex Episcopi consensu excitat, quamvis utatur præexistentibus lapidibus et cæmentis *arg. c. 7. De jud.* Non vero jus patronatus acquirit qui in aliqua parte collabentem restituit quamvis diversis et successivis temporibus per partes totam renovaverit Ecclesiam. — Dotasse Ecclesiam dicitur qui sufficientes reditus tum pro decente ornatu Ecclesiæ tum pro sustentandis ministris adsignavit *can. 31. c. 16. q. 7.*

15. Adnotandum vero est, acquiri jus patronatus non solum ex tribus hisce titulis in eadem persona simul concurrentibus, sed acquiri etiam si in tribus personis concurrant. Hoc in casu tres erunt patroni quisque ex proprio titulo. Hinc unus esse poterit patronus fundatione, alius ædificatione, tertius dotatione. Ratio est quia canones distincte unumquemque titulum exhibent ut sufficientem ad obtinendum jus patronatus. Nec officit locutio Triden-

tini in *c. 12. sess. 14. De Ref.* 'Nemo nisi Ecclesiam, beneficium aut Capellam fundaverit et construxerit etc. . . . jus patronatus obtinere poterit'. Nam particula copulativa habet sensum disjunctivum juxta communem sententiam.

At non sufficit unus titulus ad acquirendum jus patronatus si reliqui tituli neque in aliena persona concurrant. Sic ex. gr. ædificator non fit patronus nisi adsit alius qui dotet Ecclesiam.

16. Originarii tituli tamen extraordinarii sunt privilegium et præscriptio. Relate ad privilegium non sufficit concessio Episcopi; nam argumento *cap. 9. sess. 25. De Ref.* abrogata in genere censentur jura patronatus concessa ex privilegiis. Hinc solus Rom. Pontifex potest ob plenitudinem potestatis conferre jus patronatus titulo privilegii.

17. Etiam præscriptio esse potest titulus acquisitionis juris patronatus, et est quidem originarius, si præscribatur jus contra Ecclesiam liberam, erit derivatus si contra existentem patronum fiat præscriptio. De prima specie præscriptionis agit Tridentinum in *c. 9. sess. 25. De Ref.* et distinguit inter personas privatas et potentes. Pro civibus et personis privatis in genere, ut acquirant jus patronatus contra Ecclesiam liberam requirit tempus immemoriale, et frequentiam actuum præsentationis. Doctores tenent sufficere binas præsentationes continuas. Pro potentioribus personis a quibus nempe solet plerumque jus patronatus acquiri ex usurpatione, præter alia ad immemorialem præscriptionem probandam requirit Tridentinum ut saltem ostendatur authenticis scripturis per quinquaginta annos locum habuisse et cum effectu continuas præsentationes. Nomine potentium personarum veniunt principes, imperantes, barones, duces locorum et etiam communitates et universitates. Quoniam ad præscribendum jus patronatus contra Ecclesiam liberam requiritur præscriptio immemorialis hinc non desunt qui dicant præscriptionem non constituere modum originarium acquirendi jus patronatus. Nam immemorialis præscriptio præsumere facit titulum. Unde præscriptio in casu est indicativa tituli originarii.

18. Si sermo sit de præscriptione juris patronatus contra præexistentem patronum in Ecclesia non libera, præscriptio regitur juxta normam aliorum jurium in re existentium. Hinc contra privatam personam cum titulo colorato præscriptio inducitur per decennium inter præsentes, per spatium viginti annorum inter ab-

sentes. Si autem probari non potest titulus coloratus requiruntur 30 anni. Quod si patronatus possideatur a Monasterio, Ecclesia, vel aliis locis piis, ad hoc jus præscribendum requiritur quadragenaria præscriptio.

19. Modi derivati translationis et acquisitionis juris patronatus sunt 1°. successio hæreditaria, 2°. alienatio. Successione hæreditaria cum universitate bonorum in hæredes sive ex testamento sive ab intestato transit jus patronatus, quod fuit proprium defuncti, nec eo mortuo ministerio juris in alium transire debebat *c. 1. c. 7. h. t.* et *Clem. 2. eod.* Si plures sint hæredes licet pro inæqualibus partibus, succedunt omnes in jus patronatus defuncti quod in solidum possident; arg. *c. 1. h. t.* et Gloss. ibi. Scilicet vel alternis vicibus nominant vel si simul nominent ille præsentatus censebitur, qui majorem numerum vocum patronorum obtinuerit.

20. Animadvertendum vero est aliquando successionem fieri in capita aliquando in stirpes. In capita successio verificatur cum plures jure proprio eidem personæ succedunt, quæ habuerat jus patronatus. In hac specie singula hæredum suffragia idem valent, ita ut qui plura retulerit suffragia censeatur nominatus. In stirpes vero successio perficitur 1°. cum duabus personis habentibus jus patronatus in solidum succedant distincti hæredes; 2°. cum patri habenti jus patronatus succedant filii, et nepotes ex filio præmortuo. Cum successio fiat in stirpes est locus juri repræsentationis, seu non computantur voces juxta numerum individuorum sed in relatione ad auctorem quem repræsentant. Hinc ex. gr. si ad patris hæreditatem duo filii admittantur, et tres nepotes ex filio præmortuo suffragia seu voces nepotum pro una voce computantur, seu pro ea quam habuisset eorum genitor si vixisset. Hoc principium distincte traditur in *Clem. 2. h. t.* ubi dicitur: 'Plures ab uno ex patronis Ecclesiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præsentatione rectoris'.

21. Alienatio juris patronatus tribus modis perficitur 1°. donatione, 2°. permutatione, 3°. venditione.

Jus patronatus personale et hæreditarium potest donari. Dixi hæreditarium: nam familiare, et gentilitium donari non possunt. In utroque enim donatio cederet in præjudicium futurorum vocatorum, qui suo tempore succedunt, et veniunt nomine proprio At ex *c. un. h. t. in 6°.* si donetur Monasterio, Ecclesiæ vel in genere loco pio non requiritur consensus Episcopi, ex sensu autem

contrario hic consensus requiritur, si fiat donatio in favorem privatæ personæ licet sit clericus. Excipiunt DD. donationem factam ab uno patrono reliquis compatronis. Nam arg. *Clem. 2. h. t.* possunt libere compatroni inter se convenire et disponere de nominatione alternative facienda.

22. Permutatione etiam acquiritur jus patronatus 1°. quoties res inter se permutentur in quibus adnexum est jus patronatus dummodo nulla æstimatio incidat in jus patronatus, ne labes simoniaca contrahatur *c. 5. De rer. permut.* 2°. quoties absque intuitu rei alicujus unum jus patronatus cum alio jure patronatus permutatur. Hoc vero in 2. casu *arg. c. 5. De rer. permut.* requiritur Ordinarii consensus.

23. Venditione potest acquiri jus patronatus. At nemo dixerit jus patronatus sive personale sive reale posse vendi per se sumptum: nam Simonia esset. Ex *c. 16. h. t.* deprehendimus hanc alienationem esse irritam ipso jure. Ex Tridentino autem *c. 9. sess. 25. de Ref.* eruitur tum emptorem tum etiam venditorem amittere jus patronatus, et siquidem non alii sint patroni innocentes Ecclesia libera redditur. Insuper ex eodem loco Tridentini vendentes subjacent excommunicationi, et interdicto et pretium acceptum non sibi retinere nec emptori restituere possunt, sed in bonum Ecclesiæ illius, quæ passa est injuriam, erogare debent.

24. Quomodo ergo per venditionem potest alienari, et vicissim acquiri jus patronatus? Ex *c. 7. h. t.* scimus jus patronatus reale per translationem rei in alium transire. At in pretio rei præfiniendo fieri nequit computatio juris patronatus, ne jus spirituale pretio comparetur.

25. Venditioni rei æquiparatur datio aut alia proprie dicta alienatio. Immo DD. tenent in emphyteutam, et feudatarium jus patronatus transire cum universitate bonorum vel prædio particulari quoties jus patronatus inseparabiliter conjunctum est cum universitate rerum, vel prædio illo quod conceditur in feudum vel emphyteusim.

26. Quibusnam possit competere jus patronatus.

Ut quæstio resolvatur duo elementa juris patronatus consideranda sunt. 1°. Illud institutum esse in signum grati animi Ecclesiæ erga fundatores, constructores et dotem constituentes Ecclesiarum, vel Beneficiorum. 2°. Quamvis consideretur ceu proprie dictum jus spirituale præsentandi clericum *c. 16. h. t.* tamen actum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

præsentationis non exhibere proprie dictam jurisdictionem, sed solum referre potestatem offerendi superiori Ecclesiastico efficaces preces quas nempe superior, si legitimæ fuerint, non potest despicere; idest non potest clericum idoneum intra terminos juridicos præsentatum respuere. Ex 1ª. consideratione sequitur competere jus patronatus non posse illis, quos non præsumitur gratos sibi Ecclesia experiri. Hinc Judæi, pagani, et infideles sunt incapaces juris patronatus personalis obtinendi. Ita DD. communiter.

27. Pariter hæretici de jure communi excluduntur a jure patronatus. Non enim merentur gratitudinem Ecclesiæ cui tamquam hostes adversantur. Ita Abbas *in c. 25. h. t.* et communiter DD. Excommunicati autem vitandi quoad usum juris patronatus repelluntur a jure. Cum enim censura sit pœna medicinalis quæ cessat cessante per reconciliationem contumacia, hinc ipsum jus patronatus non amittitur, sed solum suspenditur durante excommunicatione. Addunt vero auctores servandam esse institutionem præsentati ab excommunicato, si ejus nominationem acceptavit Ordinarius. Ratio est quia collatio tituli proprie ex institutione concessa a Superiore derivat. Ex 1ª. et 2ª. animadversione sequitur omnes prorsus fideles posse jus patronatus habere, sive clericos, sive laicos, sive masculos, sive fœminas, sive legitimos, sive illegitimos, sive puberes, sive impuberes. Nam cum ex una parte jurisdictionem non secumferat patronatus, et ex altera cum in genere loquantur canones de omnibus qui juris spiritualis ex concessione Ecclesiæ capaces sunt; ratio nulla est cur aliquis ex supradictis si gratitudinem Ecclesiæ promereatur privandus sit jure patronatus.

28. At pro infantibus vel furiosis præsentat pater tutor aut curator prout postulat diversa conditio. Pupillus minor, vel filius familias rationis compotes post septennium ætatis, si sint patroni præsentant absque auctoritate tutoris, curatoris, aut patris.

29. De juribus quæ competunt, vel non competunt patronis; nec non de oneribus relativis.

Sit primo loco sermo de iis quæ patrono prohibentur a jure. Patronus sive laicus sive Ecclesiasticus quacumque dignitate fulgeat non potest 1°. occupare bona, jura, fructus, et reditus Ecclesiæ seu beneficii etiam prætextu donationis suppositæ personæ. Quod si fecerit subjicitur anathemati quoadusque Ecclesiæ vel beneficiato omnia integre non restituerit, et absolutionem ab Apostolica Sede non fuerit assecutus; privatur insuper ipso facto jure patronatus.

Ita Trid. *sess. 22. de Ref. c. 11.* Unde patroni non possunt sese ingerere quacumque ex causa etiam prætextu consuetudinis cujusque in perceptione fructuum, proventuum et obventionum beneficii. *Trid. sess. 25. de Ref. c. 9.*

2°. Ex *c. 3. sess. 24. de Ref.* sese immiscere non potest visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricæ proventuum, nisi quatenus id eidem patrono competat ex institutione, ac fundatione scilicet ex lege fundationis beneficii.

3°. Poterit quidem patronus ab Ecclesia, vel beneficiato exigere pensionem modicam impositam in limine fundationis cum consensu Episcopi quæ pensio dicitur census antiquus, at etiam sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ non poterit censum novum imponere, neque hæc impositio sustinetur ex consensu qui forte præstitus fuit a rectore Ecclesiæ, vel possessore beneficii; nam uti nullius roboris contractus hujusmodi censetur *c. 23. h. t.*

4°. Relate ad personam clerici præsentati, et instituti in beneficio nullam habet patronus potestatem, et jurisdictionem. Hinc non potest clericum a beneficio removere *c. 4. h. t.*

30. Nunc ad partem positivam quæsiti.

Competit patrono jus clericum præsentandi ad Ecclesiam vel beneficium vacans *c. 8. et 9. h. t.*, quod jus licet non importet veram collationem Ecclesiæ vel beneficii, tamen si clericus præsentatus sit idoneus non potest a superiore Ecclesiastico rejici, aut alteri non præsentato posthaberi, ita ut collatio aliter facta ab Ordinario collatore, spreta nominatione patroni nulla sit, aut saltem irritanda ad querelam patroni *c. 14. h. t. et can. 32. c. 16. q. 7.* Excipitur Ecclesia conventualis sive sæcularis, sive regularis in qua est eligendus prælatus. Nam in hisce Ecclesiis prælatus eligitur a capitulo: facta autem electio honestatis et gratitudinis causa patrono communicatur, non ut eam confirmet aut infirmet sed ut, si velit, coram Ordinario, a quo danda est confirmatio, possit electionem ex justis causis oppugnare. Ita DD. in *c. 25. h. t. arg. ejusd. c. et arg. c. 14. De Elect.* circa finem.

31. Circa præsentationem plures institui possunt quæstiones. Et 1°. quidem animadvertendum est præsentationem fieri legitime ab eo, qui est in possessione juris nominandi ita ut si postea lis moveatur, et possessor juris in causa deficiat ejus adversarius in futurum nominet: at non poterit irritare nominationem iam factam ante litem *c. 19. h. t.* Hinc jus nominandi a DD. consi-

deratur ceu fructus possessionis. Quare si quæratur in specie juris patronatus realis adnexi alicui prædio concesso in emphyteusim vel usumfructum an directarius vel usufructuarius nominabit, vel potius dominus directus, et proprietarius DD. cum glossa *in id. cap. 19.* respondent usumfructuarium et utilistam jus nominandi habere. Idem vero non est dicendum de colono, aut de prædii conductore. Nam possessio fundi in adsignatione culturæ vel in locatione prædii remanet penes dominum fundi.

32. Quæritur an qui acquisivit dominium utile alicujus prædii in quo adest jus patronatus reale, possit præsentare seipsum vel consanguineos seu filios nepotes etc.

Videtur tenenda negativa sententia ex *cc. 6. et 26. h. t.* At rite intelligenda sunt hæc capita. *Caput 6.* agit de specie in qua quis quocumque modo comparat jus patronatus, seu etiam comparando prædium cui adnexum est jus patronatus reale in eum scopum ut possit suos filios, vel nepotes præsentare ad Ecclesiam vel Beneficium, et decernitur hunc esse privandum jure ipso præsentandi. Igitur excluso casu acquisitionis fundi, vel dominiis utilis in hunc scopum potest quis nominare suos filios, vel nepotes. Caput vero *26. h. t.* agit de nominatione sui ipsius ad prælaturam vel personatum et negat posse quemcumque sese nominare ad tale beneficium. Ratio est quia nominatio videtur præ se ferre indicium superbiæ, et vani ambitus. Ergo si sit beneficium simplex etiam in sensu canonum antiquorum poterit patronus seipsum præsentare, et quidem in libro decretorum S. Congr. Conc. *pag. 361.* reperitur resolutio S. Congr. in causa *Nullius, 14. Dec. 1630.* adprobata ab Urbano VIII. in qua indulgetur patrono, ut possit præsentare seipsum ad canonicatum et præbendam vacantem de suo jure patronatus.

Cæterum Doctores concedunt patrono ut possit etiam beneficium quod prælationem habeat sui juris patronatus acceptare, quoties absque præsentatione eidem hoc beneficium a superiore offeratur. Cessat enim ratio prohibitionis *cap. 26.*

33. Quæri potest quosnam possit patronus præsentare?

Respondetur eos tantum qui actu sunt digni, et habiles ad beneficium obtinendum. Nam cum per præsentationem quis ex parte patroni collocetur in conditione juris obtinendi beneficium necesse est ut capax sit ejusdem beneficii. Exercitium juris quod actu expletur supponit subjectum idoneum, in quo exerceatur. Hinc

invalida est præsentatio laici illegitimi, vel aliter irregularis sive ob defectum ætatis sive ob defectum conditionis etc. Nec valet quod brevi post præsentationem in sufficienti ætate constituatur, vel ad clericalem tonsuram promoveatur.

34. Quid vero si patronus præsentaverit indignum aut inhabilem? Patronus Ecclesiasticus qui scienter præsentaverit indignum privatur pro ea vice jure præsentandi et fit locus liberæ collationi beneficii *arg. c. 2. De suppl. negl. Præl.* Ratio est quia præsentatio fit a clerico intuitu officii sacri quod possidet, hinc non minori pœna dignus videtur clericus patronus in nominatione indigni quam elector, qui nomine Ecclesiæ eligit pariter indignum. Qui autem scienter indignum eligunt privantur pro ea vice jure electionis *c. cum in cunctis De elect. et electi pot.* Nec patronus Ecclesiasticus facti pœnitens potest aliam personam in locum indigni præsentare. Nam ipse non habet jus variandi. Scilicet patronus Ecclesiasticus licet possit plures simul præsentare superiori ita ut hic eligat quem velit, tamen non potest successive plures nominare. Quodsi ignoranter patronus Ecclesiasticus præsentaverit indignum poterit iterum alium præsentare qui sit idoneus. At patronus laicus si indignum præsentaverit, poterit alium nominare *c. 4. De off. Jud. Ordin.* atque id saltem ex jure variandi quod habet *c. 29. h. t.* Ratio diversi juris est quia laicus patronus non censetur esse satis expertus circa ea quæ sunt juris Ecclesiastici. At diffitendum non est validas esse rationes quibus magnæ notæ DD. tuentur etiam laicum patronum præsentantem scienter indignum privari pro ea vice jure nominandi. Præsumitur enim voluisse spernere leges et honorem ordinis Ecclesiastici. Cf. Fagn. *comm. cap. 4. De offic. ord. n. 39.* ubi refert etiam judicium Rotæ Romanæ.

Concordant vero DD. in hypothesi præsentationis indigni, nisi patronus laicus intra terminum utile quadrimestris alium clericum dignum nominaverit, posse beneficium libere ab Ordinario conferri.

35. Quæritur intra quod tempus præsentatio fieri debeat? Patronus Ecclesiasticus habet semestre utile ad præsentandum *c. 22. h. t. et c. un. eod. in 6°.* Laicus vero habet quadrimestre *c. 3. et c. 27. h. t. et c. un. eod. in 6°.* In patronatu autem mixto uterque patronus habet semestre. Uti enim vidimus, mixtus patronatus sequitur quod est magis favorabile. Elapso inutiliter tempore sive semestrali sive quadrimestrali, beneficium pro ea vice redditur liberæ collationis. At sciendum est 1°. tempus hujusmodi

decurrere non a die vacationis sed a die habitæ notitiæ certæ vacationis, *arg. c. 5. De conc. præb.* 2°. tempus hoc non decurrere legitime impedito arg. *cit. c. 5. De conc. præb.* 3°. tempus hujusmodi esse continuum seu computari de die ad diem.

36. Quæritur quomodo procedere debeat præsentatio quando plures sunt patroni.

Resp. Si patroni componant capitulum seu corpus morale, nominatio est actus capitularis, et procedit juxta formam electionis, seu ille erit nominatus in quem concurrat major, et sanior pars suffragiorum. Ita communiter DD. arg. *c. 28. et c. 36. De Elect.*

37. Si autem jus præsentandi pluribus competat uti singulis, videndum est utrum concurrant in capita, vel in stirpes. Si in capita, qui plura retulit suffragia ille est nominatus. Si clerici præsentati æqualia vota susceperint distinguendum est inter jus patronatus Ecclesiasticum et laicale. Si primum poterit Episcopus libere cui vult conferre beneficium. Nam ex una parte nemo ex præsentatis jus habet, et ex altera patronus Ecclesiasticus variare non potest. Si alterum ante quadrimestre completum conferre beneficium non potest Episcopus; nam variare potest intra hoc tempus laicus patronus. Elapso vero quadrimestre confert Ordinarius beneficium libere cui vult ex præsentatis. Quodsi plures concurrant in stirpes consideranda non sunt suffragia uti singula sed prout referunt suffragium auctoris a quo procedunt, et quem repræsentant actuales patroni. Hinc in jure patronatus lineali, si plures sint lineæ, voces computantur in stirpes, seu una vox et unum suffragium computatur pro unaquaque linea, licet in una sint pauciores in altera plures personæ, quæ suffragium ferunt. In eadem vero linea voces computantur in capita. Hinc a DD. hoc jus patronatus unius lineæ resolvitur in gentilitium. *Card. de Luca Dis. 32. De Jur. Patr. n. 2.*

38. Quo posito quid dicendum si in eadem linea adsint personæ aliæ quidem proximiores stipiti aliæ autem remotiores? DD. distinguunt inter jus patronatus gentilitium, in quo institutor respexit ad graduum distinctionem, quo in casu jus patronatus appellant graduale, et jus patronatus familiare seu gentilitium simpliciter. Exemplum prioris esset, si institutor dixerit: proximiores de mea familia præsentandi jus habeant. Exemplum secundi esset si institutor jus nominandi relinqueret filiis, et descendentibus ac successoribus suis, nulla facta distinctione graduum. In priori

specie seu in graduali jure patronatus proximior in gradu excludit remotiores. In altera specie juxta theoriam Federici de Senis quicunque adsunt actu descendentes in linea vel in familia jus habent nominandi ad Ecclesiam vel beneficium vacans. Hinc, si adsint pater, et filii, patruus et nepotes omnes simul concurrunt ad præsentandum clericum et quidem unusquisque concurrit proprio jure, idest habet distinctum suffragium.

39. Quid vero si lis moveatur in præsentatione et interim tempus utile ad nominandum dilabatur? Antiquitus in *c. 1. h. t.* ex Conc. Gabilonensi *an. 830* et in *c. 2. eod.* ex Conc. Triburiensi *an. 895* regula statuta erat ut dissidentibus patronis in præsentatione rectoris, Ecclesia expoliaretur reliquiis et clauderetur, donec discordia perduraret. At immutatio inducta est ab Alex. III. in *c. 3. h. t.* cui cohærent *capp. 12. et 27. h. t.* Scilicet si enascatur controversia inter compatronos nec lis terminetur intra quadrimestre vel intra semestre pro diversitate juris patronatus ecclesiam conferet Episcopus. At hæc regula odiosa visa est in jure, nam contradicit principio constituto in *capp. 41. De elect. et elect. pot.* et *2. De concess. præbend.* ut scilicet tempus decurrat quidem negligentibus non vero legitime impeditis. Profecto lite pendente patroni censentur legitime impediti ad præsentandum. Quare regula devolutionis ad Episcopum juris providendi Ecclesiam de rectore, beneficium de possessore stricte est accipienda. Quare 1°. non procedit hæc regula si quæstio fiat inter patronum et Episcopum qui contendat pro libertate Ecclesiæ contra patronum. Quo in casu pendente lite Episcopus non potest etiam post semestre aut quadrimestre utile rectorem Ecclesiæ destinare sed œconomum constituet in eadem Ecclesia quoadusque lis fuerit finita. *c. 4. De off. jud. ord.* 2°. Non potest Episcopus libere conferre beneficium quoties quæstio non est inter compatronos, sed inter nominatos quis præ aliis prælationis jure gaudeat. Hoc in casu etiam poterit Episcopus ad officii sacri adimplementum vicarium constituere. Satis de jure præsentandi.

40. Alia jura quæ patronis competunt sunt vel honorifica vel lucrativa. Honoris jura præsertim sunt 1°. jus processionis, de quo agitur in canonibus *2. et 27. c. 16. q. 7.* et in *c. 26. h. t.* Antiquitus patrono ad Ecclesiam diebus solemnioribus advenienti obviam occurrebat clerus. At hic mos disparuit, et ceu tradit Pontificale Romanum et notavit Card. Hostiensis servatur solummodo

pro regibus et principibus magnæ potentiæ. Aliis autem patronis conceditur jus ut in processionibus partem habeant honorificam. 2°. Honor sedis, ut nempe in Ecclesia sedem habeat distinctam; 3°. honor thurificationis, idest thuris recipiendi in functionibus solemnioribus; 4°. jus habendi sepulturam in Ecclesia vel capella juris patronatus. Potest insuper patronus honoris et memoriæ causa in Ecclesia vel capella proprium signum seu stemma apponere.

41. Jura lucrativa duo sunt. 1°. Ut patronus vergens ad paupertatem ex Ecclesiæ sui patronatus fructibus sustentetur, deducta prius congrua portione pro rectore. Ita *c. 25. h. t. can. 29. c. 16. q. 7.* et *can. 30. ejusd. caus. et q.* Hæc sustentatio ab Ecclesia præstatur non solum ipsi patrono qui Ecclesiam fundavit, sed etiam ejus filiis, et hæredibus ad quos transit jus patronatus. Infertur hoc ex *can. 30. c. 16. q. 7.* ad quem appellat Clem. III. in *c. 25. h. t.* et tenuit sæpe Rotæ tribunal. 2°. Jus percipiendi censum antiquum seu pensionem impositam in limine fundationis *c. 23. h. t.*

42. Onera patronorum duo sunt 1°. onus restaurandi vel reparandi Ecclesiam. Hoc onus ita urget patronum ut possit eidem intimari ut vel restauret Ecclesiam vel jus patronatus amittat. De modo, quo teneatur hoc onus patronus adimplere sermo erit in titulo *De Eccl. ædif. vel rep.;* 2°. onus vigilantiæ et defensionis. Vigilantiæ quidem quia licet patronus nullam habeat jurisdictionem circa personam clerici et bona Ecclesiæ patronatus ex *c. 3. sess. 24. De Ref.* tamen ex *can. 31. filiis. caus. 16. q. 7.* tenetur advigilare ut administratio bonorum rite procedat, et intentio fundatoris observetur, et in casu negligentiæ vel culpæ doli poterit patronus ipsum rectorem honeste admonere, et si nihil admonitione proficiat rem Episcopo vel judici ecclesiastico denuntiabit. Onus autem defensionis urget patronum; nam ideo in *cc. 23. et 24.* dicitur habere advocatiam seu curam defensionis Ecclesiæ. Tenetur ergo pro viribus patronus sive simul cum rectore sive eo negligente solus tueri jura Ecclesiæ vel beneficii, non quidem propriis expensis, sed expensis beneficii. Scilicet si præter operam suam aliquid impendat, poterit exposcere ut indemnis reddatur.

43. De modis, quibus amittitur jus patronatus.

1°. Ex facto criminoso; 2°. ex facto honesto patronorum; 3°. ex casu. Ex 1°. capite amittitur jus patronatus 1°. per crimen hæreseos seu apostasiæ, et schismatis. Nonnulli dicunt patronum

amittere jus si fiat excommunicatus vitandus. At ut animadvertimus hoc in casu potius suspenditur exercitium ejus in jure præsentandi quoadusque sese cum Ecclesia non reconciliaverit, aut quoadusque præterlapsum non fuerit tempus utile ad reconciliationem obtinendam, quo elapso excommunicatio transit in anathema et per sententiam judicis excommunicatus privatur omnibus juribus. 2°. Amittitur per cædem aut mutilationem rectoris aut alterius clerici Ecclesiæ juris patronatus factam ab ipso patrono vel ex ejus mandato *c. 12.* § *sacri De pœnis.* 3°. Amittitur per crimen simoniæ. Videlicet amittit jus patronatus qui simoniace vel vendit vel emit jus patronatus *c. 6. h. t.* et *c. 9. sess. 25. Trid. de Ref.* 4°. Privatur patronus jure suo si sese ingesserit in fructuum perceptione aut temerario ausu bona beneficii aut Ecclesiæ patronatæ occupaverit. *Trid l. c.* 5°. Si contra canonicas sanctiones per prohibitum titulum in alium præsumpserit transferre jus patronatus *cit. c. 9. sess. 25. De Ref.*

44. Ex facto honesto aut saltem non criminoso patroni amittitur jus patronatus: 1°. per liberam cessionem juris alteri legitime factam, vel per explicitam renunciationem in favorem Ecclesiæ *c. 1. h. t. in 6°.* Hæc vero renunciatio vel cessio fieri potest, quando non obstet præjudicium tertii. Hinc ex. gr. jus patronatus personale quod genti et familiæ alicui spectet non potest a patre dimitti etiam pro filiis nam filii veniunt nomine proprio. 2°. Amittitur jus patronatus tacita renunciatione. Triplex casus a DD. exhibetur *a*) si patronus patiatur Ecclesiam vel beneficium incorporari alteri Ecclesiæ, vel beneficio liberæ collationis, vel monasterio, quin ullam fecerit juris patronatus reservationem. Unio enim cum sit plenissima per se tendit ad extinguendum titulum præexistentem *c. 8. De Const. b)* Si patronus qui jus habet præsentandi rectorem in Ecclesia patiatur Ecclesiam fieri conventualem, seu erigi in collegiatam, vel in monasterium cui præficiendus sit prælatus. *Arg. c. 20. h. t.* Nam non amplius habet locum præsentatio sed electio prælati quæ facta a capitulo honestatis causa nota solummodo fit patrono. *c)* Amittitur præscriptione contraria seu per continuum nonusum longi aut longissimi temporis, dummodo saltem hoc longi vel longissimi temporis spatio binis vicibus continuis non præsentaverit patronus. Ita doctores communiter. Quemadmodum enim alii ita etiam ipsa Ecclesia potest præscribere contra patronum.

45. 3°. Ex casu amittitur jus patronatus 1°. si extinguatur familia vel linea in qua residet, nisi alia persona, et alia linea personarum substituta fuerit ab institutore; 2°. si ecclesia destruatur vel pereat dos et reditus deficiant, nec reviviscit jus patronatus licet rursus ædificetur Ecclesia vel dos constituatur, nisi prior patronus ad reædificandam Ecclesiam vel dotandam concurrerit. Qua in re opportunum est referre quæstionem *die 27. Julii 1861* propositam et resolutam in S. Congr. Conc. sub tit. *Tiburtina Restaurationis Eccl. Parochialis.* Templum parochiale juris patronatus deformatum, squalore sordidum, et ruinosum erat. Deficientibus reditibus Ecclesiæ et congruo Parochi propositum est dubium 'An patronus teneretur restaurare Ecclesiam parochialem in casu?' Et responsum est 'affirmative præfixo patrono termino trium mensium ad perficiendas reparationes, quo inutiliter elapso esse locum amissioni juris patronatus'. Ergo quando reparationes necessariæ sunt in Ecclesia nec alius sit qui ex legitimo titulo teneatur easdem exequi auctoritas ecclesiastica potest præfigere tempus patrono ad eas perficiendas, quo inutiliter elapso censetur patronus decidisse a suo jure. Consonant aliæ resolutiones in *Tiburtina Reparationis Eccl. paroch., diei 15. Dec. 1827* et in *Nursina, 25. Sept. 1858* in quibus terminus patrono præfigitur vel ad reficiendam Ecclesiam, vel ad renunciandum juri patronatus.

Titulus XXXIX.

De censibus, exactionibus et procurationibus.

1. Census, si generice sumatur, significat quidquid regulari præstatione solvitur. Communius vero hoc vocabulum sumitur ad indicandum jus quod alicui competit percipiendi annuam pensionem ex re alterius utili vel fructifera super qua dicitur fundatus census. Census hoc sensu acceptus alius est reservativus, alius consignativus. Reservativus est cum quis in alium transfert rem suam quoad dominium directum, et utile reservata sibi annua pensione super eadem re. Consignativus obtinet quando dominus alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super fructibus naturalibus, vel civilibus rei propriæ, retento sibi dominio tam directo quam utili. Leges et conditiones quibus census hic consignativus ad vitandam usurarum suspicionem debeat constitui, determinantur

a S. Pio V. in celebri Const. *Cum onus, diei 19. Jan. 1569.* At non de hoc censu loquitur titulus.

2. Census in sensu tituli definitur: 'Pensio aliqua annua quæ ex proventibus ecclesiasticis, ab ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis solvitur Superioribus, Prælatis, Patrono, vel alteri personæ præsertim in recognitionem subjectionis, aut etiam ex alio justo titulo Episcopi auctoritate recognito'. In genere ergo solutio census est argumentum dependentiæ. Hinc ceu principium edicit *c. 2. h. t.* 'Ideo tributa præstatis quia hæc est probatio subjectionis.' At sola solutio census non evincit plene Ecclesiam quæ solvit, esse subjectam personæ vel Ecclesiæ quæ censum percipit. Nam ex alio etiam titulo potest solvi census. Sic ex. gr. ex *c. 23. De Jure patr.* solvitur modica pensio statuta ex Episcopi auctoritate in limine fundationis. Sic ex *c. 8. De privilegiis* solvitur census Episcopo in signum obtentæ exemptionis ab ejus auctoritate. Census alius *antiquus* dicitur, alius *novus.*

3. Antiquus est qui imponitur Ecclesiæ vel beneficio in ipsa fundatione vel in consecratione Ecclesiæ. Novus est qui ab initio non fuit impositus, sed imponitur post fundationem vel consecrationem Ecclesiæ, beneficio post ejus legitimam erectionem. Uterque vero potest esse vel perpetuus vel temporaneus, prout ad certum tempus imponitur vel absque temporis consideratione.

4. Quinam imponere possunt census?

1°. Rom. Pontifex qui juxta *c. 2. de præb. in 6°. et Clem. 1. Ut lite pend.* liberam habet dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum potest imponere censum sive antiquum sive novum sive temporaneum sive perpetuum. 2°. Episcopus, vel qui habet jurisdictionem quasi-episcopalem potest imponere censum antiquum seu in fundatione et erectione Ecclesiæ vel beneficii, vel in consecratione Ecclesiæ *c. 7. h. t.* Potest etiam censum imponere cum concedit de consensu Capituli aliquam Ecclesiam a sua jurisdictione dependentem et eam ab oneribus episcopalibus eximit *c. 6. De relig. domib.* Hic census habetur ceu indicium acceptæ libertatis. 3°. Antiquum censum moderatum potest ex auctoritate Episcopi imponere patronus in limine fundationis beneficii, ex *c. 25. De jure patronatus,* in quo supponitur posse patronum exigere censum impositum in limine fundationis cum Episcopi consensu. At neque Episcopus, neque patronus potest augere censum antiquum semel impositum quamvis augeantur vires et facultates Ecclesiæ vel

beneficii *c. 7. h. t.* quia pro Episcopo census est solummodo signum subjectionis vel indicium concessæ libertatis, non vero pensio proportionata fructibus, quæ fructibus auctis crescere debeat, et viceversa, patronus autem ex facta concessione bonorum suorum Ecclesiæ vel beneficio cessavit esse dominus, ac proinde nullum jus habet in augmento facultatum seu redituum Ecclesiæ vel beneficii.

5. Quid vero dicendum de novo censu?

Non potest Episcopus aut alius prælatus novum perpetuum censum imponere Ecclesiis aut beneficiis cujuscunque generis *c. 3. et 7. h. t.* et *Clem. un. De suppl. negl. prælat.* § *eadem quoque.* Neque si Ecclesiam eripuerit de manibus laicorum *c. 9. h. t.* Potest vero Episcopus 1°. ex justa causa clerico, cui confert beneficium imponere censum non perpetuum sed personalem, scilicet duraturum ad vitam ejusdem clerici in favorem alterius clerici, vel alicujus Ecclesiæ, juxta ea quæ de pensionibus dicta sunt in titulo *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* 2°. Censum temporaneum potest etiam Episcopus imponere in casibus a jure definitis. Ex. gr. in favorem vicarii temporanei quem constituit in subsidium Parochi titularis non amplius sufficientis ad sustinenda onera parochialia *c. 6. sess. 21. De Ref.* 3°. Ex *c. 7. ejusd. sess.* potest beneficiis et Ecclesiis pro reparationibus in sacro templo perficiendis et præsertim in Cathedrali Ecclesia. Tandem ex *c. 18. sess. 23. De Ref.* potest Episcopus novum censum quoadusque necessitas postulaverit Ecclesiis et beneficiis imponere pro erectione seminarii diœcesani. Hæc in genere de censibus, nunc in specie

6. De Cathedratico, seu synodatico.

Cathedraticum est pensio certa singulis annis solvi solita Episcopo in signum subjectionis, et in honorem cathedræ Episcopalis. Dicitur etiam synodaticum, quia solvi consueverat in Synodis Episcopalibus, quæ singulis annis celebrabantur. Quod debeat Episcopo solvi cathedraticum patet ex *cc. 9. et 20. h. t.* Hoc insuper jus inter Episcopalia jura adeo est privilegiatum ut nec Episcopus possit illud in totum remittere, nec contraria licet immemoriali consuetudine præscribi possit. Nam est signum subjectionis, et honoris debiti cathedræ Episcopali. Ita expresse traditur in *c. IV. h. t. 8. Conc. Romani sub Bened. XIII.* Potest vero præscribi quantitas hujus census. Conf. Bened. XIV. *De Syn. l. 5. c. 6. et c. 7.* Solvitur vero ab omnibus Ecclesiis vel beneficiis vel

capellis sæcularibus immo etiam a parochis, beneficiis et capellis Regularium, monasteriis pleno jure unitis et non specialiter exemptis; quamvis iisdem præsint regulares *c. 16. De off. Jud. Ord.* Non solvitur autem a Monasteriis, vel Ecclesiis regularium in quibus ipsi regulares sacra peragunt; eximuntur enim a jurisdictione Episcopi, et a lege diœcesana *c. 1. De statu Mon.* Nec obstat aliquando Ecclesiam fuisse Episcopo subjectam nam quoad hunc censum respicitur status actualis Ecclesiæ. Juxta canones quantitas Cathedratici erat duorum solidorum, seu solvebatur in annua summa 20 juliorum Romanor. *can. 1. caus. 10. q. 3. et c. 10. De off. Jud. Ord.* Plurimum vero valet hac in re locorum consuetudo. Animadvertendum tamen est servandam esse ab Episcopis moderationem in determinanda taxa sub titulo Cathedratici. Nam potius quam ad lucrum Episcopi constitutus est a jure hic census in recognitionem subjectionis et honoris erga Cathedram Episcopalem. Hinc Bened. XIII. in cit. loco statuit cathedraticum excedere non debere duos solidos seu julios 20, et quasdam classes Beneficiorum et Ecclesiarum designans voluit ut hac moderatione imponatur scilicet: 1. Quibus sunt reditus infra decem scuta duo julii. 2. Quibus infra quinquaginta, julii quinque. 3. Quibus infra centum julii decem. 4. Quibus ultra centum et in quacumque alia majori summa julii 15. Ab Ecclesiis ubi plures de massa communi participant, ab omnibus in communi julii 20 exiguntur, salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis, et Episcopis magis favorabilibus.

De exactionibus.

7. Exactio est pensio quam vi legis diœcesanæ ex reditibus Ecclesiasticis justa de causa extraordinarie acquirit Episcopus. Quod ut intelligatur sciendum est a Canonistis juxta *c. 18. De off. Jud. et Glossam ibi.* potestatem Episcopi dividi in legem *jurisdictionis,* et in legem *diœcesanam.* Lex jurisdictionis consistit in *dando* seu in collatione ordinum, beneficiorum, et officiorum, in ferendis sententiis et absolvendis fidelibus a culpis; lex diœcesana consistit in *recipiendo* et versatur circa illas exactiones quas Episcopus a suis subditis potest exquirere, et assequi. Exactiones ergo obtinet Episcopus vi legis diœcesanæ.

8. Præcipuum locum inter exactiones tenet *subsidium charitativum* de quo in *cap. 6. h. t.* et definitur: Exactio extraordinaria, et moderata ob manifestam, et rationabilem causam cum

charitate a subditis expostulata. Licet ex charitate postuletur tamen obligat revera subditos, qui si inviti fuerint, possunt cogi ad hoc subsidium solvendum. Solvitur vero ab omnibus Ecclesiis, et beneficiis sæcularibus, a beneficiatis etiam regularibus non exemptis e reditibus superfluis. Solvitur autem in taxa moderata imponenda pro consuetudine locorum juxta normam seu proportionem quæ servatur in exigendis procurationibus, de quibus infra. Exprimitur hæc norma in *extrav. un. h. t. inter comm.* Exigitur autem ab Episcopo vel ab eo qui jurisdictionem habet Episcopalem, non vero ab inferioribus prælatis, qui habent etiam jurisdictionem ordinariam quemadmodum jure Decretalium erat Archidiaconus, Archipresbyter etc. ceu expresse docet *c. 6. h. t.* In similitudinem Episcoporum DD. tenent Abbates, et Superiores ordinum, qui possidendi capaces sunt posse saltem ex consuetudine vel privilegio a monasteriis subsidium charitativum exigere.

9. Huc referri potest pia institutio Ecclesiastica præstandi Romano Pontifici charitativum subsidium denarii seu oboli S. Petri. Hic mos primum introductus fuit in Anglia ab Ina Rege qui ad protestationem fidei faciendam et ad honorem S. Petri regnum tributarium fecit Apostolicæ Sedi; statuens singulis annis a singulis familiis solvendum esse Romano Pontifici argenteum denarium. Conf. potest Baronius *ad an. 782.* De hoc subsidio charitativo denarii S. Petri agit *c. 12. h. t.* in quo compescuntur abusus Archidiaconorum qui præerant exactionibus hujus tributi. Nostra ætate ob spoliationes, quas S. Sedes passa est, ex instinctivo quodam motu fidelium hoc subsidium charitativum in usum revocatum est; at nulli legi subjicitur, et totum ex pia liberalitate fidelium pendet.

De procurationibus.

10. Procuratio est præstatio eorum quæ Episcopo, aliisque prælatis actualem diœceseos visitationem obeuntibus cum notario, et decenti comitatu sunt necessaria ad competentem victum, et habitationem facienda ab illis quos visitant. Præstanda est procuratio quia Episcopus censetur hospes in Ecclesia quam visitat ac proinde sustentari debet.

11. Quæritur primo loco quænam sit quantitas procurationis præstandæ. In *c. 6. h. t.* et *in c. 23. h. t.* temperantur abusus, qui obrepserant, Episcoporum et aliorum prælatorum visitantium

Ecclesias diœceseos, cohibetur luxus et ambitio, et pro ratione illorum temporum præcipitur moderatio in comitatu et in victu. Conc. Trid. in *c. 3. sess. 24. De Ref.* præcipit ut Episcopus visitans diœcesim, contentus sit modesto comitatu et equitatu, et quam celerrime debita tamen cum diligentia visitationem absolvat. Interim vero caveat ne inutilibus sumptibus cuicunque sit gravis et onerosus. Insuper adhærens dispositionibus *capp. 1. et 2. h. t. in 6°.* Tridentinum prohibet ne Episcopus visitans aut quisque suorum nomine et causa procurationis pro visitatione præter victualia frugaliter moderateque præstanda, quidquam aliud recipiat, nec quidem munus quod offeratur. Quodsi quis de facto aliquid recipere præsumpserit is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta *c. 2. h. t. in 6°.* mulctetur: idest Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi subjiciuntur interdicto ingressus in Ecclesiam, inferiores vero suspensioni ab officio et beneficio quoadusque non restituant. Nec eis prodest condonatio facta ab illis quibus restitutio facienda est. Immo decernit Tridentinum istos transgressores posse subjici aliis pœnis in Synodo provinciali statuendis.

12. Quæritur an procuratio possit ab Episcopo recipi in pecunia. In *c. 1. § procurationum h. t. in 6.* cui consonat *c. 2. eod.* expresse id interdicitur. At hanc dispositionem correxit Bonifacius VIII. in *c. 3. ejusd.* concessitque ut, volentibus visitatis, Episcopus visitans possit procurationem in pecunia accipere. Hanc dispositionem suam fecit Tridentinum in loc. cit.

13. Sciendum præterea est ex resolutione S. Congregat. *diei 19. Sept. 1682,* vel a *Bened. XIV. De Syn. diœc. lib. X. c. 10.* et ex alia S. Marci *diei 16. Jan. 1723* posse quidem Episcopum Ecclesias plus quam semel in anno visitare ab eadem vero Ecclesia semel tantum in anno procurationem posse percipere. Quod si una die plures visitet Ecclesias Episcopus quamvis unaquæque par esset, et sufficiens ad præstandam procurationem non potest tamen nisi unam accipere *c. 3. h. t. in 6°.* Animadvertendum tandem est ex Tridentini dispositione in cit. *c. 3. sess. 24.* neque semel in anno posse exigi procurationem in illis locis, seu provinciis ubi consuetudo est ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud percipiatur a visitatoribus. Hunc vero textum Tridentini de consuetudine generali diœceseos, non vero de consuetudine alicujus Ecclesiæ particularis interpretata pluries est S. Congr. Conc. Ita in *Aquipendien. 23. Apr. 1787* et in *Nursina 8. Maji 1824.*

Conf. Petella *Canones et decr. Concilii Tridentini cum resolutionibus S. Congr. ad c. 3. sess. 24. De Ref. n. 13.*

14. Quæritur a quibus solvitur procuratio?

Solvitur ab omnibus Ecclesiis, beneficiis, oratoriis publicis et monasteriis, quæ non sint exempta a jurisdictione Episcopi arg. *c. 16. De off. ord.* et ex *cap. 23. h. t.* Omnia enim hæc subduntur Episcopi visitationi.

Non solvitur vero procuratio 1°. ex *c. fin. h. t.* ab oratoriis privatis seu quæ non sunt erecta auctoritate Episcopi in privatis domibus; 2°. ab Ecclesia quæ ab hac solutione eximitur ex privilegio Pont. *c. 17. h. t.;* 3°. ab Ecclesia vel beneficio censu paupere dotato arg. *c. 11.* § *insuper De Rescr. in 6°.;* 4°. ab hospitalibus, vel aliis locis piis charitatis operibus destinatis ex resolut. S. Congreg. relata a Fagnano in *Comm. c. 24. h. t.* Etenim non convenit ut Episcopus detrahat partem redituum, qui sublevandis miseris personis destinantur; 5°. non solvunt Cathedralis et Ecclesiæ vel loca pia civitatis in qua est Sedes episcopalis. Nam Tridentinum in *sess. 24. De Ref. c. 3.* ait procurationem pro tempore et necessitate esse habendam, quæ necessitas recipiendi victualia non videtur urgere in civitate ipsa episcopali; quemadmodum etiam S. Congr. Conc. pluries respondisse refert Fagn. in *comm. c. 24. h. t. n. 15.* Hinc videtur fuisse derogatum *capiti 24. h. t.*

15. Quæritur a quibus procuratio recipiatur?

Procuratio recipitur ob visitationem, hinc illi recipiunt procurationem qui jus visitandi habent. Et quidem 1°. Romanus Pontifex jus habet visitandi totam Ecclesiam. Repræsentatur autem a Legatis a latere, et a Nunciis. Hinc in *c. 23. h. t.* istis solvendæ esse dicuntur procurationes. At tractu temporis factum est ut visitatio hæc legatorum et Nunciorum Apostolicorum cessaverit, et insuper inolevit consuetudo, ut Legati et Nuncii sustentarentur ab ipsa Apostolica Sede.

2°. In *c. 6. h. t.* tribuitur 1°. Archiepiscopis jus visitandi totam provinciam, hinc etiam recipiendi procurationes. Verum sciendum est ex *c. 1. h. t. in 6°.* non posse Archiepiscopum visitare diœcesim alicujus suffraganei nisi antea absolverit visitationem totius suæ diœceseos. Cui conditioni et aliam addidit Tridentinum *c. 3. sess. 24. De Ref.* ut nempe non possit visitare diœcesim suffraganei nisi prius causa cognita et probata in Concilio Provinciali. 2°. Ex eodem *c. 6.* Cardinales visitabant Ecclesias tituli proprii. At post

Const. *Romanus Pontifex Innoc. XII. 5. Kal. Oct. 1692* hoc jus desivisse dicendum est. Nam Cardinalibus in suis titulis in quibus adest clerus, reservata est facultas seu jurisdictio in iis dumtaxat quæ concernunt servitium chori. Quam Constitutionem interpretatus Pitonius *De Controv. Patron. Alleg. 41. n. 51.* ait jurisdictionem episcopalem Cardinalium cessasse in suis titulis non solum in populum, sed etiam in clerum, et concedi Cardinalibus solum jurisdictionem domesticam et extrajudicialem illius generis quæ competit vicariis vel Archipresbyteris Capitulorum, mulctando nempe delinquentes per subtractionem distributionum et fructuum et vocis in capitulo.

16. 3°. Archidiaconi etiam et Archipresbyteri vel Decani jure decretalium jus habebant visitandi *c. 6. h. t.* Archidiaconus autem Episcopo impedito quolibet triennio totam visitabat diœcesim *c. 1. De off. Archid.* At huic juri derogatum est a Tridentino in *c. 3. sess. 24. De Ref.* ubi præcipitur visitationem complendam esse per Episcopum, aut eo impedito per suum vicarium generalem vel alium visitatorem deputandum. Archidiacono quidem Archipresbytero et aliis inferioribus reservatur facultas per seipsos tantum visitandi eas Ecclesias quas soliti fuerant visitare, assumpto tamen notario de Episcopi consensu et cum onere infra mensem rationem reddendi Episcopo de visitatione peracta.

17. 4°. Vicarius etiam capitularis visitat diœcesim nam ipsi commissum est gubernium spirituale ejusdem diœceseos. Attendenda tamen est practica disciplina statuta per plures decisiones a Sacra Congregat. Conc. de quibus Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. 2. c. 9. n. 6.* et *lib. X. c. 10. n. 6.* Scilicet aliis resolutionibus omissis *die 13. Sept. 1721* propositis dubiis: An Vicarius capitularis facere possit visitationem civitatis et diœceseos, 2°. an facere possit visitationem personalem capitularium? Responsum est ad primum et secundum affirmative dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab Ordinario. Et in *Ostunensi Procurationis diei 28. Julii 1718* eadem Sacra Congregatio rescripsit vicario capitulari deberi tantum medietatem procurationum, quæ Episcopo solvi consueverant. Vicarius vero Capitularis non visitat loca et personas quas Episcopus visitat tamquam Apostolicæ Sedis delegatus.

18. 5°. Episcopus visitat diœcesim. In *c. 3. sess. 24. De Ref.* Tridentinum statuit ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Epi-

scopi per seipsos, aut si fuerint impediti, per Vicarium generalem, aut visitatorem quotannis visitare non prætermittant totam diœcesim, aut saltem ejus partem majorem, ita ut si nimis ampla sit biennio visitatio compleatur. In *c. 8. sess. 7. De Ref.* expresse ait Tridentinum Episcopum teneri ad visitandas Ecclesias omnes singulis annis. Animadvertit vero Berardi *Jus can. univ. diss. 4. c. 3.* hanc legem annualis visitationis posuisse Tridentinum, quia renovaverat legem annualis celebrationis Synodi diœcesanæ in qua Synodo consulendum erat necessitatibus et utilitatibus Ecclesiarum quibus providendum esse intellexerat visitando diœcesim juxta *c. 16. De off. Jud. Ord.* At quemadmodum commodum non fuit ubique quotannis celebrare Synodum diœcesanam, ita etiam ab annua visitatione cessatum est: neque visum est id repugnare menti Patrum Tridentinorum, qui in *c. 3. sess. 24. De Ref.* et ipsi tempus visitationis ubi causa legitima subesset ad triennium prorogarunt.

19. Visitat vero Episcopus Ecclesias omnes sæculares, et auctoritate Apostolica etiam quomodocumque exemptas *c. 8. sess. 7. De Ref.* Hinc 1°. Ecclesias sæculares diœceseos Sedi Apostolicæ immediate subjectas, earumque prælatos quasi-episcopalem auctoritatem habentes, potest Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, cujus cathedralis Ecclesia sit proximior, visitare nisi loci prælatus Episcopum in provinciali concilio elegerit, cui subsit quoad visitationem *c. 9. sess. 24. De Ref.* 2°. Capitula Cathedralis et aliarum Ecclesiarum, eorumque personas. 3°. Ecclesias parochiales etiam unitas monasteriis Regularium tum quoad locum tum quoad personas curam animarum exercentes, in iis quæ ipsam animarum curam respiciunt. Excipiuntur vero Monasteria in quibus Abbates generales aut capita ordinum Sedem ordinariam principalem habent *c. XI. sess. 25. De Reg.*

20. 4°. Visitat etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus beneficia omnia commendata sive sæcularia, sive regularia etiam exempta *c. 8. sess. 21. De Ref.* 5°. Visitat etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus hospitalia, collegia quæque, atque confraternitates laicorum, pia loca quomodocumque appellantur, licet ad laicos pertineant et sint exempta *c. 8. sess. 22. De Ref.* Visitat etiam confraternitates erectas in Ecclesiis exemptis Regularium. Quid vero dicendum de monasteriis et Ecclesiis Regularium? Mihi videtur distinguendum esse inter monasteria et conventus intra Italiam et insulas adjacentes, et monasteria et conventus extra

Italiam positos. Si de his sermo est, adhuc jus Tridentinum valet. Hinc 1°. visitat Episcopus etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus monasteria, et Ecclesias regularium commendata in quibus non viget regularis observantia *c. 8. sess. 21. De Ref.* 2°. Visitat Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus monasteria Regularium, quæ cum aliis in provincia vel vicinis provinciis non fuerint erecta in congregationem ut capitula celebrent et designent superiores et visitatores particularium conventuum *c. 8. sess. 25. De Reg.* 3°. Visitat Episcopus monasteria et conventus erectos post emanationem decreti Urbani VIII. *diei 21. Junii 1625* in quibus duodecim religiosi non possint sustentari, et actu non sustentantur. Ex cit. decreto Urbani VIII. non visitat Episcopus monasteria, in quibus verificentur conditiones de quibus sermo est in Tridentino exposito casu. Nec visitat monasteria exempta quæ subsunt totius ordinis capiti, licet in illis non adsit regularis observantia *arg. d. cap. 20. sess. 25. De Reg.* Nec visitat Monasteria regularium exempta, fundata ante decretum Urbani VIII. quæ non subsint supremo capiti Ordinis dummodo in illis vigeat regularis observantia. Nam in *c. 8. sess. 21. De Ref.* facultas datur Episcopo solum quoad monasteria commendata in quibus non vigeat regularis observantia. Quoad monasteria Italiæ præter ea quæ statuit Tridentinum in citatis locis et Urbanus VIII. in cit. decreto, attendenda est etiam correctio inducta per decretum *Ut in parvis Innoc. X. diei 10. Febr. 1654.* Scilicet Episcopus visitabit Ecclesias regulares et monasteria illa, quæ ex citatis omnibus capitibus juris a sua jurisdictione non sunt exempta, non visitabit vero quæ sunt exempta. Porro quæ visitat virtute decreti Innoc. X. *Ut in parvis* visitat tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Quæ vero sint, vel non sint exempta in sensu supradictorum jurium jam vidimus in titulo *De religiosis domibus.* Animadvertimus vero ex decreto Alex. VII. *5. Junii 1664* Episcopum non posse procurationem exigere a monasterio quod visitat virtute decreti *Ut in parvis Innoc. X.*

21. Insuper Episcopus potest absque tamen jure procurationis visitare oratoria et Ecclesias positas in grangiis monasteriorum etiam prorsus exemptorum a sua jurisdictione et visitatione *c. 5. h. t.* Grangiæ sunt cellulæ vel parvæ domus in possessionibus seu prædiis monachorum, in quibus aliquis vel aliqui monachi commorantur agros colendi causa. Hinc qui inter eos præest admini-

strationi bonorum temporalium dicitur cellularius, quasi præses cellularum. In cellulis aderat oratorium.

Tandem Episcopus quoad clausuram visitat jurisdictione ordinaria monasteria monialium sibi subjecta, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus exempta et etiam subjecta capitibus ordinum regularium *c. 5. sess. 25. De Reg. in Tridentino.*

22. Ad complendam vero hanc materiam, observamus 1°. scopum visitationis esse sanam doctrinam, pulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, malos corrigere, populum cohortationibus ad religionem, pacem et innocentiam accendere; *c. 3. sess. 24. De Ref.* 2°. Ex *c. 10. sess. 24. De Ref.* habemus Episcopum in iis quæ ad visitationem et correctionem morum pertinent jus et potestatem habere etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatum, ea omnia ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi juxta canonum sanctionem, quæ illi necessaria videbuntur pro sua prudentia et emendatione subditorum, nec decreta Episcopi hac in re posse ullo modo etiam per appellationem ad Sedem Apostolicam suspendi aut executionem impediri.

Titulus XL.

De consecratione ecclesiæ vel altaris.

1. Nomine Ecclesiæ in titulo venit ædes vel domus cultui divino deputata in qua fideles conveniunt ad ipsum cultum præstandum. Altare est sedes seu locus in quo sacrificium offertur. Aliud est fixum, aliud portatile. Fixum est quod consecratur tamquam adhærens suæ basi, portatile quod consecratur distincte et absque relatione ad basim. Hinc de loco ad locum asportari potest. 1°. De consecratione Ecclesiæ; 2°. de consecratione altaris. Consecratio Ecclesiæ definitur: 'Dedicatio solemnis Ecclesiæ ad honorem Dei facta, a legitimo Ministro per unctionem chrismatis, et præscriptam verborum formam cum intentione canonica'. Ecclesia ad fidelium pietatem excitandam ritus quosdam instituit qui appellantur sacramentalia, et eo diriguntur ut ex opere operantis fidelibus producant divinam gratiam. Ritus consecrationis Ecclesiæ institutus est ad imitationem Sacramenti ordinis. Hinc consecratio dicitur esse actus ordinis, at eo sensu quia ex institutione Ecclesiæ sacer minister dedicans cultui divino locum imitatur consecrationem personæ in sacra ordinatione. Quare etiam dicitur in consecratione

adesse intentio canonica seu intentio ministri deputandi locum ad cultum divinum juxta Ecclesiæ institutionem.

2. Differt consecratio a benedictione. Hæc enim fit cum aqua lustrali in pavimento certis adhibitis precibus, et committi potest etiam presbyteris, dum consecratio chrismatis unctione fit, et minister validæ consecrationis est solus Episcopus, et quidem ut licita sit, debet fieri ab Episcopo ordinario loci, qui potest alteri Episcopo munus consecrandi Ecclesiam committere *c. 9. h. t.* At extraneus Episcopus, si irrequisito Episcopo loci, consecrat Ecclesiam suspenditur ab usu pontificalium *c. 5. sess. 6. De Ref. et 2. sess. 14. De Ref.* Necnon cessare debet per annum a celebratione Missarum *can. 28. c. 7. q. 1.* Hæc pœna suspensionis a celebr. missæ renovata non est in Const. *Apostolicæ Sedis.*

3. Presbyter vero solum ex privilegio Pontificis potest consecrationem Ecclesiæ perficere. Quod et videmus concessum a Paulo III. atque Pio IV. Abb. Ludovico, et successoribus ejus in Monasterio Eingildensi quoadusque certæ rerum circumstantiæ manerent.

4. Ritus consecrationis Ecclesiæ in Pontificali Romano præscribitur, cujus ritus pars essentialis est ut liniantur sacro chrismate duodecim cruces in pariete Ecclesiæ insculptæ vel depictæ et forma verborum proferatur. De præcepto est ut Episcopus consecrans etiam missam celebret, et ob rationabilem causam fieri potest ut alius pro consecrante celebret. Episcopus antequam procedat ad consecrationem debet certior fieri de sufficienti dote Ecclesiæ *c. 8. h. t.* In quo etiam Regi Hungariæ imponitur onus dotandi Ecclesiam quam fecerat consecrare. Immo ex *c. 9. De donat.* deducitur ipsum Episcopum consecrantem, qui sciat Ecclesiam esse absque dote teneri ad eam dotandam. Ecclesia consecrari potest quoties de novo erigitur vel quoties ex certis documentis non potest probari eam fuisse consecratam *c. 16. et can. 18. De consecr. dist. 1.* At si certo est consecrata, non potest iterum consecrari nisi antea fuerit execrata *can. 20. De consecr. dist. 1.*

5. Ratio est, quia consecratio a sacris canonibus censetur velut adhærere parietibus Ecclesiæ ad similitudinem characteris qui animæ fidelis consecrati imprimitur. Execratur autem Ecclesia quoties parietes vel totaliter, vel majori ex parte simul et non successive destructæ denuo construantur. Pariter si parietes interiores ex toto vel majori parte sint igni simul et non successive exustæ, et devastatæ vel abrasæ licet non corruant *c. 20. De consecrat.*

dist. 1. Idem dicendum si parietes in longitudine, latitudine vel altitudine pro majori parte amplientur. Nam post hanc constructionem antiqua cessasse et nova Ecclesia quodammodo constructa censetur. Non iteratur vero consecratio si vastetur pavimentum vel lamina aut tectum decidet et renovetur *c. 6. h. t.* Nam consecratio censetur parietibus adhærere.

6. Præter casum execrationis Ecclesiæ, seu amissionis consecrationis et novæ consecrationis considerant sacri canones casum pollutionis et violationis Ecclesiæ. Dicitur polluta et violata Ecclesia cum in ea ponantur actiones manifestæ, et adeo turpes vel indecentes ut censeatur injuria illata fuisse loco sacro, et indignus reputetur cultus divini celebratione. Quod manifesta seu publica debeat esse actio ad violandam Ecclesiam patet ex eo quod Ecclesia ob actionem indigna redditur cultu sacro ex fidelium æstimatione, ex opinione communi.

Polluitur vero Ecclesia 1°. ex *c. 4. h. t.* et *c. un. h. t. in 6°.* per voluntariam et graviter culpabilem effusionem sanguinis in Ecclesia causatam seu ex vulnere in ipsa Ecclesia inflicto; 2°. per homicidium voluntarium et injuriosum *can. 19. De consecr. dist. 1.* et *c. 4. h. t.;* 3°. ex *c. 4. et un. h. t. in 6°.* per voluntariam et illicitam seminis humani effusionem, sive simplici pollutione id fiat, vel fornicatione aut adulterio, sodomia etc.; 4°. si in Ecclesia sepeliatur excommunicatus vitandus, vel hæreticus notorius aut non baptizatus ex tit. *De sepulturis.*

7. Animadvertendum est iisdem modis quibus Ecclesia polluitur, pollui etiam cœmeterium, immo ex *c. un. h. t. in 6°.* habemus, polluta Ecclesia, censeri etiam violatum cœmeterium unitum Ecclesiæ non viceversa. Ecclesia non violatur ex aliis criminibus licet sint graviora et violantur solum Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ, non vero oratoria in quibus ex privilegio Missa celebratur. Nam strictæ interpretationis res est.

8. Principalis effectus violationis Ecclesiæ est ut sub pœna peccati lethalis non vero irregularitatis prohibeatur in Ecclesia polluta administratio sacramentorum, custodia Ecclesiæ, celebratio divinorum officiorum. Immo si polluatur Ecclesia tempore Missæ nec canon inceptus est, Missa continuari nequit. Ita *Rubrica missalis in tit. De defectib. in Ministerio ipso occurrentibus.*

9. Ecclesia polluta debet reconciliari protinus ait *c. ult. h. t.* Reconciliatio fit adhibitis ritibus in Pontificali descriptis; eaque

fit ab Episcopo si Ecclesia polluta erat consecrata *c. 9. h. t.* nec potest committi simplici presbytero. Si autem fuerat solummodo benedicta, reconciliatio fit a simplici sacerdote, nulla etiam expostulata venia ab Episcopo ex textu claro *c. ult. h. t.*

De consecratione altaris.

10. Ex can. 21. de Consecr. Dist. 1. habemus: 'Altaria si non fuerint lapidea non consecrantur'. Hinc altare debet esse lapideum saltem in parte superiori in qua ponitur hostia cum calice quemadmodum desumitur ex *rubrica Miss. XX. De præp. altar.* ubi dicitur 'vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo consecrata et in eo inserta. Ara lapidea debet continere hostiam, et majorem saltem partem calicis' *ead. rubr. Miss.* Unde non minor uno palmo. Altaria consecrat solus Episcopus nec simplici sacerdoti potest consecrationem committere nisi solus Romanus Pontifex *arg. c. 3. h. t.*

11. Quod de consecratione altaris dictum est etiam dici debet de consecratione calicis et patenæ quæ nempe a solo Episcopo perfici potest. Idem pariter dicendum de benedictione campanarum. Ratio est quia intervenit unctio et fit per modum consecrationis. Qui ritus a sacris canonibus reputatur actus ordinis episcopalis in sensu superius exposito.

12. Pariter paramenta et vestes ad Missam pertinentes benedicuntur ab Episcopo. At ita reservatur Episcopo benedictio, ut facile ex rationabili causa facultatem benedicendi concedere ipse possit etiam simplici sacerdoti. Valida consecratio iterari nequit, quia censetur altare retinere consecrationem donec execretur.

13. Execratur autem altare seu amittit consecrationem 1°. per fractionem lapidis superioris seu diminutionem substantialem ejusdem; *c. 1. et 3. h. t.* 2°. Si frangatur aut removeatur sigillum seu parvus ille lapis qui superpositus custodit reliquias sanctorum arg. *c. 1. h. t.* 3°. Si altare sit fixum idest consecratum seu adhærens basi amittit consecrationem si lapis seu tabula superior amoveatur *c. 3. h. t.*

14. De privilegio altaris portatilis. Privilegium hoc in eo consistit ut quis extra locum benedictum, vel oratorium possit ubicumque in privatis domibus lapideam tabulam rite consecratam in altaris formam componere, ibique Missam celebrare. Ex c. *Quoniam Episcopi De priv. in 6°.* hoc privilegium habebant Episcopi.

Istis æquiparati sunt S. R. E. Cardinales. Ex cap. *In his De priv.* concessa est eadem facultas nonnullis regularibus. At Conc. Trid. *sess. 22. in decret. De observand. et vitand. in celebr. Miss.* cavet ne Episcopus patiatur quemquam Missam celebrare extra Eccl. in altari portatili. Cum vero in eodem decreto tribuant Patres Episcopo facultatem procedendi etiam contra regulares in iis quæ spectant ad Missæ sacrificium, hinc inferunt DD. per hoc decretum Tridentinum fuisse regularibus sublatum privilegium altaris portatilis concessum iisdem ante Concilium. Episcopus vero potest etiam censuris compellere Regulares hac in re contravenientes. S. Congr. in *Toletana 4. Junii 1672.* At eadem S. Congr. censuit a Tridentino non fuisse derogatum privilegio Episcoporum et Prælatorum Episcopis superiorum. Ex lib. XII. Decretor. pag. 120.

15. Verum ad compescendos abusus qui irrepserant Clem. XI. in decreto *diei 15. Dec. 1703* declaravit Episcopis et prælatis his majoribus etiam Cardinalibus nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis etiam in propria diœcesi erigere altare, ibique Sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare. Cum autem hoc decretum videretur prohibere usum altaris portatilis Episcopis etiam visitantibus diœcesim, vel iter facientibus, hinc Innoc. XIII. in sua Const. *Apostolici Ministerii* et Bened. XIII. cit. Const. declararunt prohibitionem Clem. XI. non esse intelligendam de domibus etiam laicorum in quibus Episcopi forte occasione sacræ visitationis, vel itineris hospitio excipiantur; item quando Episcopi in casibus a jure permissis vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ visitationis, moram faciant in aliena domo per modum similis habitationis, in his etiam casibus licita erit altaris erectio ad effectum prædictæ celebrationis non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.

Titulus XLI.

De celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiæ et divinis officiis.

1. Relinquimus partem theologicam de Eucharistia prout est sacramentum, et prout est sacrificium. Pariter partem canonicam de Sacramento Eucharistiæ remittimus ad titulum *De Custodia Eucharistiæ.* Hinc restringimus tituli materiam ad celebrationem Missarum et ad divina officia.

Et quoad primum quærimus 1°. loco: Quoties in anno teneatur sacerdos Missam celebrare. In *c. 9. h. t.* Innocentius pœnâ suspensionis plectit eos qui vix quater in anno celebrant. Hinc DD. inferunt esse præceptum ut saltem quater in anno celebret Sacerdos, seu die Nativitatis et die Resurrectionis et Epiphaniæ Domini nec non die Pentecostes. Qua in re animadvertendum est Cajetanum Cardinalem in Comm. ad S. Thomam docuisse hoc præceptum de Missæ celebratione quater saltem in anno esse sub levi, Sanctum vero Pium V. jussisse expungi hanc opinionem ab illis commentariis. Hinc opinio hæc teneri non potest. Conc. vero Trid. *c. 14. sess. 23. De Ref.* Episcopo intimat ut curet ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnioribus, si autem parochi sint, tam frequenter ut muneri suo satisfaciant, missas celebrent. Certe sacerdotium non est simplex honor dignitatis et potestatis favor sed etiam est onus, et officium juxta illud Pauli ad Hebr.: 'Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur etc. ut offerat sacrificia pro peccatis'. Tenetur ergo Missam celebrare presbyter et Episcopus curare debet ut presbyter hoc officium adimpleat. Ajunt vero DD. hanc curam Episcopi non actum sed habitum respicere, scilicet providebit Episcopus, ne habitualiter sacerdotes omittant celebrationem Missæ contra mentem Tridentinorum Patrum expressam in *c. 14. sess. 23. De Ref.*

2. Animadvertendum est hanc curam non posse Episcopum exercere adhibitis pœnis et censuris. Non expedit enim timore pœnarum adigere clericum ad Missam celebrandam. Hinc cum quæreretur a S. Congr. Concilii 'An hoc (munus curandi etc.) Episcopus facere debeat solis adhortationibus et admonitionibus, an vero possit monere sub pœnis et censuris ut legitime non impediti debeant celebrare', *die 25. Febr. 1617* censuit non posse et *c. 14. sess. 23. Giral. comm. ad c. 1. h. t.*

3. Quæritur an Sacerdos possit eadem die pluries Missæ sacrificium offerre? Ante ætatem Alex. II. scilicet ante medietatem sæc. XI. lege speciali interdicta non erat iterata missæ celebratio in eadem die. At ad comprimendam avaritiam Sacerdotum plurimorum, qui simoniace ordinati missas quotidie lucri captandi causa ingeminabant, canonem edidit Alex. II. qui refertur sub *n. 32. De cons. dist. 1.* in quo statuit pro lege generali unam dumtaxat celebrandam esse Missam a Sacerdote qualibet die. Hanc legem renovarunt Innoc. III. in *c. 3. h. t.* et Honorius III. ejus successor

in *c. 12. h. t.* In quibus capp. animadvertimus adhiberi vocem *sufficit* vel *sufficiat* unam missam celebrare, sed ex sensu capitis apparere hoc verbum exprimere prohibitionem, ne plures missæ celebrentur.

4. At ex antiquissima consuetudine et ex *c. 3. h. t.* excipitur dies Nativitatis Domini in qua die in Ecclesia Latina tres missas licet celebrare. Glos. in c. 3. rationem adsignat. Sciendum insuper est sacerdotes hac triplici celebratione posse tribus obligationibus satisfacere *S. Congr. Conc. Nullius 18. Apr. 1654. lib. 19. Decr. p. 3336.* Si dies Nativitatis Domini excipitur valet adhuc lex generalis prohibens pluries ab eodem Sacerdote in die Missas celebrari; nisi adsit *privilegium vel necessitas.* Et quoad privilegium scimus in regno Aragoniæ, seu in ipsa Aragonia et in ditionibus Valentiæ, Catalaniæ et Majoricæ disciplinam viguisse, ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum sacerdotes Regulares tres missas possent celebrare, sæculares vero duas. Acceptis precibus a regibus Hispaniarum et Lusitaniæ rebusque mature perpensis Ben. XIV. in Const. *Quod expensis diei 21. Aug. 1748* concessit omnibus sacerdotibus sive sæcularibus sive regularibus regnorum Hispaniarum et Lusitaniæ privilegium celebrandi tres missas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Ad removendam vero omnis avaritiæ maculam nihil innovans circa consuetudinem Regni Aragoniæ recipiendi duas vel tres eleemosynas, statuit Pontifex ut in aliis regionibus in quibus privilegium trinæ celebrationis concedebat, præter unius Missæ eleemosynam nil aliud sacerdotes pro aliis duabus missis perciperent, nec possent duas alias missas applicare in satisfactionem oneris antea assumpti. Quoad vero sacerdotes qui in Regno Aragoniæ duas tantum missas poterant celebrare, et ob novum indultum præsentis Constitutionis tertiam possunt Missam celebrare; Pontifex vetat ne pro hac tertia missa eleemosynam recipiant.

5. Alia exceptio est *necessitas* de qua in cit. locis juris *Can. 33. de Cons. dist. 1. c. 3. h. t.* Antiquitus plures necessitates admittebantur. At hodie post Epistolam Benedicti XIV. ad Episcopum *Oscensem 16. Martii 1746* unicus casus necessitatis admittitur, nempe quando unus presbyter ministrat seu præest duabus Ecclesiis inter se valde dissitis, nec alius est sacerdos, qui in alterutra Ecclesia celebret Missam. Quo in casu binationis post primam Missam Sacerdos debet jejunium servare. Cessante vero necessi-

tate cessat in Parocho hujusmodi facultas binas Missas celebrandi. Quamvis hæc facultas a jure communi concessa sit ac proinde proprie dicta dispensatio Episcopi non requiratur, tamen necesse est ut Episcopus rem cognoscat et veniam præbeat. Ipse enim est verus Judex necessitatis. Ita Bened. XIV. in *cit. Epistola ad Ep. Oscensem* § *Qui quoque.*

6. Quid vero dicendum de stipendio secundæ Missæ celebratæ in casu necessitatis? Si duplex est distincta parochia ita ut earum unio sit æque principalis, parochus utramque Missam debet pro populo applicare. Si distinctæ non sint parochiæ, et unio sit tituli extinctiva quæstio soluta non est. At ex mente Canonum videtur non posse recipi eleemosynam pro secunda Missa.

Animadvertimus tandem non semper verificari conditiones veræ et proprie dictæ necessitatis sed utique habere potest locum dubia vel aliqualis necessitas. Ut possint Episcopi in hoc casu dispensationem concedere binationis Missæ in eadem die obtineant necesse est indultum ab Apostolica Sede. Cum enim sit dispensatio a jure communi excedit facultates episcopales.

7. Ad materiam tituli potest etiam referri quæstio de reductione onerum Missarum. Super hac re adest dispositio Conc. Trid. in *c. 18. sess. 25. De Ref.* Accessit decretum S. Congr. Concilii auctoritate Urbani VIII. vulgatum quodque refertur a Reiffenstuel in *tit. præs. n. 30.* In hoc decreto præsertim constituitur non posse Episcopum nec in diœcesana Synodo, aut superiores regulares in capitulis generalibus reducere onera Missarum, quamvis reditus tenues sint, et stipendia sint incongrua pro singulis missis, sed reductionem expetendam esse ab Apostolica Sede. Prohibet pariter decretum ad damnabile lucrum removendum, ne presbyter qui pro celebratione Missæ eleemosynam accipit, Missam faciat ab altero celebrare, retenta sibi parte eleemosynæ. Hæc prohibitio intelligi non debet de beneficiario, qui ex lege fundationis non impediatur quominus per alium possit celebrationi Missarum satisfacere. Hic enim potest sibi retinere quod superest tradita prius celebranti sacerdoti congrua eleemosyna.

De officio divino.

8. Nomine divini officii veniunt horæ canonicæ. Recitatio officii in Ecclesia latina pro clericis majoribus et beneficium ecclesiasticum possidentibus est de præcepto in *c. 9. h. t.* ubi Innoc. III.

præcipit in virtute sanctæ obedientiæ ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote. De publica et solemni recitatione divini officii egimus in tit. *De Clericis non residentibus.* S. Pius V. in Const. *Ex proximo 12. Kal. Oct. 1571* statuit ut quicumque beneficium ecclesiasticum obtinuit, si post sex menses a consecutione beneficii legitimo impedimento cessante officium divinum non dixerit fructus beneficii amittat pro rata temporis omissionis officii.

9. Cum recitatio officii divini pertineat ad cultum publicum hinc determinatio horarum et forma specifica hujus orationis pendet tota ab ecclesiastica constitutione. Antiquitus Ordinarius loci moderabatur recitationem officii. Hinc ortæ sunt diversæ normæ diversæque formæ hujus publicæ orationis. At ad uniformitatem inducendam, necnon ad removendum periculum, ne hæretici in publicis orationibus errores suos introducerent, approbatio divini officii ad Apostolicam Sedem reservata est; quæ in novis proponendis officiis particularibus solet absolute præcipere ut in illa forma recitentur, et quandoque adjicit etiam clausulam non valere recitationem secus factam.

Titulus XLII.

De baptismo ejusque effectu.

1. Cætera relinquentes theologis pertractanda, duas tantum expendimus quæstiones 1°. de baptismate dubio; 2°. de loco collationis baptismatis. Ad 1^m si dubium fuerit an aliquis fuerit necne baptizatus ait Alex. III. *in c. 2. h. t.* baptizandus est sub conditione 'Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo'.

Dubium debet esse prudens seu probabile quale non esset si ageretur de puero nato a christianis parentibus, et inter christianos conversato, donec evidentissimis argumentis probaretur contrarium *c. 3. h. t.* Ad probandam collationem baptismatis satis est fides unius testis quando tamen non fiat præjudicium alicui *can. 112. dist. 4. De Consecr.* Si de expositis sermo sit, sunt sub conditione baptizandi licet schedam de collato baptismo collo ligatam habeant nisi scheda hæc veram faciat certitudinem. Ita in causa Urbis censuit S. Congr. *die 18. Dec. 1723.* Quare non sufficiunt conjecturæ ex rudimentis fidei quæ quis cognoscit S. Congr. in *Ripana*

12. Dec. 1733. Tandem baptizandus est sub conditione infans qui non in capite sed in aliqua parte corporis fuit baptizatus. Ita *Rituale jussu Pauli V. editum* § *De baptizandis parvulis.*

2. Relate ad locum habemus *cap. un. in Clem. h. t.* in quo præcipitur ut baptismus conferatur in Ecclesia in qua fons baptismalis reperitur, et solum excipitur 1°. baptismus filiorum regum et principum, et 2°. baptismus necessitatis, quo in utroque casu potest etiam privatis in domibus conferri baptismus. Ex Glossa loc. cit. nomine *principum* veniunt Barones loci. Ex eadem Glossa in verb. *Periculo eod. c. un. Clem. h. t.* baptismus administratur in privatis domibus non solum ubi periclitetur vita infantis, sed etiam ubi periculum vitæ urget ipsos qui deferre deberent ad Ecclesiam infantem.

Titulus XLIII.

De presbytero non baptizato.

1. Duplex quæstio proponitur in titulo. 1°. An presbyterum non baptizatum juvent Sacramenta, quæ recipit. In *c. 2. h. t.* agitur de quodam, qui non baptizatus, cum esset in opinione recepti baptismatis sacerdos ordinatus est, et deinde ex hac vita decessit. Cum dubitaretur an pro illo preces fundi possent, respondet Innocent. III. posse utique quia si non recepit sacramentum fidei, recepit tamen fidem Sacramenti. Igitur quoad salutem æternam presbytero non baptizato profuerant Sacramenta suscepta. At quid de Sacramento ordinis? In *capp. 1. et 3. h. t.* traditur presbyterum non baptizatum esse ordinandum. Ergo characterem sacræ ordinationis non recepit in priori ordinatione ante baptismum.

2. 2ª Quæstio est, an aliis prosint Sacramenta quæ presbyter non baptizatus confert, et magis generaliter quid dicendum de iis, quæ ipse peragit ceu sacer minister?

Si sermo sit de actibus qui ordinis characterem non supponunt valide et legitime eos conficit. Hinc valide baptizat et quidem etiam licite si versatur in bona fide. Pariter si sermo sit de actibus meræ jurisdictionis, cum adsit titulus coloratus et error communis, eos etiam perficit valide. Si sermo sit de actibus, qui procedunt prorsus ex charactere sacræ ordinationis eos valide non perficit quemadmodum etiam invalidi sunt actus qui procedunt simul ex virtute characteris seu ex virtute ordinis et ex jurisdictione.

At ex doctrina divi Thomæ *in 4. dist. 24.* pie credi potest quod summus sacerdos suppleat quantum ad ultimos effectus sacramentorum, saltem juxta desiderium et voluntatem fidelium Sacramenta suscipientium.

3. Quid vero de Matrimonio, cui presbyter non baptizatus assistit? Receptum nunc communiter est parochum non uti ministrum àssistere, sed uti testem qualificatum; unde valet matrimonium, licet parochus assistat invitus et excommunicatus. Hinc DD. communiter inferunt matrimonium hujusmodi valere. Nam ut testis qualificatus sit, sufficit titulus coloratus et communis æstimatio, seu error communis.

Titulus XLIV.

De custodia Eucharistiæ, chrismatis et aliorum sacramentorum.

1. In *c. 1.* præcipitur ut in Ecclesiis fideliter, adhibitis clavibus Eucharistia custodiatur. Confirmatur ex *c. 6. sess. 13. De Ref. in Tridentino.* Contra incaute custodientes Innocent. in *c. 1. h. t.* comminatur pœnam suspensionis trium mensium; sub simili diligentia et pœna præcipitur custodia S. Chrismatis. Ex lege generali in Trid. *c. 8. sess. 21. De Ref.* Episcopus est vindex hujus custodiæ, qui potest etiam punire regulares et alios exemptos in hac custodia delinquentes ex resolutione S. Congr. EE. et RR. *diei 8. Jan. 1724* approbata ab Innoc. XIII. Qui insuper regulares in suis Ecclesiis non possunt SS. Eucharistiæ Sacramentum exponere nisi ex publica causa ab Episcopo probata: ex causa autem privata possunt sed dummodo non extrahatur a tabernaculo.

2. Lex quæ in *c. 1. h. t.* est de custodia Eucharistiæ et S. Chrismatis in omnibus Ecclesiis tangit solum Ecclesias parochiales. In aliis ecclesiis sæcularibus non parochialibus permanenter et ordinarie asservari nequit absque Sedis Apostolicæ beneplacito. S. Congregatio Concilii in *Cajacen. 12. Jan. 1630.* Excipitur nisi habeatur consuetudo immemorialis. Ita S. Congregatio Concilii *die 27. Apr. 1709.* Asservari etiam potest permanenter in Cathedrali Ecclesia extra tamen altare majus. S. Congreg. EE. *in Lucensi diei 10. Febr. 1579.* Pariter ex *c. X. sess. 25. De Reg. in Trid.* potest permanenter asservari Eucharistia in Ecclesiis monialium non tamen infra chorum. Ad tempus potest in Ecclesiis non parochialibus asservari Eucharistia ex Episcopi licentia.

Ex Constitutione Innoc. IV. *Sub Catholicæ, 6. Martii 1254* et Clementis VIII. *Sanctissimus, 31. Aug. 1595* S. Eucharistia a Græcis renovanda est singulis octo vel quindecim diebus a Latinis vero differenda non est renovatio ad quindecim dies sed quolibet octiduo, vel die dominica, vel feria quinta. S. Congreg. EE. in *Raven. 8. Apr. 1573.*

Titulus XLV.

De reliquiis et veneratione Sanctorum.

1. Priscis Ecclesiæ temporibus usque ad Alex. III. Episcopus in sua diœcesi expensis virtutibus et miraculis factis intercessione alicujus vita functi, eidem publicum cultum tribuebat in sua diœcesi, et patronum cœlestem declarabat fidelium suorum; scilicet ei honores beatificationis concedebat. At vero solemnis canonizatio, qua præcipitur, ut cultus publicus tribuatur alicui sancto homini in universa Ecclesia, fuit semper causa major, et vel Concilio generali reservata juxta responsa Urbani II. et Callisti II. vel reservata Romano Pontifici ceu patet ex gestis Benedicti VIII. et Benedicti IX. Conf. Benedicti XIV. *De Servor. Dei Beatif. et Canoniz. t. 1. c. lib. 1. c. 10.*

2. At in *c. 1. h. t.* Alex. III. prohibuit ne aliquis publica veneratione coleretur ullo modo absque auctoritate Romani Pontificis. Quare etiam beatificatio servorum Dei facta est causa major Romano Pontifici reservata. Accesserunt decreta Urbani VIII. relata in ejus Const. *Sanctissimus 13. Martii 1635* et in alia Const. *Cœlestis Urbs Hierusalem. 5. Julii 1634.*

3. De reliquiis sanctorum habemus *c. 2. h. t.* in quo præsertim tria prohibentur 1°. ne exponantur venales, scilicet ne exponantur quæstus causa. Consonat Tridentinum in decreto *de invocatione vener. et reliq. Sanctor. sess. 25.* In hoc decreto præcipit ut omnis quæstus turpis eliminetur. Hinc nec vendi nec emi possunt servorum Dei reliquiæ. Exceptio fit nisi redimi debeant e manibus infidelium vel hæreticorum. Thesaurus *De pœnis eccl. verbo reliquiæ c. 1.*

4. Præcipit 2° loco *caput 2.* ne reliquias de novo inventas aliquis venerari præsumat absque prævia probatione Apostolicæ Sedis. At in cit. loco Tridentini Episcopo tribuitur facultas novas reliquias probandi. Quæ probatio Episcopi requiritur etiam si reli-

quiæ exponendæ sint in Ecclesiis regularium quemadmodum patet ex decreto S. Congr. Conc. in *Viterb. 25. Junii 1622.* Si vero jam sint repositæ, non potest Episcopus eas visitare. S. Congreg. in *Urbin. 10. Martii 1663.* Huc referri potest *can. 37. De Consecr. dist. 1.* cujus virtute extrahi possunt et transferri ab Episcopo absque venia Romani Pontificis antiquæ reliquiæ quæ in capsis asservantur. Tandem in *c. 2.* præcipitur prælatis, ne permittant fideles in veneratione sacrarum reliquiarum decipi falsis documentis. Consonat Tridentinum in *cit. loco,* in quo etiam præcipit nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere imaginem nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo.

5. Cæterum cum Concilium concedat Episcopo facultatem approbandi vel miracula, vel reliquias novas non debet intelligi eo sensu quatenus possit Episcopus aliquem pro sancto declarare aut probare quoad cultum reliquias ejus, aut pariter probare authentica miracula alicujus servi Dei nondum in album vel Beatorum vel Sanctorum a Romano Pontifice relati. Sed facultas respicit vel miracula et reliquias servorum Dei, de quorum cultu et veneratione in Ecclesia legitima data est definitio; vel si respicit miracula et reliquias alicujus servi Dei de cujus beatificatione, aut Canonizatione adhuc actum non est apud S. Sedem, probatio Episcopi dirigi non potest in ordine ad cultum publicum Servo Dei exhibendum.

Titulus XLVI.

De observantia jejuniorum.

Lex ecclesiastica de observandis jejuniis certa est; modus autem observandi eadem jejunia determinatur a sacræ theologiæ moralis tractatoribus.

Titulus XLVII.

De purificatione post partum.

In *c. un. h. t.* declaratur non amplius vigere legem *Levit. 12.* qua mulieribus post partum præficiebantur certi dies quibus debebant abstinere ab ingressu templi, iisque expletis certum purificationis modum et situm observare tenebantur. At ex devotione in

Ecclesia instituta est benedictio quæ puerperæ ante ingressum in Ecclesiam impartitur. Hæc benedictio de præcepto non est. Datur vero a Parocho, et recensetur inter jura parochialia. Ita definit S. Rit. Congr. *die 10. Dec. 1703* et S. Congr. Conc. *die 18. Nov. 1862* dummodo consuetudo contraria non adsit.

Titulus XLVIII.

De ecclesiis ædificandis vel reparandis.

1. Cum ædificatio novæ Ecclesiæ secumferat onus eam conservandi et reparandi, hinc in jure non est considerata ceu res undequaque favorabilis et potius reparatio Ecclesiæ collabentis considerata est ceu favorabilior ipsa ædificatione: nam indecens prorsus est locum Deo dicatum derelinqui ac ruinis corrui.

2. Hinc ædificari non potest Ecclesia nisi quibusdam sub conditionibus. 1°. Requiritur consensus Episcopi, quodsi erigendum sit templum in loco exempto requiritur venia Romani Pontificis. Ajunt vero DD. consensum tacitum sufficere. Juxta mentem canonum Episcopus vel per se vel per alium atrium seu aream definire debet, ibique figere crucem et primum lapidem ponere. Ita can. *Nemo. 9. De Cons. dist. 1. et Gloss. ibi.* 2°. Requiritur ut antequam procedatur ad ædificationem constet de sufficienti dote constituta ad fabricæ conservationem et divini cultus observantiam, nec non ministrorum sustentationem. Ita in cit. *c. Nemo 9. De Cons. dist. 1.* Concordat jus civile in *Nov. 67. c. 2.* 3°. Requiritur ut nemini præjudicium inferatur. De hac conditione sermo est cum agitur de erigenda nova parochiali Ecclesia intra limites alterius. De qua re jam actum est superius. Antiqua forma Ecclesiarum consuevit esse oblonga ut indicaret naviculam S. Petri quæ Ecclesiæ figura fuit. Ex S. Clemente et antiquis Patribus Altare majus ad orientem conversum solebat esse ut indicaret Christum, qui ad Orientem ascendit juxta illud Davidis *Ps. 67. v. 34.* 'Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad orientem,' et inde creditur esse venturus juxta illud *Matth. 24.* 'Sicut enim exit fulgur ab oriente et paret usque in occidentem ita erit et adventus filii hominis.' At mos hic nullam inducit legem.

De reparatione ecclesiæ.

3. DD. conveniunt circa onus Ecclesiam reparandi, considerandam esse præ omnibus consuetudinem et statuta locorum. Nec

statutis extantibus nec consuetudine ex *capp. 1. et 4. h. t.* et ex *c. 7. sess. 21. De Ref.* in Tridentino deducuntur hæc principia. 1°. Reparanda est Ecclesia ex reditibus Ecclesiæ et fabricæ inter quos adnumerantur etiam fructus non percepti a negligentibus et a jure applicati fabricæ. Qua insuper in re pro Italia et insulis adjacentibus valet *Const. Bened. XIII. Pius et Misericors V. idus Maji 1725* in qua præcipitur ut pro reparanda Ecclesia Cathedrali imponantur mediæ annatæ solvendæ ab omnibus clericis diœcesis cum beneficium quodcumque in diœcesi obtinent a Curia episcopali sive per liberam collationem sive per institutionem. Pro reparanda vero Ecclesia Collegiata solvendæ sunt mediæ annatæ a clericis provisis de beneficio in ipsa Ecclesia Collegiata. Excipiuntur beneficia curata quorum annui reditus non superant centum scutata. 2°. His deficientibus in parte vel in toto, tenentur contribuere rector seu parochus et alii qui beneficia possident in Ecclesia reparanda. Hæc vero contributio fieri debet juxta *c. 4.* ex superfluis scilicet detractis pro sustentatione clerici cujus computatio relinquitur prædicti arbitrio judicis, habita ratione temporis loci et personarum. 3°. In horum defectu tenentur patroni et omnes alii qui fructus aliquos ex Ecclesia reparanda percipiunt. 4°. Tandem si Ecclesia est parochialis populus seu fideles qui sacramenta percipiunt, tenentur in capita concurrere ad reparationes perficiendas, quos Episcopus opportunis remediis appellatione remota ad id præstare compellere potest. Si vero nullus adsit qui ruinosam Ecclesiam possit reparare, ea destrui potest et ejus jura, fundi etc. ad matricem Ecclesiam vel si filialis non sit, transferuntur ab Episcopo ad viciniorem Ecclesiam, et in loco destructæ Ecclesiæ crucem collocabit, ut significetur ibi quondam fuisse Ecclesiam nec locus poterit converti in usus profanos sordidos. Ita Trid. loco cit. *c. 2. sess. 21.*

Titulus XLIX.

De immunitate ecclesiarum, cœmeterii et rerum ad ea pertinentium.

1. Immunitas idem est ac libertas a munere seu ab officio et onere. Definitur communiter 'Jus quo loca, res vel personæ ecclesiasticæ a communi onere seu obligatione liberæ sunt et exemptæ'. Hinc immunitas dici etiam potest exemptio ecclesiastica *c. 7. h. t.*

Immunitas in sensu exposito non est repetenda ex concessione potestatis civilis, nam ex una parte semper penes omnes gentes vidimus loca sacra, res et personas divino cultui consecratas immunes fuisse, et quodammodo segregatas a communi commercio, et a legibus communibus, et ex altera parte nemo est, qui non videat indecens prorsus esse cultui divino ut communi censu habeantur eadem loca, res et personæ, quæ Deo inserviunt. At non omnis immunitas potest proprie deduci ex jure naturali aut positivo divino. Nam utrumque jus decentiam et convenientiam immunitatis utique insinuant, legem vero rigorosam non exhibent. Hinc origo immunitatis erit potius ex lege positiva Ecclesiæ quæ tamen fundatur in intentione juris naturalis et divini. Hinc Trid. *c. 20. sess. 25. De Ref.* eam constitutam fuisse ait ex divina ordinatione et ex canonicis sanctionibus.

2. Ex ipsa definitione patet triplicem esse immunitatem seu *localem, realem, personalem.*

Localis est jus Ecclesiæ in favorem religionis tamquam loci sacri seu ad pios usus auctoritate ecclesiastica deputati vi cujus juris in hoc loco sacro non licet exercere actus profanos repugnantes sanctitati et reverentiæ debitæ loco sacro; necnon conceditur libera commoratio ibidem ita ut non possit ab loco immuni violenter extrahi, qui eo confugit nisi auctoritas ecclesiastica veniam impertiatur. Competit vero hæc immunitas 1°. omnibus Ecclesiis consecratis, vel benedictis licet hujusmodi Ecclesiæ sint violatæ *c. 9. h. t.* 2°. locis Ecclesiæ adhærentibus uti sunt Sacristia, porticus, atrium Ecclesiæ *c. 20. caus. 17. q. 4.* Quæ enim religiosis adhærent, religiosa sunt *l. 43. ff. De rei vindic.* 3°. Competit hoc jus cœmeteriis Ecclesiarum seu quæ ipsis Ecclesiis adhærent. Ita in *c. fin. h. t. et c. 2. eod. in 6°.*

3. Ob privilegium immunitatis ab actibus profanis prohibentur in locis designatis 1°. sub pœna excommunicationis causæ criminales in quibus agitur de sanguinis effusione vel de pœna capitali. Ita *c. 5. h. t.* 2°. Pertractari non possunt in iisdem locis judicia sæcularia, seu civilia sub pœna nullitatis actorum *c. 2. h. t. in 6°.* Non vero prohibentur a judicibus ecclesiasticis ecclesiastica judicia ibidem peragi, aut etiam actus extrajudiciales et exercitium jurisdictionis voluntariæ, si dirigantur ad fovendam pietatem et bonum religionis. 3°. Ex eod. *c. 2. h. t. in 6°.* prohibetur contractuum et negotiationum vel nundinarum exercitium. 4°. Læditur immu-

nitas Ecclesiarum et aliorum locorum piorum si per vim effringantur portæ aut alio modo inferatur per violentiam injuria loco sacro. Quo in casu jure antiquo statuta erat excommunicatio latæ sententiæ *c. 22. De Sent. excomm.* At de hac pœna tacet Const. *Apostolicæ Sedis.* 5°. In genere prohibentur omnes actus, quibus turbatur cultus sacer, aut læditur reverentia debita religioni ex. gr. ludi theatrales; *ex c. 12. De vita et honestate Cler.* Sic ex *c. 2. h. t. in 6°.* prohibentur in rebus civilibus conciones, acclamationes et publica parlamenta; ex *Trid. sess. 22. De observand. et vitandis in celebr. Miss.* prohibentur fieri in Ecclesiis musicæ profanæ quæ nempe ad solam recreationem ordinantur. Hæc dicta sint de prima parte juris immunitatis.

4. Secunda pars consistit in libera commoratione quæ etiam dicitur *jus asyli,* eorum qui ad locum immunem confugiunt. Hoc jus competit locis hucusque descriptis, et insuper competit parti exteriori Ecclesiæ nempe tecto, scalæ, parieti externo. Competit etiam cœmeteriis separatis ab Ecclesiis si auctoritate ecclesiastica sint ad sepulturam fidelium deputata, necnon competit Monasteriis et conventibus religiosorum cum spatio clausuræ et omnibus locis piis et ad charitatis opera exercenda auctoritate Episcopi erectis, et deputatis. DD. tribuunt etiam jus asyli palatio espiscopali.

5. Gaudere possunt jure asyli ex sacris canonibus omnes sive baptizati sive non; nam non est in bonum personarum sed ob decorem religionis inductum est. Quam rationem etiam leges civiles agnoverunt et penes falsas religiones. Effectus hujus juris est ut reus a loco immuni extrahi invitus non possit, secus sit eodem loco restituendus. Quoniam vero quædam crimina, uti videbimus, excludunt hoc jus, hinc quando curia sæcularis exposcit reum, debet reus Episcopi auctoritate et præsente persona ecclesiastica ab eo deputata transferri in carcerem ab Episcopo determinatum ut interim informationes capi debeant ut de qualitate criminis cognoscatur. Si patet reum imputari de crimine excepto a jure asyli, Curia episcopalis tradit reum potestati laicæ sub obligatione tamen eundem restituendi quoties reus de crimine excepto sese purgaverit. Ita Bened. XIII. in Const. *Ex quo divina.* Cum immunitas localis sit de jure communi, in ea dispensare non possunt ordinarii. Hinc licentiam extractionis reorum concedere possunt solum in casibus exceptis. Solet a Summo Pontifice per organum

S. Congr. Immunitatis concedi ad triennium quædam facultas ut liberius possint in hac materia procedere.

6. At quæ crimina excludunt jus asyli?

Casus hujusmodi ab auctoribus exponuntur, et deducuntur præsertim ex Const. Greg. XIV. *Cum alias,* Clem. XII. *In Supremo,* Bened. XIII. *Ex quo divina,* et Bened. XIV. *Officii nostri ratio.* Præcipue vero excluduntur a jure asyli latrones publici, qui parant insidias ad viatores occidendos necnon grassatores viarum. 2°. Rei homicidii sive proditorii sive animo præmeditato, et deliberato commissi, necnon qui mandatum, consilium, instigationem aut auxilium cooperativum occisori præstiterint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium venerit. 3°. Qui mutilationem patrat in Ecclesia vel cœmeterio sive percussor sit in Ecclesia sive extra. 4°. Rei læsæ majestatis ob actionem pariter injuriosam in personam principis.

Animadvertendum est reum confugientem ad Ecclesiam jure asyli gaudere solummodo si cesset esse noxius, si enim eligeret locum sacrum ut tutius crimina patraret, excluderetur ab asyli beneficio.

7. Violantes leges asyli præter culpam sacrilegii incurrunt in pœnam excommunicationis latæ sententiæ, a qua absolvi nequeunt nisi restituant reum extractum violenter Const. Greg. XIV. *Cum alias.* Const. *Apostolicæ Sedis* inter excomm. Romano Pontifici simpliciter reservatas sub *a. V.* legitur contra 'Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes, aut violantes'. Privantur etiam omni privilegio ecclesiastici confugii seu asyli. Tandem animadvertimus quoad modum observandi legem asyli plurimum valere consuetudinem locorum.

8. Immunitas *realis* in eo consistit ut bona Ecclesiæ et clericorum sint immunia seu exempta a jurisdictione civili, et ab oneribus et exactionibus in societate civili communibus. Si de rebus Ecclesiæ sermo sit, nemo est, qui non videat res consecratas vel benedictas esse prorsus exemptas a civili potestate, quia Deo sunt dicatæ, et quoad civiles effectus nullius esse censentur. Igitur sermo restringitur ad bona temporalia Ecclesiarum et clericorum. Nomine Ecclesiæ veniunt etiam monasteria et causæ piæ. Porro bona hæc quocumque ex titulo etiam civili ad Ecclesias vel clericos provenientia jure canonum reali gaudent immunitate ita ut

etiam prohibeatur ipsis clericis quominus sese offerre aut præstare possint ad solvenda tributa, et exactiones regiæ potestatis administris. Quodsi vero Episcopus cum suo clero videat societatem civilem angustiis premi, ita ut vel necessitas vel magna utilitas verificetur, non prohibentur taxas sibi imponere ut civili gubernio auxilium præstent. Hæc habentur constituta in *capp. 4. et 7. h. t.* et in *capp. 1. et 3. eod. in 6°.* Quibus accesserunt *c. un. eod. in Clem. Const.* Leon. X. *Superna 5. Maji 1514 § 4°.* necnon *Bulla Cœnæ § 18.* et tandem Tridentinum in *c. 20. sess. 25. de Ref.* At sensim sine sensu factum est, ut, immutatis rerum adjunctis, Ecclesia toleraret communes impositiones civiles super bonis temporalibus Ecclesiarum vel clericorum sive patrimonialium sive beneficialium. Semper vero ut injuriosæ et læsivæ immunitatis Ecclesiæ considerantur leges illæ, quæ specialibus gravaminibus bona temporalia Ecclesiarum, vel clericorum subjiciunt. Quemadmodum esset lex quæ majus onus seu taxam imponeret alienanti bona sua, si in favorem et utilitatem Ecclesiæ alienaret, vel de iisdem disponeret.

9. Immunitas personalis in eo consistit ut clerici eximantur a jurisdictione cujusvis sæcularis potestatis. Hæc exemptio potest considerari 1°. relate ad leges civiles cujusque generis; 2°. relate ad judicia; 3°. relate ad munia publica subeunda. Primam quæstionem absolvimus in tit. De Constit. Secunda pertractatur in lib. 2. ubi de privilegio fori relate ad clericos agitur. Breviter de tertia. Munia publica quæ possunt considerari sunt: munus tutelæ, exercitium curiæ et armata societatis defensio in militia. Ad primum subeundum cogi nequeunt clerici præsertim cum jure canonum clericis committitur solum tutelam vel curam suscipere suorum aut viduarum, et pupillorum seu miserabilium personarum ex sensu *capp. 1. et 2. h. t. seq.* Secundum munus ob actualem rerum conditionem sub obligatione amplius non cadit, cum plurimi sint qui eligant curiæ inservire. Tertium remanet munus seu officium militiæ quod clericis interdicitur in *c. 2. h. t.* Clerici enim militiæ Ecclesiæ jam mancipati sunt. Cui rationi et alia accedit quia nempe officia militis non aptantur lenitati et mansuetudini, quæ Clericorum propria est. Hinc injuriosa status clericalis et Ecclesiæ immunitatis esset lex, quæ clericos militiæ oneri subjiceret.

Titulus L.

Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

1. Rubrica tituli præceptiva est et refert præceptum Apostoli 2. ad Tim.: 'Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus'. In *c. 1. h. t.* plures species negotiorum clericis interdicuntur de quibus actum est vel in tit. *De vita et honestate Clericorum* vel in titulis *De postulando* et *De procurationibus* uti esset officium defensoris causarum et susceptoris aliorum negotiorum. Ex *c. 2. h. t.* clerici prohibentur esse ministri, et procuratores laicorum. Hisce obiter notatis pressius tituli dispositionibus inhærentes negotia clericis interdicta explicabimus. 1°. Ex capp. 3. et fin. h. t. clericis et Religiosis interdicitur in scholis et universitatibus publicis jus civile et physicam idest medicinam audire et ex *c. 9.* clericis majoribus prohibitum est exercitium artis chirurgicæ quæ adustionem vel incisionem inducit. Ratio prohibitionis prioris partis ex conditione temporis eruitur, scilicet ex vitio clericorum et religiosorum qui plurimi facientes studia humanarum scientiarum parvi pendebant studia sacræ theologiæ. Quare immutatis circumstantiis non admodum urget prohibitio præsertim quoad studium juris civilis ob contrariam consuetudinem. Exercitium vero artis chirurgicæ interdicitur ob periculum irregularitatis, et quia revera est officium sæculare, ob quam rationem DD. tenent prohiberi etiam clericis exercitium artis medicæ. Arg. *c. 1. h. t.* et *c. 7. De ætat. et qualit. et ord.*

2. 2°. Ex *capp. 5. et 9. h. t.* clericis prohibetur ne judicium sanguinis exerceant, idest ne sententiam mortis aut mutilationis proferant. Ex *c. 7. h. t. in 6°.* excipiuntur Episcopi, vel alii clerici temporalem habentes jurisdictionem, ita ut sine metu irregularitatis committere aliis possint causæ criminalis cognitionem et decisionem. Ex Constitut. autem Leonis X. *Etsi pro cunctarum 28. Junii 1514 § 15* Gubernator Romæ et ejus officiales non incurrunt ullam censuram vel irregularitatem per comminationem vel impositionem pœnæ mutilationis membrorum vel capitalis. Cæterum in *c. 9.* prohibetur clericis ne quidquam faciant quod directe tendat ad vindictam sanguinis. Hinc si litteras aut scripturas ex officio elaboraverint ad conficiendos processus, ex quo sententia sanguinis secuta est, certum est irregulares fieri, quemadmodum

S. Congr. Conc. *die 19. Jan. 1686.* declaravit: Non incurrunt vero Clerici irregularitatem quoties causam intentant coram judice civili solummodo pro emendatione damnorum ex crimine capitali derivantium obtinenda. Tandem sciendum est ex *c. 9.* Clericos non posse assistere executioni sententiæ sanguinis.

3. 3°. Tertio loco interdicitur clericis negotiatio. At negotiatio alia est propria, alia impropria. Proprie dicta negotiatio consistit in habitu emendi res fungibiles, aut etiam non fungibiles mobiles, ut carius sub eadem forma vendantur. Sub eadem forma, idest prout acquisitæ sunt. Impropria negotiatio locum habet cum res acquiruntur ut ex industria et labore in aliam formam transmutentur et majoris pretii capaces reddantur. Prior negotiatio ex *c. 6. h. t.* interdicta est clericis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. Conc. Trid. in *c. 1. sess. 22. De Ref.* renovat antiquas pœnas, et decernit majores infligendas Ordinarii arbitrio. Nec excusantur a pœnis si nomine et pro aliis eandem negotiationem exercent. Bened. XIV. Const. *Apostolicæ servitutis 25. Febr. 1741.* Pius IV. vero Const. *Deus, 3. Nov. 1560* bona acquisita a clericis ex illegitima negotiatione cameræ spolii addixit. Impropria negotiatio interdicta non est clericis, nisi plus æquo negotiationi dent operam in detrimentum officii sui, vel nisi sermo sit de industria abjecta, et vili quæ clericum dedeceat. Tandem sciendum est ex resolutionibus S. Congr. Conc. relatis a Giraldo in *parte 2. Exp. juris Pont. ad cap. 1. sess. 22. De Ref. in Tridentino,* Clericis licere agros beneficii et bonorum patrimonialium laicorum opera colere absque metu illicitæ negotiationis; pariter posse pro culturæ usu boves et alia animalia emere, illorumque fructus justo pretio et honesta ratione vendere; et aliis omissis posse clericos retinere vel locare boves, et oves, et alia animalia, quæ habent ex successione, ex decimis necnon fructus illorum vendere, item vendere posse frumentum et alios fructus collectos ex bonis patrimonialibus et Ecclesiasticis pro sua et familiæ sustentatione.

Index rerum.

Titulus I.

De vita et honestate Clericorum.

pag. 5—20.

1. Duplex status personarum in Ecclesia, jure divino, clericorum et laicorum.
2. Quinam sint Clerici, in pœnalibus nomine clericorum non comprehenduntur Episcopi et alii dignitarii, excepta excommunicatione latæ sententiæ.
3. E contra in favorabilibus; item in obligationibus pro honestate vitæ.
4. Item omnes qui Religioni approbatæ addicti sunt.
5. Item eremitæ, benedicti et deputati ad aliquam capellam.
6. Clerici tenentur ad specialem vitæ honestatem.
7. Decreta Episcoporum circa morum correctionem non admittunt appellationem in suspensivo.
8. Honestas proprie est interior.
9. Canones disciplinares proprie agunt de exteriori.
10. Et importat I°. diligentem executionem officiorum singulis propriorum.
11. II°. Importat morum gravitatem; et præsertim 1°. caste et caute vivere; 2°. abstinere a crapula et ebrietate; 3°. avaritiam fugere.
12. Plura specificantur pro caste et caute vivendo.
13. Speciatim de vetito frequenti accessu ad moniales.
14. Quando accessus sit frequens, morali judicis æstimatione decernitur.
15. Regularibus autem interdicitur quilibet accessus, absque licentia.
16. Excipiuntur confessarii tum regulares tum sæculares, et alias ex officio. Specialis dispositio Benedicti XIV. relate ad confessarios extraordinarios post expletum officium.
17. 2°. Abstinendum clericis a crapula et ebrietate.
18. Hinc prohibetur accessus ad cauponas, nisi ex necessitate.
19. Item ludis aleatoriis deservire.
20. Item choreæ.
21. Sed Episcopo cavendum est a nimio rigore contra ludentes.
22. 3°. Cavendum ab avaritia.
23. In specie prohibentur sententiæ venales, etsi de cetero honestæ.
24. Excipe esculenta et poculenta modica, ex liberalitate, aut expensas extra domicilium.
25. Item expensæ pro assessore necessariæ, exigi possunt.
26. III^m^. caput est decentia exterioris habitus.
27. Origo vestium usualium specialium pro clericis.
28. Tridentinum tribuit Episcopo determinationem vestium clericorum majorum vel beneficiatorum.
29. Sixtus V. extendit ad omnes clericos.
30. Et præcipit vestem talarem et tonsuram.

31. Sed rigor hujus const. temperatus est; præsertim a Benedicto XIV. integra manente Episcoporum auctoritate.
32. Pœnæ in contravenientes clericos majores aut beneficiatos.
33. Sanctio pro clericis minoribus non beneficiatis.
34. Recens dispositio Pii PP. IX. de amissione omnium privilegiorum clericalium.
35. Quando clericus minor non beneficiatus valeat reassumere habitum clericalem et tonsuram et quomodo.
36. De coma et barba non nutrienda.
37. Prohibitio comæ adscititiæ.
38. Prohibitio annulorum in missa.
39. IV^m. caput est abstinentia a nonnullis artibus et officiis; et 1°. ab iis quæ nimis distraherent, ut negotiatio.
40. 2°. Quæ lenitati adversantur ut ars chirurgica incidendo et adurendo.
41. 3°. Quæ offendunt dignitatem status clericalis, ut ludi theatrales.

Titulus II.

De cohabitatione Clericorum et Mulierum. pag. 20—26.

1. Prohibetur ad cautelam.
2. Excipiuntur proxime conjunctæ consanguinitate vel affinitate, et senescentes bonæ famæ.
3. Sed ex cap. 1. h. t. et conjunctæ possunt prohiberi exceptionaliter.
4. Veteres canones aliquando vocant concubinam, uxorem legitimam inferioris gradus.
5. Clericus latiori sensu dicitur concubinarius.
6. Pœnæ in clericos concubinarios, antiquæ.
7. Martinus V. non amplius computavit clericos concubinarios, inter vitandos.
8. Canones Tridentini, I°. contra beneficiatos.
9. Cognitio talis causæ reservatur Episcopo, qui procedit absque figura judicii, absque appellatione in suspensivo.
10. Privatio fructuum beneficii etsi imponatur incurrenda ipso facto, tamen requirit sententiam declaratoriam, etiam in foro conscientiæ.
11. II°. Canones Tridentini in clericos non beneficiatos.
12. III°. Contra Episcopum (quod absit).
13. IV°. Contra Parochos.
14. Modus procedendi contra clericum notorie concubinarium.
15. Vel dubie concubinarium.

Titulus III.

De Clericis conjugatis. pag. 26—36.

1. Clerici minores valide et licite contrahunt.
2. Sed amittit beneficia ecclesiastica, etiam ante consummationem.
3. Sed ei restituenda bona quæ donaverit suæ Ecclesiæ.
4. Beneficium amittit ipso jure, absque sententia declaratoria judicis.
5. Sed non amittitur ex matrimonio invalido.
6. Sed si interim collatum fuerit alteri, valet collatio.
7. Si autem scienter attentat matrimonium nullum, in pœnam privandus est beneficio a Judice.
8. Beneficii autem collatio, clerico conjugato, est ipso jure nulla.
9. Nisi obtinuerit dispensationem Pontificis.
10. Quod de beneficiis, et de pensionibus ecclesiasticis intelligendum est.
11. Sed non de pensionibus titulo civili concessis.
12. Clericus conjugatus ex dispositione Bonifacii VIII. conservare potest privilegia canonis et fori si uni nupserit et virgini, atque ferat vestes et tonsuram.

13. Sed ante Bonifacium VIII. nullum conservabat privilegium.

De Clericis majoribus.

14. Clerici majores nec licite nec valide in Ecclesia latina nubere possunt.
15. Conjugatus autem ad majores ordines promoveri nequit, excepto casu adulterii uxoris, absque ejusdem uxoris licentia, quæ tenetur ingredi religionem vel saltem edere votum castitatis in manibus Episcopi, quod est dirimens.
16. Apud græcos, conjugati possunt promoveri ad presbyteratum, inclusive, at non ad episcopatum, retinendo usum matrimonii.
17. Quoad matrimonium contrahendum, canon trullanus illud interdicebat etiam subdiaconis.
18. Sed quoad subdiaconos, generatim non obtinuit, exceptis italo-græcis.
19. Pro Italo-græcis esset quoque invalidum.
20. Quoad reliquos græcos, etiam diaconos et presbyteros disputatum est de validitate. Quænam sententia præferenda sit.

Pœnæ contra clericos majores attentantes matrimonium.

21. Olim deponebantur.
22. Jure Decretalium adest suspensio et excommunicatio quæ excommunicatio et nunc viget.
23. Si consumment fiunt etiam irregulares.
24. Græci autem deponuntur ex synodo trullana, et Italo-græci excommunicantur.

Titulus IV.

De clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

pag. 36 - 74.

1. Residentia quid?
2. Residentia ficta.
3. In sensu tituli, Ecclesia est beneficium cum cura animarum, præbenda significat alia beneficia.
4. Omnia beneficia olim erant residentialia.
5. Serius habita beneficia non residentialia, quæ hodie dicuntur simplicia.
6. An clerici habentes curam animarum teneantur ad residentiam jure divino, non est definitum.
7. Neque tunc dispensari posset.
8. Certo est juris ecclesiastici fundati in intentione juris divini.
9. Et personalis residentia maxime congruit.
10. Lege canonica obligat et canonicos aliosque beneficiatos chorales.
11. Sed legitimæ absentiæ causæ esse valent.
12. Sed habentes curam animarum præcavere debent damna gregis.
13. Ia. causa est christiana charitas.
14. IIa. urgens necessitas, personalis.
15. IIIa. est debita obedientia.
16. Sed Episcopus nequit adsumere parochum ad officium quod habitualem absentiam expostulat.
17. IVa. causa est Ecclesiæ vel Reipublicæ evidens utilitas; sed intellige Ecclesiæ propriæ vel universalis.
18. Exemplum utilitatis civilis esset dignitas senatoria adnexa sedi.
19. Sed nequeunt Episcopi retinere officia in curiis sæcularibus.

In specie de residentia singularum classium.

20. 1°. De Episcopis. Episcopus ut se absentet debet 1°. providere spirituali regimini per alios; 2°. licentiam in scriptis habere a S. Sede, nisi sit ob munus adnexum Sedi.
21. Sed rigore juris requiritur pro muneribus adnexis personæ.
22. Tamen æquitas et consuetudo aliud permittit in senatoribus et deputatis.
23. Deinde Episcopi ex rationabili motivo abesse possunt ad summum per trimestre, exceptis temporibus magis sacris.

24. Neque licentia est necessaria.
25. Sed spatium absentiæ unius anni nequit conjungi cum absentia sequentis anni.
26. Neque suppleri absentia unius anni in subsequente aut conjungi cum absentia legitima ex alia causa.
27. Pœnæ contra Episcopos non residentes.
28. Si absentia illegitima superet tres menses, pro rata temporis amittit fructus absque sententia declaratoria Judicis.
29. Hinc sess. 23. cap. 1. de ref. exacerbatæ pœnæ sess. 6. cap. 1.
30. Etsi consonum sit juri quod Episcopus habitualiter resideat penes Cathedralem, tamen pœnas Tridentini non incurrit quocumque in loco Diœcesis resideat.
31. Temporibus tamen a Tridentino statutis accedat ad cathedralem, nisi legitime excusetur.
32. Si Episcopus habeat duas Diœceses æque principaliter unitas, satisfacit residendo in una, etsi quam maxime deceat ut et in alia aliquantulum moretur, præsertim in Cathedrali, solemnioribus temporibus.
33. Si autem aliquid determinatum fuerit in bulla unionis, servandum erit.
34. Contra non residentes Pius IV. addidit pœnam ferendæ sententiæ privationis et alias.
35. Clemens VIII. addidit inhabilitatem ad majores dignitates.
36. Et alias Urbanus VIII.
37. Cardinalis in Urbe Vicarius prorogat ad 40 dies moram Episcopis in Curia promotis.
38. Alias pœnas addit Benedictus XIV.

De S. R. E. Cardinalibus.

39. Cardinales nullum habentes episcopatum, Romæ residere debent.
40. Sed sequuntur Papam si alibi Curiam transferat.
41. Si discedant absque venia Pontificis, post monitionem privantur Cardinalatu.
42. Aliæ pœnæ ex Innocentio X.
43. Absolutio pertinet privative ad Summum Pontificem, etiam Sede vacante.
44. Episcopi suburbicarii, incardinati Romæ Ecclesiæ.
45. Hinc Romæ resident.
46. Tamen I°. propriam diœcesim tenentur visitare.
47. II°. Visitare limina apostolica.
48. Cardinales Episcopi aliarum sedium tenentur ad residentiam sicut ceteri Episcopi.
49. Si Cardinalis Suburbicarius ex dispensatione Pontificis obtineat et aliam sedem, in hac residere debet.

De Parochis et aliis beneficiatis curam animarum habentibus.

50. Pro Parochis præter justam absentiæ causam, requiritur 1°. approbatio Episcopi, scripta et gratis concedenda; 2°. constitutio idonei vicarii.
51. Nisi periculum sit in mora; sed quam cito monendus Episcopus, nisi parochus sit brevi rediturus.
52. Parochus indiget licentia Episcopi et pro absentia septimanæ.
53. Et lege diœcesana etiam brevius tempus præscribi potest, dummodo non sanciatur gravissimis pœnis.
54. Ex Conc. Rom. sub Benedicto XIII. absentia Parochi absque licentia, coarctata est ad biduum.

Pœnæ adversus parochos et alios beneficiatos curatos illegitime non residentes.

55. 1°. Privantur ipso facto absque sententia Judicis, rata fructuum.
56. 2°. Censuris compelli possunt ad redeundum, et aliis pœnis usque ad privationem, nullo suffragante privilegio.

57. Ut priventur beneficio, requiritur lapsus sex mensium post tertiam citationem, quæ sufficit sit edictalis.

De residentia Canonicorum et aliorum beneficiatorum choralium.

58. Obligantur ad residentiam quicumque habent beneficium non simplex.
59. Tenentur non modo residere materialiter, sed personaliter deserviendo.
60. Neque ex consuetudine possunt dispensari ab onere psallendi et canendi, contenti materiali præsentia, sed tantum ex privilegio Pontificis.
61. Juxta primitivam institutionem, residentia debebat esse continua.
62. Sed nunc est discontinua, idest diebus et horis servitii.
63. Et Tridentinum permittit eos abesse posse singulis annis per trimestre, nisi speciales constitutiones minus tempus aut nullum concedant.
64. Numerus tamen sufficiens pro divino servitio, adesse debet semper.
65. Sed absque rationabili motivo nequit Episcopus negare facultatem abessendi tribus mensibus.
66. Et temporibus solemnioribus absentia meræ recreationis causa, vetari potest ab Episcopo.
67. Neque admittitur absentia, ubi servitium est mediariæ, tertiariæ etc.
68. Canonici et alii beneficiati chorales valent aliquibus vicibus ad invicem se substituere nonnullis servatis.
69. Causæ fictæ residentiæ. 1ª. Causa studiorum.
70. Sed imminui non debet cultus divinus; hinc ex praxi requiritur licentia.
71. Hæc causa parochos non juvat.
72. 2°. Duo Canonici abesse possunt pro adjuvando Episcopo in Ecclesiæ servitio, regulariter ex Cathedrali adsumendi.
73. Oportet inserviant ut presbyteri, diaconi vel subdiaconi.
74. 3°. Causa est infirmitatis, vel alterius physici impedimenti.
75. 4°. Visitatio ss. liminum cum Episcopo vel ejus loco.
76. Comitantes Episcopum in visitatione diœcesis non lucrantur distributiones.
77. 5°. Privilegium apostolicum.
78. 6°. Indultum jubilationis, ex consuetudine inductum.
79. Aliquando attenditur et servitium in diversis Ecclesiis, ut Romæ fit.
80. Sed oportet 1°. præstiterit servitium 40 annorum laudabile et continuum, quibusdam exceptis absentiis.
81. 2. Dummodo divinum servitium sit adhuc possibile per ceteros beneficiatos.
82. Jubilati eximuntur et ab onere residentiæ in loco Ecclesiæ suæ.
83. Quod non valet de iis qui habent coadjutorem.

De distributionibus.

84. Reditus beneficiales, alii sunt fructus annui seu grossi seu præbendæ, et alii distributiones quotidianæ, seu fructus præsentiæ et manualia beneficii.
85. Concilium Trid. statuit quod saltem tertia pars fructuum constituatur in distributiones.
86. Indifferens est an constituantur ut retributiones præsentibus, vel ut subtractiones absentibus.
87. Adsunt et distributiones specialis fundationis sive pro aliqua functione, sive pro præsentibus tantum alicui functioni.
88. Has postremas lucrantur tantum vere præsentes.
89. Si omnes fructus vel pars major tertia sit in distributionibus, binæ tertiæ partes omnium fructuum repræsentant præbendam, et eas lucrantur legitime absentes.

90. Et praxis est S. C. C. id concedere impetrantibus indultum ex legitima causa.
91. Sed sunt et causæ quibus conceduntur absentibus et distributiones, exceptis illis quas diximus inter vere præsentes.
92. Ia. causa est infirmitatis, dummodo sanus soleret interesse.
93. IIa. est corporis necessitas, ut absentia, ob metum principis injusti.
94. IIIa. est utilitas Ecclesiæ universalis vel ejus in qua beneficium erectum est.
95. Limitatio in concedendo indulto iis qui morantur extra locum beneficii, causa Ecclesiæ universalis, seu S. Sedis.
95. Canonici deputati ad Concilium a Capitulo suo, sunt absentes ob utilitatem suæ Ecclesiæ.
97. Item Canonicus theologus ea die qua legit, et Pœnitentiarius audiens confessiones in sua Ecclesia.
98. Item beneficiatus adnexam habens curam animarum in eadem Ecclesia, attendendo muneri huic.
99. IV. Causa, visitatio ss. Liminum cum Episcopo vel pro Episcopo.
100. V. Qui recepti in domibus regularium, vacant exercitiis spiritualibus, sub quibusdam conditionibus.
101. Non lucrantur distributiones
1°. Absentes causa studiorum.
2°. Assistentes Episcopo;
3°. Absentes ad tres menses ex indulto Tridentino.
102. Solvitur difficultas ex cap. 30. De Electione et Electi potestate in 6°.
103. Sed pro absentibus ob utilitatem Ecclesiæ, admittitur consuetudo eis negandi distributiones.
104. Distributiones amissæ ab absentibus, applicantur præsentibus si deductæ ex massa communi; secus fabricæ Ecclesiæ, si indigeat, vel alteri loco pio.

De pœnis contra beneficiatos non residentes.

105. Privantur primo anno dimidia parte fructuum, etiam eorum quos fecerant suos ratione præbendæ et residentiæ; secundo anno, omnibus; 3°. ipso beneficio.
106. Ut procedatur ad privationem fructuum non est necessaria monitio, sed citatur ad dicendum quare.
107. Hæc gradatio pœnarum servanda est.
108. Et pro privatione beneficii, necesse est præcedat citatio peremtoria personalis, vel triplex monitio edictalis, si personalis nequeat locum habere, et expectandus est per sex menses.
109. Potest tamen proponi et pœna suspensionis et excommunicationis durante triennio, et inchoatis aliis pœnis Tridentinis.
110. Contra beneficiatos non curatos, qui non pertinent ad Cathedrales vel Collegiatas, proceditur jure Decretalium, idest citantur et deinde procedi potest statim ad privationem beneficii.
111. Nequit Episcopus prohibere presbyteris celebrationem extra diœcesim, nisi teneantur celebrare in diœcesi ex titulo speciali; iis quoque nequit discessum sub censura prohibere.

Titulus V.

De præbendis et dignitatibus.

pag. 75—109.

1. In sensu tituli præbenda est beneficium prout opponitur dignitati.
2. Beneficia militaria Romanorum.
3. Beneficia ecclesiastica.
4. Ejus definitio.
5. Distinguitur a Canonia.
6. Est perpetuum, perpetuitate objectiva, et regulariter etiam subjectiva.
7. Beneficia manualia, seu ad nutum.
8. Ecclesiæ receptitiæ seu non numeratæ.

9. Oportet beneficium erigatur auctoritate ecclesiastica.
10. Et proinde distinguitur a capellania laicali, et pio legato.
11. Beneficium habet adnexum officium sacrum, et sic distinguitur ab officiis civilibus quæ præstantur Ecclesiæ, ut ab ædituo, procuratore etc.
12. Hinc beneficium confertur personæ ecclesiasticæ.
13. Beneficium resultat ex bonis ecclesiasticis; ut talia considerantur pensiones a gubernio nunc officiis ecclesiasticis destinatæ.

Divisio beneficiorum ecclesiasticorum.

14. I°. Duplicia et simplicia, sensu antiquo et moderno.
15. Duplicia alia majora, alia minora; majora in odiosis non veniunt sub nomine beneficiorum.
16. Duplicia minora proprie sunt dignitates, personatus, officia et beneficia curata.
17. Canonicatus Cathedralis Ecclesiæ sunt improprie beneficia duplicia minora, et accedunt dignitati.
18. II^a. divisio generalis est in sæcularia et regularia.
19. III°. Collativa, patronata et electiva.
20. IV°. Patrimonialia et non patrimonialia.
21. V°. Manualia et perpetua.
22. Beneficia mere laicalia, sunt proprie pia legata.
23. Quid canonia?
24. Canonici honorarii.
25. Vicaria jurisdictionis, et in divinis.
26. Vicaria in divinis alia temporanea.
27. Et alia perpetua.
28. Commenda antiqua.
29. Moderna.
30. Capellania ecclesiastica.
31. Laicalis.
32. De infirmitate excusante capellanum.
33. De aliis causis excusantibus capellanum.
34. Præstimonium.
35. Pensio, laicalis.
36. Ecclesiastica.
37. Onera pensionati ecclesiastici.

De erectione beneficiorum ecclesiasticorum.

38. Quando erigantur.
39. In limine fundationis possunt adjici conditiones honestæ et possibiles, quamvis exorbitantes a jure.
40. Quæ a successoribus nequeunt immutari.

De collatione beneficiorum.

41. I°. Prævia electione vel postulatione per confirmationem superioris.
42. II°. Per institutionem prævia præsentatione.
43. III°. Per liberam collationem.
44. Legitimi collatores beneficiorum.
45. Papa confert 1°. præveniendo.
46. 2°. Concurrendo.
47. 3°. Jure devolutionis.
48. 4°. Reservationis.
49. Multiplex ratio reservandi.
50. Reservata per regulas cancellariæ.
51. Enumerantur.
52. Regula de mensibus papalibus.
53. Privilegio Cardinales solent ab ea dispensari.
54. 5°. Affectione.
55. Ejus differentia cum reservatione.

Collatores Papa inferiores.

56. Episcopus.
57. Capitulum et Vicarius Capitularis, sede vacante, quænam nequeant beneficia conferre.
58. Quænam valeant conferre.

De regulis collationis.

59. Enumerantur.
60. De forma concursus quando collatio est Episcopi.
61. Quando est Summi Pontificis.
62. Quæstiones proponendæ.
63. Judicandum non modo de scientia, sed et de aliis requisitis.

64. Episcopi est electio dignioris.
65. Ab electione Episcopi et a judicio examinatorum appellatur tantum in devolutivo.
66. Coram judice appellationis producuntur acta primi examinis.
67. Si secunda sententia confirmet primam, habetur res judicata, secus locus datur tertiæ instantiæ.
68. De collatione beneficii curati juris patronatus ecclesiastici.
69. Item si sit juris patronatus ecclesiastici, sed institutio non spectet ad Episcopum.
70. Quando est juris patronatus laici.
71. Quando juris patronatus mixti.
72. Alia beneficia curata immunia a lege concursus.
73. Collationes factæ præter dispositionem Tridentinam sunt nullæ, nisi legitime dispensatum.
74. Abolita sunt privilegia antecedentia.
75. Item consuetudines præcedentes; sed subsequentes obtinere possunt, saltem centenariæ et immemoriales.

De pluralitate et incompatibilitate beneficiorum.

76. Antiquitus omnia beneficia erant incompatibilia.
77. Quædam sunt incompatibilia ratione officii et quædam redituum.
78. Beneficia compatibilia.
79. Jus Tridentinum.
80. Quod de beneficiis incompatibilibus, non tenet de legatis piis et capellaniis juris patronatus laici.
81. Sufficientia beneficii arbitrio judicis decernitur.
82. Remedia juris contra clericum habentem plura beneficia; prima dispositio Alexandri III.
83. IIa. ejusdem Papæ in Lateranensi III.
84. IIIa. Innocentii III. in Lateranensi IV.
85. Jus Tridentinum.
86. Unio beneficii sufficientis et insufficientis.
87. Unio tertii beneficii cum duobus insufficientibus.
88. Causæ sufficientes ad dispensandum super pluralitate beneficiorum.

De unione, divisione et dismembratione Beneficiorum.

89. Unio quid? Unio perpetua.
90. Unio temporanea.
91. Unio tituli extinctiva.
92. Unio minus principalis.
93. Unio æque principalis.
94. Episcopatus unire valet unus Pontifex.
95. Potestas Episcopi.
96. Unio pro erigendo vel dotando Seminario.
97. Conditiones requisitæ pro legitima beneficiorum unione; et I°. de causa rationabili.
98. II°. Consensus interesse habentium.
99. III°. Consensus Capituli Cathedralis.

De divisione beneficiorum.

100. Divisio quid?
101. Justa causa dividendi.
102. In specie de divisione Parochiæ.
103. Dismembratio beneficiorum.

Titulus VI.

De Clerico ægrotante vel debilitato. pag. 109—113.

1. Quis sit?
2. Nequit privari beneficio.
3. Etsi ex propria culpa ægrotans factus sit.
4. Quomodo provideatur officio sacro.
5. Coadjutoriæ temporaneæ.
6. Coadjutoriæ perpetuæ.
7. Quoad Episcopatus dantur tantum a Pontifice.
8. Quoad beneficia minora, coadjutores temporanei dantur tantum Parochis, ex praxi.
9. Coadjutoriæ perpetuæ dantur a Pontifice.
10. Qua lege S. Sedes eas concedat beneficiatis non curatis.

11. Congrua adsignanda coadjutoribus Parochorum.
12. Notanda quoad coadjutores Canonicorum.
13. Statuta vel concessiones speciales.

Titulus VII.

De Institutionibus.

pag. 113—121.

1. Institutio late sumpta.
2. Stricto sensu.
3. Tituli collativa.
4. Auctorizabilis.
5. Realis.

De institutione tituli collativa.

6. Dari nequit a laicis, aut suscipi ab eis.
7. Episcopus habet intentionem in jure fundatam, pro sua diœcesi.
8. Si jure speciali alteri competat, Episcopus debet videre de idoneitate.
9. In beneficiis erectis post Tridentinum, nequit institutio alteri reservari quam Episcopo.
10. Episcopus valet instituere etsi nondum sit consecratus.
11. Instituit et Vicarius generalis ac Vicarius Capitularis.
12. Quinam possint institui.
13. Quot possint institui in Ecclesiis receptitiis.
14. Quot recipi in monasteriis.
15. Specialia pro Italia et insulis.
16. Quoad moniales.
17. Intra quod tempus danda institutio.
18. Ante institutionis concessionem, proponendum edictum contradictoribus.

De institutione auctorizabili.

19. Pertinet semper ad Episcopum.
20. Vicarius generalis indiget mandato speciali ut eam concedat.
21. Potest autem Vicarius Capitularis.
22. Item Prælati quasi-episcopi.
23. Alii ex privilegio apostolico, sed non ex consuetudine.

De reali institutione, seu investitura.

24. Quid sit.
25. Non licet auctoritate propria possessionem capere.
26. Neque laicali.
27. Qui Clericus eam conferat.
28. Potest instituendus constituere procuratorem.

De officiis institutionis realis.

29. Incipit beneficiatus facere fructus suos.
30. Regula de annuali possessione.
31. Regula de triennali possessione.
32. Vacant beneficia incompatibilia.

Titulus VIII.

De Concessione Præbendæ et Ecclesiæ non vacantis.

pag. 122—131.

1. Beneficium vacans de jure tantum.
2. De facto tantum.
3. De jure et de facto.
4. Varii modi vacationis.
5. Collatio beneficii de jure non vacantis, est irrita.
6. Impetratio beneficii non vacantis ab Apostolica Sede, obreptitie.
7. Beneficium non vacans, neque promitti potest determinate, neque valet.
8. Promissio generica non prohibebatur, utpote de se honesta.
9. Sed eam quoque prohibuit Bonifacius VIII., ad importunos repellendos.
10. Hinc abolitæ gratiæ expectativæ.
11. Neque valet promissio patroni de nominatione ad beneficium vacaturum.
12. Canoniæ tamen non fuerunt abolitæ, de rigore juris loquendo.
13. Sed praxis S. C. C., nisi obstet specialis consuetudo, non admittit canonias in sensu antiquo.

De Canonicis honorariis.

14. Serius orti sunt.
15. Jus eos nominandi, excepta speciali consuetudine, spectat ad Episcopum simul et Capitulum in Cathedralibus.
16. Neque canonici honorarii possunt sibi vindicare jura forte concessa ab Episcopo, invito capitulo.
17. Jura canonici honorarii.
18. Si in eadem Ecclesia habeat beneficium chorale inferius, nequit illud satisfacere in habitu canonicali.
19. Nequit privari absque demerito.

Intra quod tempus beneficium sit conferendum.

20. Beneficia liberæ collationis intra semestre; collatio facta postea, valet irritari.
21. Enuntiata regula locum non habet in Ecclesiis non numeratis; sed si vires Ecclesiæ sufficient, superior præfiniet congruum tempus.
22. Episcopus confert omnia beneficia liberæ collationis quæ vacaverint per renuntiationem factam coram se, etiam in mensibus papalibus.
23. Si beneficium sit electivum, et sit Episcopale vel quasi, tempus est trimestre; secus est semestre.
24. Si sit juris patronatus laici tempus ad præsentandum est quadrimestre; si ecclesiastici semestre.
25. Notanda specialiter.
26. De beneficio vacante tantum de jure.

Titulus IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur. pag. 131—133.

1. Quid Sedes?
2. Quoadusque vacent Sedes quarum collatio vel confirmatio spectat ad Summum Pontificem.
3. Quid de aliis beneficiis.
4. Sede vacante nihil innovandum.
5. Neque currit præscriptio.
6. Sedes vacans regitur a Capitulo, et pro eo a Vicario Capitulari.
7. In specie de judiciis contra Ecclesiam vacantem.

Titulus X.

De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli. pg. 133—136.

1. Ab initio Ecclesiæ, regebant exquisita sententia presbyterii.
2. Presbyterio successit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis.
3. Quæ in titulo dicuntur de Episcopo et capitulo cathedrali, facta proportione, applicanda monasteriis et Ecclesiis collegiatis.
4. Quando habeatur consensus capituli.
5. Quando consilium.
6. Regula generalis jure decretalium est Prælatum per se expedire posse tantum negotia ordinaria, vel quæ moram non admittunt.
7. Sed quando agit ex delegatione, intelligitur electa ejus personalis industria.
8. Specificantur negotia quæ requirunt Capituli consensum vel consilium expressa juris dispositione.
9. Speciatim de synodo diœcesana.
10. Attendenda tamen consuetudo, quæ Episcopis solet favere.
11. Sed consuetudo difficilius admittitur contra leges Tridentinas.

Titulus XI.

De iis quæ fiunt a majori parte Capituli. pag. 136—140.

1. Quid veniat nomine Capituli.
2. Quando actus sit capitularis.
3. Quis convocet Capitulum.
4. Quando citandi absentes.
5. Citati non venientes, non officiunt valori actus capitularis.
6. Quando nemo habet jus convocandi, necessariæ sunt duæ tertiæ partes nisi periculum sit in mora.
7. Quando negotium singulos tangit, ab omnibus probandum est.

8. Si negotium respiciat omnes in communi, non requiritur singulorum consensus.
9. Constitutiones Capitulares. Infra quod tempus conficiendæ. Decreta Capitularia.
10. An canonici in electionibus votum dare queant consanguineo?

Titulus XII.

Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. pag. 141—152.

1. Rubrica tituli habet sensum determinatum.
2. Modi quibus beneficia diminutionem patiuntur, 1°. augendo onera.
3. Resolutiones conformes S. C. C.
4. Explicatur cap. XI. de Præbendis, quod videtur contrarium.
5. 2us. modus est solutionem aliquam exigendo.
6. Verum ex necessitate, in actu collationis licet.
7. Enumerantur conditiones ut liceat.
8. Annatæ et mediæ annatæ.
9. Nunc exiguæ sunt.
10. 3us. modus est separando stabiliter aliquam fructuum portionem.
11. De Pensione.
12. Cui concedi possit.
13. Onera pensionati.
14. Pensio temporanea.
15. Perpetua.
16. Pensiones imponit 1°. Papa.
17. Ceteri collatores nequeunt imponere pensiones perpetuas.
18. Temporaneas possunt ex justa causa.
19. Resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis perpetuæ admitti possunt tantum a Papa.
20. Beneficia quibus pensiones imponi possunt.

De translatione pensionum.

21. Tantum a Pontifice fieri potest.
22. Olim poterant et officiales Romanæ Curiæ; nunc tantum cardinales quoad medietatem pensionum quas possident.
23. Translatio pensionis fieri potest et in articulo mortis.
24. Forma servanda.
25. De solutione pensionum. Solvendæ sunt in integrum.
26. Sed ex valde notabilibus oneribus quæ supervenerunt beneficio, concessa est reductio pensionum in Italia.
27. Attendendum tempus quo pensio fuit imposita.
28. Oportet in pensionibus imponendis, salva sit congrua parochialis certa et determinata.
29. Sed computantur reditus incerti quoad quantitatem, sed certi quoad qualitatem, ut decimæ.
30. Quædam emolumenta pendent omnino a liberalitate fidelium et quædam a factis humanis, ut funera, baptismata, matrimonia; hæc includuntur in congrua, facta media proportione.
31. Modi quibus cessant pensiones.
32. Pensiones nec vendi nec ad longum tempus locari possunt.

Titulus XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis vel non. pag. 152—159.

1. Alienatio late sumitur in titulo.
2. Item Ecclesiæ nomen.
3. Quid veniat nomine rerum alienabilium.
4. Res pretio æstimabiles immobiles, mobiles, se moventes.
5. Pecunia.
6. Immobiles pretiosæ vel non.
7. Intentio juris est res pretiosas servandas esse.
8. Sed permittitur 1°. ex causa.
9. Et 2°. servatis solemnitatibus pro iis quæ servando servari possunt.
10. Jure Decretalium Gregorii IX. requirebatur consensus Capituli.

11. Bonifacius VIII. addidit necessitatem veniæ apostolicæ.
12. Etsi alienatio fiat in favorem alterius Ecclesiæ.
13. Exceptiones.
14. Pœnæ in alienantes indebite; I°. nullitas contractus.
15. II°. Excommunicatio et interdictum.
16. Ad incurrendas pœnas alienatio debet esse completa.
17. Repudiatio legati favore Ecclesiæ, quamvis sine causa, non est alienatio.
18. Remedia juris in hoc casu.

De revocatione alienationis.

19. 1°. Revocanda ab ipso alienante
2°. a successore,
3°. a quolibet Clerico Ecclesiæ.
20. Si alienatio fuerit valida, sed noxia Ecclesiæ, ei competit beneficium restitutionis in integrum.
21. Si fuerit invalida, competit actio personalis ad indemnitatem.

Titulus XIV.

De precariis. p. 160—161.

1. Precarium quid?
2. Precariæ quid?
3. Differentiæ utriusque contractus.
4. Renovatio quinquennalis precariarum.
5. Adnotanda circa concessionem precarii.
6. Expiratio precariarum.

Titulus XV.

De Commodato.

pag. 161—163.

1. Commodatum quid?
2. Servanda in eo.
3. De damno reparando.
4. De casu fortuito præstando.
5. De restitutione rei commodatæ.

Titulus XVI.

De Deposito. p. 163—165.

1. Depositum quid?
2. Servanda in eo.
3. An Clerici possint esse depositarii.
4. De deposito amisso vel imminuto, ex dolo vel culpa lata.
5. De culpa levi et levissima.
6. Actio depositi directa et contraria.

Titulus XVII.

De emptione et venditione.

pag. 165—181.

1. Quid conventio?
2. Quid contractus?
3. Quid merum pactum?
4. Divisio contractuum 1°. in reales et consensuales.
5. 2°. In unilaterales et bilaterales.
6. Quid emptio-venditio?
7. Quænam vendi et emi possint.
8. De pretio.
9. De læsione levi.
10. De læsione gravi.
11. De læsione gravissima.
12. Attenditur tempus secutæ læsionis.
13. Regulæ servandæ.
14. De consensu.
15. De pacto adjecto; speciatim de pacto legis commissoriæ.
16. Pactum addictionis in diem.
17. De pacto retrovenditionis.
18. De palliata usura in tali pacto.
19. De periculo rei venditæ.
20. Quando non est tradita, emi potest species vel genus.
21. Si genus, perit venditori, si species emptori.
22. Quid quando vendita conditionaliter.
23. De evictione præstanda.
24. Casus in quibus non præstatur.

Appendix.

De bonis ecclesiasticis, alienatis ab invasoribus, præsertim a guberniis.

25. Dispositio Decretalium.
26. Item Benedicti XIV.
27. Conc. Tridentini.
28. Pii IX.
29. Responsio S. Officii 23. apr. 1873.

30. Sanatio data per concordata.
31. Sanatio quoad cetera antiquæ usurpationis; quibus sub conditionibus concedatur.
32. Sanatio pro alienatis nostra ætate.
33. Rescriptum quod conceditur a S. Pœnitentiaria, quoad acquisitiones faciendas.
34. Conditiones.
35. Animadversiones.
36. Facultates quæ Ordinariis ad annum conceduntur.
37. Speciatim pro conductionibus.
38. Item quoad emphyteusim.
39. Facultates concessæ a S. Pœnitentiaria pro sanandis acquisitionibus jam factis.
40. Conditiones servandæ.
41. Animadversiones.
42. Quoad emphyteuses sanandas.
43. Quoad emphyteuses illegitime redemptas.
44. Item de canonibus et aliis præstationibus illegitime redemptis.
45. Extraordinariæ concessiones.
46. Facultas absolvendi a censuris.

Titulus XVIII.

De locato et conducto. p. 181—187.

1. Locatio et conductio quid?
2. Adnotanda.
3. Locatio rerum Ecclesiæ non ultra triennium.
4. Secus requiruntur solemnitates.
5. De vacatione Ecclesiæ, antequam expiret triennium locationis.
6. Obligationes locatoris.
7. Quando ante tempus valeat repetere rem suam.
8. Obligationes conductoris.
9. De defectu fructuum in prædio locato frugifero.
10. Augmentum fructuum non dat jus exigendi majorem pensionem.

De emphyteusi.

11. Quid sit ex primitiva institutione?
12. Quid nunc soleat esse?
13. Est perpetua vel ad longum tempus.
14. Res Ecclesiæ regulariter nequeunt dari in emphyteusim absque solemnitatibus.
15. Exceptiones.
16. Obligationes emphyteutæ.
17. Quomodo cesset emphyteusis.
18. Ad quem pertineant melioramenta, finita emphyteusi.

Titulus XIX.

De rerum permutatione.
pag. 187—190.

1. Permutatio lato sensu, et stricto.
2. De permutatione rerum spiritualium.
3. De permutatione rerum temporalium Ecclesiæ.
4. De permutatione beneficiorum.
5. Auctoritate privata prohibetur.
6. In permutatione beneficiorum inæqualium quoad temporalitatem, fieri potest compensatio per pensionem aut partem fructuum quando pertinent ad personas morales, sed distincto contractu.
7. Secus si possidentur ab individuis.
8. Permutatio fieri nequit in beneficiis reservatis S. Sedi.

Titulus XX.

De Feudis. pag. 190—191.

1. Feudum quid?
2. Obligationes feudatarii.
3. Divisio feudorum.
4. Quando bona Ecclesiæ concedi possint in feudum.

Titulus XXI.

De pignoribus et aliis cautionibus.
pag. 191—194.

1. Pignus quid?
2. Hypotheca.
3. Divisiones.
4. Oppigneratio rerum ecclesiasticarum.
5. Obligationes creditoris qui pignus accepit.
6. Fructus restituendi.

7. Exceptiones.
8. De pacto antichresis.
9. De pacto legis commissoriæ.
10. Distractio pignoris.
11. Quid cautio, simplex, et fidejussoria?
12. Cautio juratoria.

Titulus XXII.

De fidejussoribus. pag. 194—197.

1. Quid fidejussio?
2. Voluntaria et necessaria, et aliæ divisiones.
3. Qui possint fide jubere; speciatim de Clericis.
4. De prælato.
5. Obligatio fidejussoris.
6. Beneficia concessa fidejussori.
7. An non soluto debito possit liberari fidejussor.

Titulus XXIII.

De solutionibus. pag. 197—202.

1. Quid solutio?
2. Quinam solvere teneatur.
3. An Prælatus teneatur solvere debita sui antecessoris, contracta servatis solemnitatibus.
4. Quid non servatis solemnitatibus.
5. De expensis factis favore beneficii.
6. Resolutio S. C. EE. et RR.
7. De eo qui non est solvendo.
8. Privilegium competentiæ pro Clericis, seu Cap. Odoardus.
9. Limitatio censurarum post Tridentinum.
10. Vera competentia Clerici ne egeat.
11. Conditiones requisitæ.
12. Huic privilegio Clericus renuntiare nequit.
13. De solutione indebiti.
14. Modus, tempus, materia solutionis.

Titulus XXIV.

De donationibus. pag. 203—206.

1. Donatio quid?
2. Donatio facta Ecclesiæ vel causæ piæ.
3. Insinuatio donationis.
4. Donatio verbalis et realis.
5. Donatio inter vivos et mortis causa.
6. Causæ revocandi donationem inter vivos; et I°. de ingratitudine.
7. II°. Supervenientia liberorum.
8. III°. Inofficiosiitas donationis.
9. Donatio mortis causa.
10. De persona donatoris, in bonis Ecclesiæ; I°. de Clerico.
11. II°. De Prælatis regularium.
12. III°. De religiosis.

Titulus XXV.

De peculio clericorum. pag. 207—212.

1. Quid peculium Clerici?
2. Quotuplex.
3. Clerici habent dominium bonorum patrimonialium et quasi-patrimonialium.
4. Item parsimonialium.
5. Quomodo computanda honesta sustentatio Clerici.
6. De superfluis.
7. Verius habet dominium et de superfluis.
8. Solvuntur argumenta contraria.
9. Tamen lege tenetur superflua beneficii erogare in usus pios.
10. Sensus communis canonistarum.
11. Dispositiones speciales.

Titulus XXVI.

De testamentis et ultimis voluntatibus. pag. 212—242.

1. Quid testamentum?
2. Quo jure procedat facultas testandi.
3. Melius repetenda a jure naturæ.
4. Satisfit objectis I°. de actu dominii post mortem.
5. II°. De deficientia simultaneitatis inter voluntatem donantis et donatarii.
6. Tamen lex civilis juste adsignat solemnitates.

7. An testamentum ex defectu solemnitatum sit nullum et in foro conscientiæ.
8. Certo est nullum cum suspicionem probabilem inducit de plena testatoris deliberatione.
9. Quid si error fuerit ex culpa notarii, aut aliter desit probatio civilis, extante naturali certitudine de voluntate defuncti?
10. Sententia affirmans valere, præferenda ut probabilior.
11. Tamen adimplementum obligationis mere naturalis urgeri nequit nisi plene de ea constet.
12. Sed semel agnita, retractari nequit.
13. Sed et sententia repetens facultatem testandi, a lege humana, non caret omni probabilitate saltem extrinseca; hinc dictamini reflexo efformando potest inservire.
14. De forma testamenti jure canonico instituta.
15. Cap. Cum esses, est et pro causis profanis.
16. Non tamen reprobatæ solemnitates civiles; directe respicit dominia Pontificia.
17. Insertio hujus cap. in corpore juris per se infirmat tantum principium quod contra jus romanum non invalescat consuetudo.
18. Dispositio cap. Cum esses, indirecte vim habuit, ubicumque jus Canonicum suscipiebatur ut lex status.
19. Postremis temporibus Cap. Cum esses, fuerat limitatum et in ditione Pontificia.
20. De testamentis ad causam piam. Quid causa pia?
21. Sunt privilegiata, et sufficit naturalis certitudo de ultima voluntate.
22. Hoc privilegium tenet in foro tum interno, tum externo.
23. Respicit et legata.
24. Abrogatio talis privilegii, fieri nequit sola lege civili.
25. Neque sufficit silentium Ecclesiæ.
26. Imo Ecclesia adhuc inculcat dispositionem juris canonici.
27. Alia testamenta privilegiata jure civili.
28. Quinam lege canonica prohibebantur condere testamentum.
29. Nunc jus canonicum vetat tantum I°. ipsi Ecclesiæ suscipere legata ab impœnitentibus publicis.
30. II°. Condere testamentum de peculio beneficiali.
31. Quod jure Decretalium devolvitur Ecclesiæ in qua est beneficium.
32. Sed ex constitutionibus Pontificum, succedit camera apostolica spoliorum.
33. Quæ Camera succedit et in bona Religiosorum decedentium extra claustra et in fructus beneficiorum reservatorum seu affectorum, vacantium.
34. Nunc Camera spoliorum est tributa S. C. de Propaganda Fide.
35. Sed adsunt speciales concessiones pro pluribus nationibus, præsertim vi concordatorum.
36. Item exempti sunt a lege spolii Clerici sæculares commorantes et decedentes Romæ vel intra decem milliaria, quoad bona ibi sita.
37. Item Conclavistæ, et beneficiati modici.
38. Et qui se componunt cum Camera spoliorum.
39. Hujusmodi sunt Cardinales.
40. Sed consuetudo fere ubique favet Clericis, si attendatur tantum justitia.
41. Spolium improprie dictum, resultat ex sacra supellectili.
42. Dispositio quoad Cardinales.
43. Quoad reliquos.
44. Constitutio Pii IX. ad dubia dirimenda.

45. Pars narrativa bullæ.
46. Pars dispositiva, quoad personas.
47. Enumerantur sacra utensilia.
48. De inventario conficiendo.
49. Speciatim quoad Cardinales.
50. De eo qui habuit plures sedes.
51. Reassumptio hujus constitutionis.
52. Sed præsumptio quod utensilia sacra sint comparata ex fructibus Ecclesiæ, est juris tantum.
53. De regularibus in ordine ad testandi facultatem.

Professi nullo modo valent testari, absque speciali indulto Summi Pontificis.

54. Valet et de religiosis qui obtinuerunt sæcularisationem.
55. E contra valent testari religiosi qui habent tantum vota simplicia.
56. Item alii religiosi non professi, ut novitii.
57. Quinam jure canonum possint hæredes instituí.
58. Speciatim de Fratribus qui neque in communi valent possidere.

De Legatis.

59. Quid legatum?
60. Quid fideicommissum?
61. Quibusnam relinqui possit legatum vel fideicommissum.
62. Speciatim de Fratribus qui neque in communi valent possidere.
63. De legatis annuis cum onere missarum, pro iisdem fratribus.
64. Concessiones speciales pro Italia, attentis temporum circumstantiis.
65. Quarta falcidia, et trebellianica locum non habet in legatis et fideicommissis ad causam piam.
66. Sed in eis locum habet portio canonica pro Episcopo.
67. Non tamen ex legatis ad scopum determinatum. Insuper attendenda consuetudo.
68. De legato rei alienæ.
69. Protestantium convicia in Gregorium Magnum.
70. Decretalis Gregorii Magni in sua forma primitiva.
71. Eadem Decretalis prout refertur a B. Raymundo.
72. De dominio rei legatæ.
73. De executione ultimarum voluntatum ad causas pias.
74. Episcopi officium erga negligentes executores.
75. De inventario.
76. Officium executorum.
77. Quando cesset.

Titulus XXVII.

De successionibus ab intestato. pag. 242—243.

1. Successio ab intestato.
2. Relate ad bona clericorum patrimonialia, industrialia et parsimonialia.
3. Quoad beneficialia.

Titulus XXVIII.

De sepulturis. p. 243—260.

1. De sepultura ut est locus, seu sepulcrum.
2. Sepulcrum proprium, commune, electivum.
3. Sepulcrum religiosorum.
4. Sepulcrum uxoris.
5. Sepultura electiva.
6. Quarta funeris.
7. Cum adest duplex domicilium.
8. Varietas quantitatis portionis funerariæ.
9. Privilegia Monasteriorum.
10. Per institutionem cœmeterii communis non est derogatum juri sepeliendi alias competenti.
11. De sepultura prout est jus.
12. Sepultura religiosa propria fidelium.
13. Rejicitur sepultura promiscua.

14. Solvitur ratio contraria.
15. Quibus competat jus catholicæ sepulturæ.
16. Quidam I°. excluduntur ob defectum communionis.
17. Excommunicati tolerati possunt sepeliri, quamvis id exigi nequeat.
18. Censura Const. Apostolicæ Sedis.
19. Quidam II°. excluduntur ab ecclesiastica sepultura in pœnam.
20. Speciatim de suicidis.
21. Et de iis qui in paschate non communicarunt.
22. Et de publicis peccatoribus qui certa signa pœnitentiæ non dederunt.
23. De duellantibus specialis dispositio.
24. Limitatio pœnarum antiquarum.
25. Exhumatio quando facienda?
26. Limitatio exhumationis.
27. An aliquod pretium pro sepultura possit erogari.
28. De sepultura religiosorum.
29. Quandonam commode ad proprium monasterium valeant transferri.
30. Quando jus funeris spectat ad monasterium, nihil debetur Parocho.
31. De adsociatione cadaveris ad monasterium transeundo per alienam parochiam.
32. Item cum defertur ad commune cœmeterium.
33. De laico qui elegit sepulturam in Ecclesia monasterii.
34. De Ecclesiis quæ pertinuerunt ad Religiosos ante civilem suppressionem, et nunc factæ sunt sæculares.
35. Speciatim quando facta est filialis.
36. Quando adhuc tenetur a religiosis.
37. Decisio nuperrima.
38. Hi religiosi coram Ecclesia sicut habent sua onera, ita et jura.
39. De regularibus lege civili dispersis.

Titulus XXIX.

De parochis et alienis parochianis. pag. 260—267.

1. Antiqua disciplina.
2. Antiquæ denominationes.
3. Definitio Parochiæ.
4. Requisita ad parochiam.
5. Tridentini dispositio circa Parochiarum erectionem.
6. Unitas et perpetuitas Rectoris.
7. Potestas Parochorum.
8. Ecclesiæ filiales.
9. De muneribus parochorum. Administratio sacramentorum; 1°. baptismi.
10. 2°. Eucharistiæ.
11. 3°. Pœnitentiæ.
12. 4°. Extremæ unctionis.
13. 5°. Matrimonii.
14. Celebratio missæ et applicatio pro populo.
15. Assistentia populi missæ parochiali.
16. Munus prædicandi.
17. Ratio prædicandi.
18. Non admittitur relaxatio disciplinæ.

Titulus XXX.

De decimis, primitiis et oblationibus. pag. 267—275.

1. Quid decimæ?
2. Quo jure decimæ solvantur.
3. Jure divino, tribuenda ministris Ecclesiæ, necessaria.
4. Sed modus determinatur jure ecclesiastico.
5. De divisione decimarum.
6. Reales et personales.
7. Reales majores et minutæ.
8. De quibus rebus solvantur.
9. Cuinam decimæ solvantur.
10. Portio canonica reservata Episcopo.
11. Parochus habet intentionem in jure fundatam.
12. Tituli speciales, aliis competentes. 1°. Privilegium apostolicum; 2°. transactio; 3°. permutatio; 4°. præscriptio.

13. De novalibus.
14. De laicis.
15. De personis quæ decimas solvere tenentur; I°. de personalibus.
16. II°. De realibus.
17. Speciatim de Clericis.
18. Et de religiosis.
19. De pœnis contra non solventes decimas.
20. Actio ad petendas decimas.
21. De Primitiis.
22. De Oblationibus.
23. Cui cedant.
24. A quibus Ecclesia oblationes non suscipiat.

Titulus XXXI.

De regularibus et transeuntibus ad religionem. pag. 275—295.

1. Definitio status regularis.
2. De tribus votis substantialibus.
3. Approbatio Ecclesiæ.
4. Solemnitas votorum.
5. Vota non solemnia, sed dirimentia.

De ingressu in religionem.

6. Requisita.
7. Decreta Pii IX. Primum decretum.
8. Alterum Decretum, pars prima.
9. Pars secunda.
10. Novitii.

De professione religiosa.

11. Definitio.
12. Ejus libertas.
13. Solemnitas, expressa vel tacita.
14. Tacita professio non fuit abolita a Tridentino.
15. Sed a Pio IX. pro viris.
16. Necessitas novitiatus, ad validitatem.
17. Requisita pro valore novitiatus.
18. Exceptio favore Ordinis S. Dominici.
19. Etiam Monialium ejusdem Ordinis.
20. Intervallum inter Novitiatum et professionem, valetudinis causa.
21. Dispositiones Pii IX. quoad viros, pro votis solemnibus emittendis.
22. Ætas requisita ad professionem.
23. Declarationes authenticæ circa nova decreta Pii IX.
24. Speciatim quoad paupertatem.
25. Dominium radicale quid?
26. Componitur cum votis simplicibus.
27. Renunciatio bonorum facta ab habentibus vota simplicia ordinata ad solemnia.
28. De matrimonio conjugis remanentis in sæculo, cum est tantum ratum.
29. Post vota simplicia semper exspectandum triennium ad solemnia emittenda.
30. Acceptatio ex parte religionis.
31. Notanda post Decreta Pii IX.
32. De effectibus professionis.
33. De invalida professione.
34. Dispositio Benedicti XIV.
35. Beneficium restitutionis in integrum.
36. Causæ ad eam exposcendam.
37. De transitu de religione ad aliam.
38. Transitus ad religionem strictiorem.
39. A Religione quæ habet votum non procurandi sibi dignitates.
40. Specialia de monialibus.

De ejectis, fugitivis et apostatis.

41. Ejectus.
42. A quo fiat.
43. De ejectorum nova susceptione.
44. Obligationes ejecti.
45. Fugitivus.
46. Apostatæ.

Titulus XXXII.

De conversione conjugatorum. pag. 295—298.

1. Quid sit; 1°. quoad religiosam professionem.
2. De uxore violenter cognita.
3. Quando matrimonium voluntarie consummatum est, altero conjuge consentiente professioni religiosæ.

4. Quando alter conjux est invitus.
5. Professio religiosa adhuc tamen aliquid operatur.
6. Obligationes conjugis consentientis professioni alterius.
7. Quando habeatur senectus.
8. Quid juris, cum alter amisit jus petendi.
9. 2°. De conversione conjugatorum ad ordines sacros.

Titulus XXXIII.

De conversione infidelium. pag. 298—300.

1. Nullus invitus baptizandus.
2. Defensio et protectio præstanda converti volentibus.
3. De impedimento criminis contracto ante baptismum.
4. De educatione filiorum, si unus parentum convertatur.

Titulus XXXIV.

De voto et voti redemptione. pag. 300—310.

1. Quid votum?
2. Vota solemnia et simplicia.
3. Realia, personalia, mixta.
4. Reservata, non reservata.
5. De voti obligatione.
6. An transeat ad hæredes.
7. De voti redemptione.
8. Voti irritatio.
9. 1°. Ex dependentia personæ.
10. 2°. Ratione materiæ.
11. Voti commutatio.
12. In opus æquale vel inferius.
13. Voti dispensatio.
14. Potestas competens Ecclesiæ, et Summo Pontifici.
15. Potestas Episcopi.
16. Speciatim quoad reservata Pontifici.
17. Effectus validæ dispensationis.
18. Diversa ratio explicandi effectum dispensationis; I°. quod sit mere declaratio.
19. Sed melius II°. quod sit actus jurisdictionis auferens obligationem.

Titulus XXXV.

De statu monachorum et canonicorum regularium. p. 310—321.

1. De voto obedientiæ.
2. De voto paupertatis.
3. Quoad administrationem.
4. De livellis.
5. De vita communi.
6. Responsiones S. C. EE. et RR.
7. Speciales instructiones, ubi lex civilis suppressit ordines regulares.
8. Pœnæ in religiosum proprietarium.
9. Quando peccet et cum licentia superioris.
10. De regularibus promotis ad episcopatum, 1°. quoad paupertatem.
11. 2°. quoad obedientiam.
12. 3°. quoad regulam.
13. Decreta Pontificum de hac re.
14. Decisio S. C. EE. et RR.
15. De religiosis viventibus in sæculo ex Apostolico Indulto.
16. Adnotanda ex Card. Bizzarri.

De lege clausuræ quoad moniales.

17. Quid clausura?
18. De egressu monialium.
19. Approbatio in scriptis danda ab Episcopo.
20. De moniali illegitime egrediente.
21. Quando periculum est in mora.
22. De extraneorum ingressu in monasterium monialium.
23. Pœna excommunicationis in contravenientes.
24. De puerulis et puellis.
25. De puellis educandis.
26. De ingressu prælatorum regularium.
27. Clausura papalis et episcopalis.

De clausura virorum.

28. De egressu religiosorum.
29. De ingressu mulierum.

Titulus XXXVI.

De religiosis domibus ut Episcopo sint subjectæ. pag. 321—325.

1. Quid domus religiosa.
2. De ejus erectione.
3. De subjectione Episcopo.
4. Speciatim de Regularibus.
5. Numerus religiosorum necessarius pro exemptione ex Decreto Urbani VIII.
6. De monasteriis antea erectis.
7. De locis piis.
8. De novarum religionum institutione.
9. Modus approbandi, Sanctæ Sedis.
10. Religiones quæ nequeunt renovari.

Titulus XXXVII.

De capellis monachorum et aliorum religiosorum. p. 325—326.

1. Quid capella?
2. Unio non plena.
3. Unio pleno jure.
4. Unio plenissimo jure.
5. Præsumitur facta minor ex his.

Titulus XXXVIII.

De jure patronatus. p. 326—342.

1. Patroni et advocati.
2. Definitio juris patronatus.
3. Alia definitio.
4. Patronatus activus et passivus.
5. Jus patronatus ecclesiasticum, et laicale.
6. Mixtum.
7. Personale et reale.
8. Hæreditarium.
9. Familiare et gentilitium.
10. Descendentale seu lineale, et agnatitium.
11. Mixtum.

De modis quibus acquiritur jus patronatus.

12. Modi originarii et translatitii.
13. Modi originarii ordinarii.
14. De restituente Ecclesiam collapsam.
15. Quando tituli sunt in diversis personis.
16. Modus extraordinarius seu privilegium.
17. Modus subsidiarius, præscriptionis.
18. Præscriptio prout est modus translatitius.
19. Ceteri modi translatitii; I°. successio.
20. Successio in capita et in stirpes.
21. II°. Alienatio, 1°. donatione.
22. 2°. Permutatione.
23. 3°. Venditione.
24. Servanda.
25. 4°. Emphyteusis vel concessio in feudum.
26. Quibus competere possit jus patronatus.
27. Speciatim de hæreticis.
28. De infantibus, furiosis, pupillis, minoribus.
29. De juribus patroni 1°. quæ non competunt.
30. 2°. Quæ competunt.
31. Speciatim de præsentatione; fit ab eo qui est in possessione.
32. An in jure patronatus reali, quis possit præsentare seipsum vel suum consanguineum.
33. Quosnam patronus possit præsentare.
34. Quid si præsentaverit indignum.
35. De tempore intra quod præsentatio facienda est.
36. Quomodo procedatur cum plures sunt patroni, 1°. collegialiter.
37. 2°. singulatim.
38. De pluribus patronis in eadem linea inæqualiter distantibus a stipite.
39. De tempore utili fluente, durante lite de jure præsentandi,
40. Cetera jura honorifica patroni.
41. Jura lucrativa.
42. Onera patronorum.
43. De modis quibus amittitur jus patronatus, 1°. ex facto criminoso.

44. 2°. Ex facto honesto.
45. 3° Ex casu.

Titulus XXXIX.

De censibus, exactionibus et procurationibus. pag. 342—352.

1. Census generice.
2. Census in sensu tituli.
3. Census antiquus.
4. Quinam possint imponere censum.
5. Census novus.
6. Cathedraticum seu synodaticum.
7. De exactionibus.
8. Subsidium charitativum.
9. Denarius S. Petri.
10. De procurationibus.
11. Quantitas procurationis.
12. Qualitas.
13. Quot vicibus.
14. A quibus solvatur.
15. Quibus solvatur. — De Archiepiscopis.
16. De Archidiaconis speciatim.
17. De Vicario Capitulari.
18. De episcopali visitatione.
19. Quos visitet jure proprio.
20. Quos jure delegato.
21. De visitatione grangiarum.
22, Scopus visitationis.

Titulus XL.

De consecratione ecclesiæ vel altaris. pag. 352—356.

1. De consecratione Ecclesiæ.
2. Differt a benedictione.
   Presbyter benedicit Ecclesiam, ex commissione Episcopi.
3. Consecrat tantum ex Papæ delegatione.
4. Ritus consecrationis.
5. Execratio Ecclesiæ.
6. Ejus pollutio, seu violatio.
7. Pollutio Cœmeterii.
8. Effectus pollutionis.
9. Reconciliatio Ecclesiæ.
10. De consecratione altaris.
11. De consecratione calicis et campanarum.
12. De paramentorum benedictione.
13. De execratione altaris.
14. De privilegio altaris portatilis.
15. Privilegium episcoporum.

Titulus XLI.

De celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiæ et divinis officiis. pag. 357—360.

1. Quoties in anno teneatur sacerdos celebrare.
2. Ad celebrandum quis compelli non debet censuris.
3. Quoties in die liceat celebrare.
4. Exceptiones; I°. ex privilegio.
5. II°. Ex necessitate.
6. De stipendio secundæ missæ.
7. De reductione onerum missarum.
8. De officio divino.
9. Ejus forma nunc est causa major.

Titulus XLII.

De baptismo et ejus effectu. pag. 360—361.

1. De ejus renovatione in dubio.
2. De loco ubi conferendus.

Titulus XLIII.

De presbytero non baptizato. pag. 361—362.

1. An ei juvent sacramenta quæ percipit.
2. An aliis prosint sacramenta quæ administrat.
3. Speciatim de matrimonio cui assistit.

Titulus XLIV.

De custodia Eucharistiæ, chrismatis et aliorum sacramentorum. pag. 362—364.

1. De pœnis in negligenti custodia Eucharistiæ et Chrismatis.
2. Ecclesiæ non parochiales sæculares.

Titulus XLV.

De reliquiis et veneratione Sanctorum. pag. 363—364.

1. Sanctorum cultus, causa minor usque ad Alexandrum III.
2. Postea causa major.
3. Vetita venditio reliquiarum.
4. Necessaria recognitio Episcopi.
5. Approbatio miraculorum.

Titulus XLVI.

De observantia jejuniorum. pag. 365.

Titulus XLVII.

De purificatione post partum. pag. 365.

Titulus XLVIII.

De ecclesiis ædificandis vel reparandis, pag. 365—367.

1. Reparatio est causa favorabilis.
2. Necessaria pro ædificatione.
3. De onere reparandi, quibus competat.

Titulus XLIX.

De immunitate ecclesiarum, cœmeterii et rerum ad eas pertinentium. pag. 367—371.

1. Quid immunitas?
2. Divisio; 1°. localis.
3. Actus profani prohibiti in locis sacris.
4. Jus asyli.
5. Quinam eo gaudeant.
6. Crimina excepta.
7. Pœnæ in violantes legem asyli.
8. 2°. Immunitas realis.
9. 3°. Immunitas personalis.

Titulus L.

Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant. pag. 371—373.

1. Studia interdicta clericis et religiosis.
2. Negotia forensia.
3. Negotiatio.

Index titulorum.

Titulus.		Pag.
I.	De vita et honestate Clericorum	5
II.	De cohabitatione clericorum et mulierum	20
III.	De Clericis conjugatis	26
IV.	De clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda	36
V.	De Præbendis et Dignitatibus	75
VI.	De Clerico ægrotante vel debilitato	109
VII.	De Institutionibus	113
VIII.	De Concessione Præbendæ et Ecclesiæ non vacantis	122
IX.	Ne sede vacante aliquid innovetur	131
X.	De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli	133
XI.	De his quæ fiunt a majori parte Capituli	136
XII.	Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur	141
XIII.	De rebus Ecclesiæ alienandis vel non	152
XIV.	De precariis	160
XV.	De Commodato	161
XVI.	De Deposito	163
XVII.	De emptione et venditione	165
	Appendix	173
XVIII.	De locato et conducto	181
XIX.	De rerum permutatione	187
XX.	De Feudis	190
XXI.	De pignoribus et aliis cautionibus	191
XXII.	De fidejussoribus	194
XXIII.	De solutionibus	197
XXIV.	De donatibus.	203
XXV.	De peculio clericorum	207
XXVI.	De testamentis et ultimis voluntatibus	212
XXVII.	De successionibus ab intestato	242
XXVIII.	De sepulturis	243
XXIX.	De parochis et alienis parochianis	260
XXX.	De decimis, primitiis et oblationibus	267
XXXI.	De regularibus et transeuntibus ad religionem	275

Titulus.		Pag.
XXXII.	De conversione conjugatorum	295
XXXIII.	De conversione infidelium	298
XXXIV.	De voto et voti redemptione	300
XXXV.	De statu monachorum et canonicorum regularium	310
XXXVI.	De religiosis domibus ut Episcopo sint subjectæ	321
XXXVII.	De capellis monachorum et aliorum religiosorum	325
XXXVIII.	De jure patronatus	226
XXXIX.	De censibus, exactionibus et procurationibus	342
XL.	De consecratione ecclesiæ vel altaris	352
XLI.	De celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiæ et divinis officiis	357
XLII.	De baptismo et ejus effectu	360
XLIII.	De presbytero non baptizato	361
XLIV.	De custodia Eucharistiæ, chrismatis et aliorum sacramentorum	362
XLV.	De reliquiis et veneratione Sanctorum	363
XLVI.	De observantia jejuniorum	364
XLVII.	De purificatione post partum	—
XLVIII.	De ecclesiis ædificandis vel reparandis	—
XLIX.	De immunitate ecclesiarum, cœmeterii et rerum ad eas pertinentium	366
L.	Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant	371

Imprimatur.

Fr. Augustinus Bausa Ord. Præd.
S. P. A. Magister.

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI
PROFESSOR.

EDITIO SECUNDA.

LIBER IV.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
MDCCCXCII.

PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI.

LIBER IV.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Decretalium Gregorii IX.

Liber IV.

Titulus I.

De Sponsalibus et Matrimonio.

1. Matrimonium quod in statu innocentiæ ad officium naturæ et ad mutuum viri et mulieris adjutorium fuerat institutum, *(Gen. II. 18)* quodque, posita hominum integritate, fini suo optime respondisset, in statu corruptæ naturæ primitivam dignitatem suam non conservavit. Quapropter rerum humanarum restaurator, Christus Dominus, cum voluisset ad primævam institutionem et nobilitatem matrimonium in Ecclesia sua revocare, debuit eidem redemptionis suæ virtutem adjungere, gratiam nempe supernaturalem, qua matrimonium sanctificaretur, et conjuges congruis auxiliis munirentur ad fines matrimonii assequendos, et ad onera conjugalis status propria sustinenda. Hinc teste Paulo (*Eph. V.*) assumptum est matrimonium ad significandum et efficaciter imitandum amorem et unionem supernaturalem inter Christum et Ecclesiam. Videlicet conjugalis contractus a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti evectus est. Quare matrimonium religiosam et sacram indolem ex Christi institutione referens, Ecclesiæ potestati subjectum fuit ut disciplinaribus ejusdem legibus regeretur. Merito igitur in Jure nostro specialis tractatio de Matrimonio exhibetur. Quoniam vero Matrimonium naturam integram retinet aliorum contractuum, in quibus ante initam formaliter conventionem potest locum habere promissio de contractu in posterum perficiendo, hinc etiam inductum est ut matrimonio præmitterentur *sponsalia.*

Sit igitur primo sermo:

De Sponsalibus.

2. Sponsalia aliquando sumuntur ad exprimendum matrimonium ratum sed nondum consummatum; et dicuntur *Sponsalia de præsenti.* Ita in *Capp. 22. et 31. h. t.,* et passim in jure. Verum in stricto tituli sensu, sponsalia sumuntur per relationem ad contractum matrimonii et definiuntur *'Promissio vera, libera, mutua et signo aliquo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas de jure habiles'.*

3. Promissio vera dicitur 1°. per oppositionem ad *simulatam* seu fictam, quæ proprie dictam obligationem non parit, quamvis subsecuta fuerit carnalis copula. Quo in casu erit utique contra simulantem actio stupri vel dolosæ defiorationis, non autem poterit urgeri actio ex contractu sponsalitio.

4. De hac re species reperitur in *cap. 26. h. t.* in quo proprie agitur de matrimonio inito per consensum fictum, sed theoria in eodem capite descripta applicatur etiam sponsalibus. Fictio autem etiam exterius innotescere debet atque probari, secus enim sponsalia vel matrimonium sustinentur coram Ecclesia, et verificatur casus contrariæ sententiæ inter forum externum et forum internum.

5. Vera etiam 2°. promissio necessaria dicitur in sponsalibus ad excludendam quamcumque velleitatem, seu tendentiam licet vehementem aut propensionem amicalem, præsertim inter juvenes frequentem, per verba aut signa amatoria manifestatam. Immo ad contrahenda sponsalia simplex desiderium et propositum nubendi, licet verbis expressum, non sufficit, sed necessaria est seria et proprie dicta promissio, qua quis se adstringit ad contrahendum aliquando matrimonium. Hinc sponsalia constituunt proprie dictum contractum.

6. *Libera* debet esse promissio; ex eo enim enascitur legitima obligatio, cujus observantia urgeri potest etiam coram judice. Libertas autem duo secumfert 1°. ut qui contrahit sponsalia intelligat quid agit, et adhibeat sufficientem advertentiam et deliberationem. Hinc infantes ante usum rationis, amentes, et ebrii contrahere sponsalia nequeunt. *Cfr. c. 24. h. t. et can. 2. caus. 32. q. 7.*

7. 2°. Libertas secumfert immunitatem a *vi* et a *metu.* Quod sponsalia sint ipso jure nulla si contrahantur sub influxu vis, dubium esse nequit. Vis enim est *'majoris rei impetus qui repelli*

non potest' (1. 2. ff. quod metus causa). Quare sub influxu vis consensus non habetur, sine quo sponsalia consistere nequeunt.

8. Quid vero si contrahantur sub influxu metus? In genere certum est actiones sub metu positas esse ipso jure validas. Licet enim ob periculum imminentis vel futuri damni mens trepidet, tamen naturalis consensus semper remanet. Hinc adagium commune *'coacta voluntas semper est voluntas'.* Verum actus sub metu positi, licet validi sint, tamen ad petitionem partis per metum læsæ a judice rescinduntur.

9. Nonnulli autem actus sub metu positi ex juris dispositione sunt per se invalidi. Inter istos est præsertim matrimonium, ita ut matrimonium ipso jure non valeat, quoties fuerit contractum sub influxu metus extrinseci gravis, injuste et directe incussi ad extorquendum consensum.

Quid dicendum de sponsalibus? Nonnulli Doctores adhærentes Sanchesio *(L. 4. disp. 7. n. 4.)* ob nexum et relationem inter matrimonium et sponsalia, quæ in eumdem scopum tendunt, tenent etiam sponsalia sub metu inita eodem modo ac matrimonium esse ipso jure nulla. Alii autem doctores tenent ipso jure valere, sed rescindi posse a judice, petitione partis, quæ metum passa est.

10. Si theoretice inspiciatur quæstio melior videtur altera opinio. Leges enim quos ipso jure nullos actus voluerunt, explicite nominarunt, uti ex. gr. matrimonium, professionem religiosam, testamentum. Igitur si de sponsalibus siluerunt, dicendum est sponsalia sub metu gravi contracta per se valida esse sed rescindi posse ad petitionem partis. Ratio autem intrinseca disparitatis adest inter matrimonium et sponsalia. Matrimonium enim cum sit Sacramentum excludit rescindibilitatem. Etenim vel statim nullum est, vel si validum est, simul est natura perpetuum. At sponsalia rescindi possunt.

11. *Mutua* debet esse in sponsalibus promissio. In jure enim sponsalia accensentur inter contractus bilaterales, in quibus ex utraque parte enascitur obligatio. Quare simplex promissio ab una parte proposita non constituit contractum sponsalium, licet ab altera parte fuerit acceptata.

12. Quid ergo si una pars nuptias promiserit, et altera pars solummodo acceptaverit promissionem, quin repromitteret et sese obligaret?

Profecto si pars quæ promittit intendit promittere animo contrahendi sponsalia, nihil valet promissio quia implicitam habet conditionem, dummodo altera pars repromitteret. Quod si una pars simpliciter et gratuito voluerit alteri promittere matrimonium futurum, valebit utique promissio, ita ut altera pars possit urgere implementum ejusdem, verum non habebitur contractus sponsalitius. Hinc 1°. non dabitur in hypothesi actio sponsalium, 2°. non exoritur ex illa promissione impedimentum publicæ honestatis, de quo in *c. 4. h. t.* Hinc remissa vel sublata obligatione promissionis alterutra pars poterit licite inire matrimonium cum consanguineo alterius in primo gradu. Hinc etiam manente eadem obligatione, matrimonium contractum ab alterutra parte cum consanguinea alterius erit validum.

13. In sponsalibus tum promissio tum repromissio debet exprimi *signo aliquo sensibili.* Constituunt enim contractum bilateralem in externa Ecclesiæ societate servandum.

14. Quæritur 1°. An proposita ex una parte promissione, sufficiat ex altera mera taciturnitas? Profecto ad sponsalia constituenda sufficit ut implicite manifestetur repromissio. Hinc juxta regulam 43. Juris in VI°. 'Qui tacet consentire videtur' possent fortasse valida renunciari sponsalia ex solo alterius partis silentio.

Verum cum communi sententia dicendum est argui non posse repromissionem ex sola taciturnitate. Nam consensus ex sola taciturnitate non est verus consensus, sed solum præsumptus, qui admittit contrariam probationem, imo eliditur præsumptione contraria, præsertim in causis, quæ magnum præjudicium afferre possunt, quemadmodum est matrimonium et sponsalia. Qui enim tacet in istis causis videtur consentire solum in quantum sibi favet silentium, non autem in commodum alterius. Videlicet tacere videtur saltem eo fine ut adhuc possit deliberare utrum promittere vel consensum negare expediat.

15. Quæritur 2°. Quænam verba vel signa requirantur in sponsalibus?

Respondemus ad contrahenda valide sponsalia non requiri verba solemnia, neque necessariam esse aliquam solemnitatem. Sufficiunt enim verba vel signa quæ juxta morem præsertim loci, satis exprimunt consensum contrahentium *(cap. 7. h. t.).* Hinc etiam sponsalia clandestina obligant in conscientia et si possunt probari etiam in foro externo coram judice Ecclesiastico sustinen-

tur. Concilium enim Tridentinum *(Sess. 24. De Matrimonio)* rejecit matrimonia clandestina et nihil dixit de sponsalibus. Jure ergo communi sponsalia clandestina valent.

16. Quare cum potestas Episcoporum non sit supra jus commune, sequitur non posse Episcopos statuere aliquam solemnitatem uti necessariam ad valide contrahenda sponsalia. Unde S. Congregatio Concilii non semel et inter alias in *Causa Melphitensi,* proposita mense Julio 1865, reprobavit decretum episcopale, quo declarabantur invalida sponsalia quæ non contraherentur coram Parocho loci *(Cf. Ben. XIV. De Syn. Diœces. L. 12. c. 5.).*

17. Quæritur 3°. Quid dicendum si dubium exurgat de valore sponsalium ex ambiguitate verborum vel signorum?

Resp. Quoad *forum internum* si quis revera dubius sit utrum promiserit nec ne matrimonium, non est obligandus in conscientia ad illud contrahendum. Quia propter dubium non est aliquis cogendus ad suscipiendam certam et gravem obligationem.

18. Hoc principium adoptari potest etiam in *foro externo* quando verba vel signa ambigua sint et incerta, ut scilicet non debeat sustineri obligatio sponsalium. Valet enim etiam in casu regula *cap. 3.* De Probationibus '*Promptiora sunt jura ad absolvendum quam ad condemnandum*' et reg. 30. Juris in VI°. *In obscuris minimum est sequendum.*

19. Quod si contra negantem militent gravia judicia, poterit judex illum cogere ad sese purgandum per juramentum. Quemadmodum enim notat glossa *in cap. 18. De homic. volunt.* quando controversia agitatur de conscientia alicujus, depositio ejus juramento firmata maxime attenditur.

20. Dixi non esse admittendam in foro externo obligationem sponsalium, quando verba vel signa clara fuerint, et determinata, contra negantem lis decidenda est; nec ei credendum est, licet paratus sit juramento confirmare assertionem suam, qua contendit se vel per jocum, vel per fraudem, ad obtinendum usum corporis alterius, nuptias promisisse.

21. Quæritur 4°. Quid in specie dicendum sit de copula carnali, an scilicet haberi debeat veluti signum sufficiens contractorum sponsalium?

Resp. In titulo *de Adulteriis et Stupro,* videbimus quando ex copula carnali absque ulla relatione ad sponsalia oriatur obligatio contrahendi matrimonium. Nunc igitur consideramus copulam

carnalem in ordine ad sponsalitium contractum. In genere copula carnalis inter duos per se non est signum sufficiens consensus sponsalitii, sed potius præsumitur posita ad explendam libidinem. Verum si femina fuerit honesta, et si præsertim fuerit virgo, simulque præcesserit tractatus matrimonii, idest clara et certa promissio matrimonii ex parte viri, copula carnalis jure meritoque accipitur in foro externo ceu signum præstiti consensus mulieris, quæ non præsumitur corporis sui copiam fecisse, nisi animo matrimonii ineundi per quod honori suo consultum fore confidit. Hæc duo elementa simul concurrere debent ad habendum contractum sponsalium, nam tota res præsumptionis est. Nec enim ex solo amore et signis amatoriis præsumi potest ex parte viri intentio suscipiendæ obligationis ineundi matrimonium, nec ex parte mulieris præsumi potest contractus sponsalitius, nisi mulier honestate fuerit decorata. Quare ob corruptos præsertim in aliquibus regionibus populi mores factum est ut in omnibus ferme controversiis in Sacra Congregatione Concilii nostra ætate propositis, causæ de valore sponsalium naufragium fecerint, licet copula carnalis interfuerit, et eam præcesserint amatoria verba, et familiaris frequens conversatio.

22. Tandem sponsalia contrahi debent inter *personas de jure habiles;* scilicet nullum intercedere debet impedimentum vel dirimens vel impediens, quo matrimonium prohibeatur. Nemo enim potest sese obligare ad id quod implere nequit, sive quia nullus esset actus, sive quia esset illicitus. Ad rem facit reg. 58. Juris in VI°. Porro habilitas in casu necesse non est ut sit *actualis,* sed sufficit *habitualis,* idest sufficit ut persona capacitatem habeat, qua aliquando fiat habilis ad contrahendum matrimonium. Hinc valent sponsalia impuberum.

23. Sponsalia contrahi possunt *vel per se vel per alios.* Contrahuntur per alios scilicet per procuratorem. Juxta *cap. ult. De Procurat. in VI°.* matrimonium per procuratorem potest contrahi; a fortiori igitur contrahi possunt sponsalia per procuratorem. Verum non sufficit generale mandatum sed requiritur mandatum speciale in determinatam personam cum qua quis vult sponsalitium contractum celebrare.

24. Juxta *cap. un. de Despons. impuber. in VI°.* parentes contrahere possunt sponsalia pro filiis suis puberibus vel impuberibus. Hæc vero sponsalia ut valeant debet accedere consensus vel ex-

pressus vel saltem tacitus ipsorum filiorum. Hinc sponsalia a parentibus pro filiis contracta proprie dici nequeunt contracta per alios. Consensus filiorum sufficit ut sit tacitus, qui consensus verificatur si filii præsentes adsint et taceant, dum parentes eorum nomine matrimonium futurum promittunt. Tale enim est negotium et a talibus personis geritur, ut filii indifferentes non possint permanere, sed debeant vel consensum præbere, vel adversam voluntatem manifestare. Hinc valet reg. 43. Juris in VI°. *'Qui tacet consentire videtur.'*

25. Diximus *si præsentes* adsint; nam si parentes in absentia filiorum pro eis sponsalia contrahant, non sufficit ad eorum valorem ut filii contractum sponsalitium quomodocumque sciant, et taceant, sed necesse est ut ratum habeant contractum celebratum a parentibus. Ita *in cit. cap. un. De desp. impub. in VI°.* § *Porro.* Hæc vero ratihabitio potest fieri *vel tacite vel expresse.* Ut autem tacite dicantur filii consensisse in contractum sponsalitium, a parentibus in eorum absentia celebratum, requiritur talis manifestatio contractus, et talis taciturnitas filiorum, quæ merito præsumatur eorum adhæsio voluntati parentum. Hæc omnia verificari dicunt auctores, si ipsis parentibus manifestantibus etiam per epistolam contractum sponsalitium filii taceant. Hoc enim in casu filii sese indifferentes gerere nequeunt, sed saltem ex honestate tenentur vel parentibus consentire vel illico contrariam pandere voluntatem.

26. Sponsalia contrahi possunt vel *absolute,* vel *sub conditione.* Cum sponsalia considerentur ceu alii contractus, nil mirum si iisdem apponi possunt conditiones, quarum effectus est ut suspendatur obligatio matrimonium contrahendi usque ad conditionis exitum. Quæ conditiones apponi possint in sponsalibus, et quanti valeat specialis quædam conditio apparebit ex dicendis in *tit. 5. 'De conditionibus appositis'.*

27. Quæritur utrum in sponsalibus locum habere possint *arrhæ* et *pœnæ* contra injuste resilientes a sponsalitio contractu. Arrhæ nomine venit quidquid a sponsis vel eorum parentibus sibi invicem traditur, quasi pignus in securitatem matrimonii futuri sub ea lege, ut qui absque causa recedat a sponsalitio contractu, amittat quod alteri dedit, et quod recepit restituere debeat. Arrhæ distinguuntur a jocalibus aliisque donationibus, quæ non fiunt in pignus secuturi matrimonii, vel sub implicita conditione ut sequatur matri-

monium, sed solum in signum affectus, ac proinde obligatio non urget res acceptas restituendi si matrimonium non celebretur.

Arrhas in contractu sponsalitio locum habere posse tradunt communiter doctores, innixi dispositioni juris Cæsarei in *leg. I. C. et 18. D. 'De Sponsalibus'* quas leges Jus Canonicum non reprobavit, immo probare videtur in *Can. 14. Caus. 27. quæst. 2.* nec non in *canonibus 3. et 7. Caus. 30. q. 5.*

28. Quæritur etiam utrum pœnæ quoque adjici possint sponsalibus; ex. gr.: si mecum matrimonium non contraxeris, in pœnam centum mihi solves? Resp. Certum est Romanorum Jus prohibere quominus stipulatio pœnalis contractibus sponsalitiis adjiciatur. Ita *in l. 5. c. h. t. et in 1. 134. § 8. De verborum obligat.*

29. Si Jus canonicum consideremus, in varias abeunt sententias expositores. Communis sententia est eorum qui cum Abbate Panormitano in *cap. 29. h. t.* tenent etiam Jure canonico interdici in sponsalibus conditiones pœnales. Eorum ratio potissima est dispositio cit. *cap. 29. h. t.* in quo pœna sponsalibus adnexa reprobatur. Sponsalia contracta fuere a quadam Teberga infra septennium cum quodam Petro filio Benedicti de Alferis. Parentes qui aderant, pœnam adjecerunt ab ea parte solvendam quæ a sponsalibus recessisset. Accidit ut inde Teberga facti pœnitens alteri viro nuberet. Quare Benedictus de Alferis judicio pulsavit Gemman Tebergæ matrem ut pœnam statutam solveret. Res a Gemma relata est ad Gregorium IX., qui judici mandavit, ut adhibita etiam ecclesiastica censura, ab extorsione hujus pœnæ Benedictum desistere faceret.

30. Adversæ sententiæ patroni propugnant, dispositionem capitis alienam esse a quæstione præsenti, 1°. quia species capitis est de sponsalibus ante septennium contractis, quæ nulla sunt per se ob defectum usus rationis 2°. quia saltem ipsis applicanda esset theoria sponsalium impuberum, a quibus adveniente pubertate impune recedere licet, ob quas causas Pontifex pœnam reprobavit. Quare dici potest Jus canonicum silere in hac re, idest non reprobare pœnam; quæ in sponsalibus validis et irretractabilibus apponatur. Confirmant propriam opinionem ex validitate arrharum quæ juxta communem sententiam Doctorum locum habere possunt in sponsalibus. Porro arrhæ indolem referunt pœnæ, præsertim in sententia Doctorum valida facientium sponsalia quibus pactum

adnectitur, quo caveatur eum qui recesserit a data fide, soluturum fore arrhas in duplum vel in triplum.

31. Ex duabus expositis sententiis prior probabilior videtur. Non solum enim Pontifex absolute reprobat pœnam sponsalibus adjectam, sed etiam rationem suæ decisionis proponit quæ omnibus prorsus sponsalibus applicari potest. Ratio hæc est quia matrimonia libera esse debent; ideoque nullam facit mentionem Pontifex ætatis contrahentium, vel impubertatis, quam facere profecto debuisset si dispositionem suam de nullitate pœnæ adjectæ ad sponsalia nulla, vel ad sponsalia impuberum restringere voluisset. Cœterum relate ad comparationem pœnæ cum arrhis animadverti potest aliquam adesse discrepantiam inter utrasque. Nam arrha, quæ tradita est in securitatem matrimonii non influit in libertatem eodem modo quo influit pœna. Sane 1°. arrhæ solent constitui in modica quantitate. 2°. Quod solutum est si amittatur, minus displicere solet quam si aliquid de novo est solvendum, et magis si solutio facienda est in pœnam.

32. Tamen in eorum sententiam facile descendam, qui dicunt valere pœnas, quæ sponsalibus adjiciantur ab extraneis. Pœna enim solvenda ab extraneo non videtur adeo influere in libertatem matrimonii. Namque in casu solutio pœnæ haberi potest tamquam factum alienum quod partes contrahentes directe non tangit.

De effectibus Sponsalium.

33. Duplex est effectus sponsalium 1°. *Impedimentum publicæ honestatis,* de quo inferius suo loco sermo erit. 2°. *Mutua obligatio contrahendi matrimonium.* Videlicet sponsalia valide contracta sive clam sive cum aliqua solemnitate, sub gravi ex titulo justitiæ obligant ad matrimonium celebrandum. Hæc autem obligatio non solum urget in foro conscientiæ, sed etiam valet in foro externo, ita ut coram judice detur actio ad obtinendum adimplementum obligationis ejusdem contra reluctantem. Etenim sponsalia constituunt contractum mutuum, seu bilateralem, et utrique onerosum in materia gravi, prout est conjugalis status hominis.

34. Hæc est propria notio, juxta principia juris nostri, de sponsalibus *(Cap. 10. et 17. h. t. et in canonib. 46. et 47. Caus. 27. q. 2.).* Quidquid sit de jure civili Romanorum, in quo licet initio sponsalia per stipulationem contraherentur, ac proinde parerent *actionem civilem ex stipulato,* tamen inde mutatis in pejus mori-

bus factum est ut sponsalia in irritum sæpe sæpius cederent, et juxta legem *1. c. De sponsalibus,* liceret utrique ex contrahentibus conditioni desponsatæ renuntiare et alteri nubere. Quare sponsalia in *L. 1. ff. h. t.* dicta sunt *nuda mentio et repromissio futurarum nuptiarum.*

35. Legislatio civilis pro Regno Italiæ §§ 53. et 54. contra resilientem injuste a sponsalibus, et quidem in forma solemni contractis, solummodo admittit actionem, infra annum promovendam ad refectionem expensarum assequendam.

Quod si sponsalitio contractui adjectum fuerit juramentum, præter obligationem justitiæ adest etiam obligatio religionis, quæ obligatio religionis est distincta ab obligatione justitiæ et quandoque juxta *Cap. 16. h. t.* et juxta principium, quod regit materiam juramenti, urget, licet obligatio justitiæ non possit urgeri.

36. Quæritur quando urgeat obligatio sponsalium. Profecto si adjecta fuerit *conditio* vel fuerit *præfinitum tempus* ad celebrandum matrimonium obligatio non urget antequam conditionis eventus contingat, vel terminus designatus adveniat. Juxta enim *reg. 85. Juris in VI°. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.*

37. Quod si *pure* et *simpliciter* contracta fuerint sponsalia, *rigore juris* statim *cedit et venit* dies explendæ obligationis. Talis enim est indoles contractuum, quibus nec dies adjectus fuerit nec conditio. Verum ipsa præsumptiva intentio utriusque sponsi suadet aliquod tempus sibi invicem concessisse ante celebrationem matrimonii, secus enim si omnia in promptu fuissent, omniaque plana et expedita, certe non sponsalia sed ipsum matrimonium contraxissent.

Si quæratur autem quodnam sit tale tempus, respondemus in foro conscientiæ unam partem teneri ad contrahendum matrimonium, quando altera parte exquirente, ipsa nullo probabili obstaculo detineatur.

In foro autem externo cum jus positivum taceat æqua ad contrahendum dilatio a judice definiri poterit.

38. Quæritur an possit compelli ad matrimonium is, qui absque justa causa renuat implere promissionem sponsalium.

Binæ dispositiones, quæ sibi invicem adversari videntur, in Jure nostro exhibentur. In *cap.* enim *10. h. t.* traditur virum quemdam renuentem, observare fidem datam in sponsalibus, in judicium vocatum fuisse. Cum adhuc renueret matrimonium con-

trahere cum sponsa, judex expostulavit a Romano Pontifice, quid esset agendum. Alexander III. respondit, virum esse monendum, quod si monitis non acquievisset absque legitima causa, ait Pontifex, ecclesiastica censura esse compellendum, ad recipiendam mulierem in uxorem, et maritali affectione tractandam. In *cap. 17.* autem *eodem tit.* quæsitum est a Lucio III., quid esset agendum in quæstione sponsalium, in qua mulier renuebat contrahere matrimonium, ad quod contrahendum sese per sponsalia juramento firmata obstrinxerat. Romanus Pontifex respondit monendam esse potius mulierem, quam cogendam, et rationem affert quia coactiones solent habere difficiles exitus. Ipso primo intuitu oppositio inter utrumque caput apparet. In cap. enim 10. traditur reluctantem posse mediis juridicis compelli ad observandam fidem datam in sponsalibus; in cap. autem 17. coactio juridica excluditur, et potius monitio facienda proponitur.

39. Dicendum non est cum aliquibus canonistis in cap. 10. agi de viro reluctante, in cap. autem 17. agi de muliere, quæ majori indulgentia digna est. Nam quando sermo est de obligatione suscipienda utique jura sunt mitiora mulieribus præ viris, sed quando agitur de obligatione legitime suscepta jus non distinguit inter virum et mulierem, sed obligatio ab utroque adimplenda est. Nec admitti potest explicatio eorum, qui docent illud *potius* cap. 17. idem significare ac *prius,* quasi diceret Pontifex, *prius* mulier monenda est, deinde cogenda. Nam ratio adducta a Pontifice excludit coactionem sive ante sive post monitionem.

40. Quomodo ergo conciliantur hæc duo capita? Resp. Verior conciliatio et in praxi tenenda est ut dicamus in cap. 17. tradi regulam generalem, in cap. autem 10. exhiberi exceptionem. Prior ratio hujus conciliationis deducitur ex diversa forma eorumdem capitum. In capite enim 17. quæstio proponitur et resolvitur in forma generali; in capite autem 10. quæstio peculiaris et specifica tractatur, relate ad aliquod matrimonium, inter quædam individua contrahendum.

41. Secunda ratio deducitur ex indole cap. 10. In eo enim coactio moralis censurarum non jubetur absolute, sed quia in casu proposito Pontifici verificabatur ratio specialis. Scilicet tales circumstantiæ concurrebant ob quas non timebantur mali exitus matrimonii. Unde Alexander III. noluit constituere legem generalem de coactione semper adhibenda contra resilientem a spon-

salibus. Quod vero mens fuerit Alexandri III. in cap. 10. compellendi reluctantem ad ineundum matrimonium solummodo in hypothesi in qua mali exitus non timerentur, patet ex specie eidem proposita. Sane agebatur de sponsalibus a duobus nobilibus pubescentibus, et ab eorum parentibus ideo contractis, ut interveniente matrimonio quæstio inter familias extingueretur. Cumque parens viri vellet iterum arma sumere contra parentem mulieris, persuasit filio suo ut a sponsalibus recederet. Filius forsan inscius malæ intentionis parentis cum nullam aversionem haberet erga puellam ex solo respectu erga patrem a sponsalibus resilire conatus est. Alexander III. considerans juvenem non odio sed ex velleitate quadam a data fide resilire, et cœteroquin timeri non posse malos exitus ex matrimonio immo sperari posse felices, nempe pacem familiarum respondit virum esse compellendum ad celebrandum contractum matrimonii.

Quapropter in præsenti materia sequens est præ oculis habenda regula: Scilicet si quæstio implorandæ fidei sponsalium coram judice agitetur, et liquido constet de valore sponsalium, judex debet serio admonere partem reluctantem de gravi obligatione, qua in conscientia adstringitur ad contrahendum matrimonium.

Quod si nihilominus obstinata voluntate obsistat ita ut appareat etiam in posterum duratura, adhiberi non debent pœnæ ecclesiasticæ, et coactio moralis ad obtinendum consensum matrimonialem, nam coacta conjugia solent habere difficiles exitus.

Hæc procedendi ratio capit. 17. œconomiæ gratia proponitur. Videlicet optime et indubie a Jure agnoscitur obligatio sponsalium, sed ea non semper urgetur ob majus malum quod prudenter prævideri potest: infelices nempe exitus coacti conjugii. Verum si omnibus circumstantiis perspectis, infelices effectus conjugii non possint timeri, hoc in casu servanda est dispositio cap. 10. qua statuitur reluctantem esse prius monendum, si monitis non acquiescat, esse compellendum ad servandam fidem datam alteri parti. Unde aliquando judex potest compellere invitum ad servandam fidem datam in sponsalibus.

42. Quæritur modo quænam media eidem præsto erunt ad hanc coactionem exercendam.

Jure antiquo expresso in *cap. 10. h. t.* poterat judex statim gladio censurarum ferire sponsum reluctantem contrahere matrimonium. Verum jus hoc correctum fuit a Conc. Trident. *in cap. 3.*

Sess. 25. De Reform. ubi statuit non posse judicem uti gladio censurarum in causis expediendis, nisi quando via eidem præcludatur ad alia media efficacia exercenda, quæ præcipue sunt executio realis vel personalis.

De Dissolutione Sponsalium.

43. Sponsalia in genere resolvi possunt; sequuntur enim naturam aliorum contractuum.

Plures sunt modi quibus sponsalia dissolvuntur. I°. Dissolvuntur sponsalia mutuo consensu. Valet enim in sponsalibus regula 1. Juris in VI°. *'Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur'*. Igitur quemadmodum per mutuum consensum sponsalia contrahuntur, ita etiam per mutuum dissensum possunt resolvi. Hinc modus iste resolutionis sponsalium est non solum validus sed etiam licitus.

44. Et quidem per mutuum consensum dissolvuntur sponsalia etiam juramento firmata *(c. 2. h. t.)*. Nam juramentum consideratur ceu qualitas posita ad confirmandum ipsum contractum sponsalitium. Hinc resoluto per mutuam voluntatem contractu, etiam obligatio religionis vires suas amittit. Impleri enim non potest modo distincto ab ipso contractu.

45. Verum notandum est, per mutuum dissensum resolvi non posse sponsalia ab impuberibus contracta, quoadusque pubertas non advenerit. Ita *in cap. 8. De Despons. Impub.* Ratio hujus juridicæ dispositionis est, quia non est nimis favendum temeritati impuberum.

46. II^us^ modus quo sponsalia resolvuntur est *ingressio,* vel *professio in religione approbata, vel promotio ad sacros ordines.* Conf. possunt *cap. 16. h. t. et cap. 7. De conversione conjugatorum.* Quamvis per solum ingressum in religionem non dissolvatur matrimonium ratum et nondum consummatum pro alterutro conjuge; tamen quia sponsalium vinculum minus est, sponsalia solvuntur pro parte quæ in sæculo remanet.

Ratio est quia pars quæ ingreditur religionem præsumitur firmum propositum habere, suscipiendi meliorem statum, ac proinde præsumitur renunciasse juri acquisito ex alterius partis promissione. Hæc enim pars non tenetur exspectare alteram, quoadusque velit experiri suam vocationem ad vitam perfectiorem, ut inde in conjugem assumat personam, quæ habitum religiosum deposuit.

47. At sponsalia in casu non solvuntur relate ad partem quæ religionem ingressa est. Si enim exeat et pars, quæ in sæculo mansit nihil posuit, per quod manifestaret contrariam voluntatem, et recessum a sponsalibus, tenebitur cum ea matrimonium contrahere.

Solvuntur etiam sponsalia per susceptionem ordinis sacri et quidem ex utraque parte.

48. Non item vero dissolvuntur sponsalia per susceptionem ordinum minorum. Non enim incompatibiles sunt cum statu conjugali.

Notant tamen Doctores solvi sponsalia saltem ex parte mulieris si ea inscia vel invita vir ordines minores susceperit. Mutatio enim notabilis ex parte viri inducitur; qui insuper videtur sese disponere ad suscipiendos ordines majores, ac proinde præsumitur renunciare juribus sponsalitiis.

49. III^us^ casus dissolutionis sponsalium est *contractus matrimonii* cum alia persona, et quidem satis est ut matrimonium sit tantummodo ratum. Ita *in Capp. 31. h. t. et 1. De despons. duorum.*

Ratio est quia per matrimonium de præsenti a partibus contrahentibus acquiritur utrinque jus conjugale ita ut vicissim constituantur vir et uxor ac proinde non detur recessus ad priorem personam, cum qua contracta fuere solummodo sponsalia, idest solummodo fuit promissum jus conjugale.

50. Verum solutio hæc sponsalium eritne prorsus absoluta, ita ut soluto inde matrimonio, reviviscat obligatio eorumdem sponsalium?

Procul dubio pars, quæ matrimonium non contrahit, ex facto alterius liberatur prorsus ab obligatione suscepta erga eam partem, quæ contraxit matrimonium. Relate ad partem, quæ contraxit matrimonium, sunt qui dicunt resoluta esse etiam pro ipsa absolute sponsalia per matrimonium; nam contractus conjugalis inducit de se, idest ex ordinaria lege, statum perpetuum, contrarium sponsalibus antea initis ac proinde quamvis illicite tamen valide videtur prorsus esse extincta obligatio orta ex iisdem sponsalibus.

Verum inspecto rigore justitiæ, cum aliis doctoribus melius retinendum est, sponsalia per matrimonium cum alia persona contractum non extingui penitus sed suspendi, ita ut soluto matrimonio hujusmodi sponsalia reviviscant. Scilicet si altera pars

voluerit exspectare, nec aliquod factum ponat per quod juri suo renunciet, simulque verificetur solutio matrimonii, pars, quæ per injuriam matrimonium contraxit, tenetur matrimonium celebrare cum ea persona cum qua contraxerat sponsalia. Nam obligatio ex sponsalibus orta natura sua est perpetua et solummodo ob matrimonium celebratum ad effectum reduci nequit, id est ob interjectum impedimentum matrimonii suspenditur. Sublato igitur hoc impedimento, obligatio illa totam vim suam exerit, et executioni mandanda est si altera pars velit.

51. IV^us^ casus solutionis sponsalium relate ad unam partem verificatur per *discessum* sponsi, qui inscia aut invita sponsa vel domicilium alibi figat, vel in alias partes sese transferat brevi non rediturus, sive id peragat ex causa utili et necessaria sive id peragat ex libera ejus electione. Conclusio hujusmodi eruitur ex *cap. 5. h. t.* Ratio est quia notabilis rerum mutatio ex parte sponsi inducta est, qua sponsa vel teneretur domicilium mutare, vel diu expectare reditum sponsi, cum gravi incommodo et periculo amittendi occasionem aliarum nuptiarum.

52. Huic causæ est similis altera, quæ est nimia temporis dilatio, et quidem si præfinitus terminus fuerit ad extinguendam obligationem statim eo tempore adveniente sponsalia soluta erunt, pro utraque parte vel saltem pro una, prout per utrumque sponsum, vel per unum, non steterit, quominus matrimonium intra tempus adsignatum contraheretur. *(Cap. 22. h. t.)*

53. Si tempus præfinitum fuerit ad differendam obligationem, scilicet ita ut ante illud tempus obligatio non urgeat, dilatio ad hoc tempus decurrens non solvit sponsalia. Quod si tempus præfinitum non fuerit, et una pars instet ut celebretur matrimonium, altera vero renuat absque legitima causa dilationis, prior pars poterit in genere resilire a contractibus. Pars enim quæ injuste recusat obligationi susceptæ satisfacere, eo ipso præsumitur renunciare juri suo et aliam partem solvere a quocumque onere.

54. V^us^ modus solvendi sponsalia, juxta *cap. 25. De Jurejurando,* verificatur *ob crimen fornicationis.* Distinguendum vero est inter fornicationem sponsalia subsequentem, et antecedentem. Subsequens fornicatio sive viri, sive mulieris semper solvit sponsalia in favorem partis innocentis, quia læsionem importat in eo quod est fides futuri conjugii.

55. Non solvit vero fornicatio sponsalia in favorem partis nocentis, quia nemo reportare debet ex suo crimine commodum. Id vero in genere verificatur, nam si per fornicationem contrahatur impedimentum dirimens affinitatis, quemadmodum contingeret si sponsus copulam haberet carnalem cum consanguinea sponsæ in primo vel secundo gradu, in hac hypothesi sponsalia dissolvuntur pro utraque parte. Res enim incidit in eum casum a quo incipere non poterat.

56. Quod si fornicatio præcessit, distinguendus est duplex casus, idest vel fornicatio fuerit ab altera parte cognita, vel non. Si cognita fuerit tempore contractus sponsalium, non nocet sponsalibus, censetur enim unus contrahens alteri quemlibet defectum condonare.

57. Si vero fuerit ignorata, nocet, quia obligatio sponsalium suscepta præsumitur sub hac conditione 'dummodo res se habeant quemadmodum apparent'. Jamvero unus ex contrahentibus apparuisset honestus, cum criminosus fuisset.

58. Non desunt tamen Doctores, qui bene animadvertunt, ob præcedentem quidem fornicationem mulieris solvi sponsalia, quando vir crediderit eam esse virginem, eamque fama communis eousque talem existimaverit, non autem viri, quia in opinione communi magis est præjudicium honestatis mulieris, quam viri ob crimen fornicationis.

59. Quod si objiciatur textus *cap. 25. De Jurejur.* in quo statuitur posse quidem opponi contra mulierem fornicationem subsequentem non vero præcedentem, respondemus juxta glossam in eodem capite sermonem esse de præcedente fornicatione cognita tempore contractorum sponsalium. Ideo enim fornicatio præcedens opponi nequit, quia censentur mores mulieris fuisse a viro probati per sponsalia; at certe probari non poterat, quod ignorabatur a viro.

60. VI^us^ casus solutionis sponsalium verificatur ex *mutatione notabili in bonis animi, corporis, vel fortunæ* alterutrius ex contrahentibus; sive mutatio sit superveniens, sive præcesserit sed ignorata fuerit. Si enim superveniat hæc mutatio notabilis, obligatio perseverat solum pro parte, quæ notabilem mutationem passa est, non vero tenet amplius pro alia parte. Nam obligatio præsumitur suscepta cum implicita conditione 'si res ita permanent quemadmodum sunt tempore contractus'. Quod si præcesserit

mutatio, solvuntur sponsalia ob aliud principium, quia sponsalia præsumuntur contracta sub implicita conditione: 'Si res ita sint quomodo apparent'. Indifferens autem est si mutatio sit animi vel corporis vel etiam fortunæ etc. Sufficit ut sit mutatio gravis momenti idest talis, quam si altera pars cognovisset procul dubio sponsalia non contraxisset.

61. Porro mutatio notabilis animi censetur verificari quoties alteruter ex sponsis contrahat infamiam ob furtum, homicidium, apostasiam vel aliud grave crimen. Item si appareat vitio aliquo ex. gr. ebrietatis maculatus, vel fiat aleator, turbulentus, vel demens.

62. Mutatio notabilis corporis verificatur quoties alteruter ex sponsis incidat in morbum incurabilem, et præsertim contagiosum. Item si corporis vel membrorum deformitatem contrahat. *Confer. Cap. 25. De Jurejurando.*

63. Mutatio notabilis in bonis fortunæ contingit cum unus ex sponsis ex honesta conditione in paupertatem incidat, quæ prævideri non poterat. Hinc immutatio fortunæ quæ poterat prævideri, sponsalia non solvit.

64. Inter mutationes notabiles doctores adsignant inimicitias graves, quæ exoriantur inter parentes utriusque sponsi, vel inter ipsos sponsos, quia difficiles exitus solent in matrimoniis producere.

Verum in hac re a judice qui de dissolutionis causa decernere debet, caute est procedendum et præsertim consideranda est dispositio animi utriusque sponsi, et probabilitas futuræ conjunctionis animorum inter utrumque. Quæ probabilitas si verificetur, non est admodum attendenda actualis dissociatio animorum. Insuper investigandum sedulo est, utrum dissociatio actualis sit necne vera an simulata.

65. VII^{us} casus dissolutionis sponsalium est *impedimentum* superveniens, ex quo matrimonium celebrari nequit inter sponsos. Ex. gr. impotentia, affinitas ex copula illicita, quam habeat alteruter ex sponsis cum persona consanguinea alterius in primo vel in secundo gradu.

66. Dicunt vero doctores, in casu quod superveniat ex culpa unius ex sponsis, quodque dispensari soleat a Romano Pontifice, teneri ad procurandam dispensationem solummodo ordinariis expensis eam partem, quæ causam posuit impedimenti. Rationem

vero inferunt ex eo, quod dispensatio necessaria est ad sarciendum damnum alteri illatum ex propria culpa.

67. Restat ut duo animadvertamus 1°. non eandem requiri in omnibus supra expositis probationem. Nam si causa solutionis sponsalium procedat ex impedimento sive dirimente sive impediente matrimonium, cum interveniat periculum animæ, non requiritur plena probatio, sed sufficit probatio semiplena, quæ nempe rationabile dubium ingerat de valore aut etiam de licitudine matrimonii contrahendi in executionem sponsalium.

68. Si vero agatur de causa solutionis, quæ solum concedat facultatem uni ex contrahentibus resiliendi a sponsalibus, probatio causæ debet esse plena, quæ nempe rationabile dubium in contrarium removeat. Nam in hypothesi agitur de damno inferendo tertiæ personæ, seu illi contra quam sponsalia nulla esse dicuntur.

69. 2ª. Animadversio respicit ipsum actum solutionis sponsalium. Scilicet si causa resiliendi a sponsalibus non sit certa et explorata, sed sit dubia, sive quoad suam existentiam, sive quoad suam extensionem et valorem et altera pars sit invita; non poterit quis illico a sponsalibus resilire, sed opus erit ut ecclesiastica auctoritas interveniat et quæstionem dirimat. Casus enim est in quo decisio judicialis necessaria est, quæ certum finem imponat dubietati ne partium arbitrio lis finienda remittatur. Quod si causa moraliter certa sit solutionis sponsalium, *in genere et per se* non est necessaria auctoritas Ecclesiæ, quæ decernat de valore sponsalium, sed pars, quæ cognoscit propriam libertatem, potest auctoritate privata a sponsalibus resilire; atque ita agere perinde ac si sponsalia non intercessissent. Nam ipsa certitudo moralis eximit unam partem ab obligatione in sponsalibus contracta.

70. Dixi *de se et in genere*, nam in specie et ob relationes speciales potest requiri auctoritas ecclesiæ; ex. gr. si causa resiliendi non fuerit publice, et sufficienter cognita, et e contra communiter cognoscantur sponsalia valida. In hac enim hypothesi ob periculum scandali fidelium necessaria erit auctoritas Ecclesiæ, quæ pronunciet de cessatione obligationis.

De Matrimonio.

71. Matrimonium potest in genere considerari prout est officium naturæ, et definitur: *'Maris et feminæ legitima conjunctio,*

individuam vitæ consuetudinem retinens'. Definitio hæc conjugiis convenit sive christianorum sive infidelium.

72. In specie matrimonium accipitur prout est sacramentum idest prout exstat in Ecclesia Christi, ex Christi ipsius institutione, qui assumpsit ipsum contractum naturalem conjugii in signum unionis suæ cum Ecclesia eique gratiam supernaturalem tribuit, qua contractus ipse naturalis, et legitimus fieret Sacramentum, quod definiri potest *'contractus legitimus et indissolubilis inter virum et mulierem, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus de se aptos ad prolis procreationem, evectus a Christo Domino ad dignitatem sacramenti.*

73. Dicitur 1°. *contractus legitimus;* debet enim celebrari a *personis de jure habilibus;* et quidem habilitas hæc debet verificari in ordine ad jus naturale, divino-positivum et ecclesiasticum.

2°. *Indissolubilis.* Hæc qualitas ex lege evangelica propria est matrimonio christiano, in quo facta maritali conjunctione, verificatur plena ratio similitudinis unionis perpetuæ, quæ est inter Christum et Ecclesiam. Hinc matrimonium infidelium absolute indissolubile non est, quia ex privilegio fidei (quod vocant Paulinum, ex S. Paulo) dissolvi potest. Hinc pariter matrimonium fidelium solummodo ratum dissolvi potest virtute clavium.

3°. *In quo traditur et acceptatur mutua potestas etc.*

Verba hujusmodi exprimunt specifice jus, quod traditur vicissim a personis contrahentibus. Quamvis enim matrimonium institutum sit etiam in mutuum adjutorium, et quamvis in statu naturæ corruptæ habitum sit ceu remedium concupiscentiæ, juxta illud Pauli 'melius est nubere quam uri'; tamen principaliter ordinatur ad procreationem prolis.

4°. *Evectus a Christo Domino etc.;* scilicet Christus Dominus ipsum contractum matrimonialem fidelium fecit signum sacrum, quod sanctificaret ipsos fideles, et eorumdem animos gratia sibi invicem conciliaret et devinceret in ordine ad fines conjugii obtinendos, nec non conjuges adjuvaret ad onera status conjugalis ferenda.

74. *Divisiones* matrimonii plures sunt: 1°. Dividi solet *in legitimum, ratum simpliciter,* et in *ratum* et *consummatum* simul:

Legitimum est illud quod contrahitur ab infidelibus, servatis tamen legibus naturalibus, et jure divino-positivo. Huic matrimonio opponitur matrimonium *illegitimum.* — Diximus *ab infidelibus.*

Nam matrimonium, quod contrahitur inter fideles, vel est sacramentum, vel est prorsus nullum. Hinc matrimonium quod civile appellant, ad exclusionem matrimonii christiani inter fideles, juxta doctrinam et praxim Ecclesiæ est *illegitimum* prorsus, et vitæ consuetudo inde sequens est *concubinatus.*

Ratum matrimonium dicitur illud quod contractum est servatis dispositionibus juris tum naturalis, tum divino-positivi, tum ecclesiastici, quodque proinde ab Ecclesia recognitum est et ratihabitum. Hoc matrimonium ut dicatur simpliciter ratum, subsequi non debet copula carnalis inter contrahentes.

Quod si matrimonio *rato* accedat commixtio carnis, idest copula carnalis, matrimonium appellatur *ratum* et *consummatum.*

75. 2°. Matrimonium aliud est publicum, aliud quod dicitur *conscientiæ,* cui accedit *matrimonium morganaticum.*

Publicum est matrimonium illud, quod in facie Ecclesiæ contrahitur, et contrahentes tum quoad conversationem, tum quoad jura conjugalia, ceu vir et uxor ab omnibus habentur.

Matrimonium *conscientiæ* illud est, quod contrahitur præsertim in remedium conscientiæ, et quidem contrahitur cum solemnitatibus substantialibus requisitis, quin tamen celebratio ejus in populo vulgetur, immo ea lege contrahitur ut occultum remaneat. Hinc omittuntur denunciationes, et contrahitur coram Parocho et duobus testibus fidelissimis, qui perpetuo silentio obstringuntur. Hoc matrimonium urgente aliqua necessitate, et remoto periculo luctuosi exitus contrahi potest. De hoc matrimonio agit Benedictus XIV. in sua constitutione ‚*Satis vobis*' quæ est 35ª in ejus Bullario, et in ea tractat quomodo matrimonia occulta sint permittenda, quibus cautelis, et in quibus actis sint describenda et quomodo consulendum sit educationi et idoneitati prolis.

Morganaticum vero illud est, quod aliquando contrahitur a personis nobilibus occulte, sed coram Parocho et testibus, ea tamen conditione ut uxor et liberi ex tali matrimonio suscepti obtineant solum portionem certam bonorum ad sustentationem congruam necessariam, quin tamen jus habeant succedendi in omnia bona defuncti illustris, et in jura nobilitatis, dignitates et titulos defuncti ipsius. Hoc matrimonium præsertim in Germania frequentabatur.

76. 3°. Matrimonium aliud est *verum,* aliud *putativum,* aliud *præsumptivum. Verum* illud est quod adhibitis solemnitatibus requi-

sitis contractum fuerit inter personas de jure habiles. *Putativum* matrimonium illud est quod re quidem est irritum, ob latens impedimentum, sub quo contrahitur, tamen in facie Ecclesiæ contractum fuit bona fide saltem ab uno ex conjugibus, et contrahentes in opinione communi reputantur ut veri conjuges. Igitur ut matrimonium in se nullum dici possit putativum requiritur a) credulitas probabilis communitatis, qua nempe communiter omnes cives retineant, illud esse validum; b) bona fides saltem ex parte unius conjugis. Si enim desit ex utraque parte bona fides, deerit prorsus fundamentum legitimæ cohabitationis, et erit potius occultus concubinatus. Hinc statim ac conjuges in notitiam deveniant nullitatis conjugii, debent ab usu matrimonii cessare, et dispensationem ab Ecclesia postulare. Quod si dispensatio concedi nequeat, matrimonium haberi debet ceu nullum, et partes contrahentes ab omni vinculo solutæ sunt. Filii qui ex matrimonio putativo nascuntur, licet unus tantum ex conjugibus fuerit in bona fide, a jure ceu legitimi retinentur. Ita in *cap. 3. 'qui filii sint legitimi'* et in praxi S. Congr. Concilii. Legitimitas enim est in jure causa favorabilis.

77. *Præsumptum* matrimonium illud est, quod ab ipso jure, posito aliquo facto, supponitur et retinetur contigisse, ita ut probatio in contrarium directa non admittatur. De hoc matrimonio agit *cap. 30. h. t.*, ex quo infertur matrimonium præsumptum esse illud, quod præsumptione juris et de jure censetur intervenisse inter personas quæ post inita valide sponsalia copulam liberam inter se habuerunt. Scilicet jus præsumit copulam hanc liberam affectu maritali positam ac proinde illam recipit ceu signum consensus conjugalis. Consensus enim potest in matrimonio exprimi vel verbis vel signis. Hæc quidem præsumptio respicit forum externum solummodo. In foro enim interno videndum est, utrum revera copula carnalis affectu maritali intercesserit necne; quod si maritalis affectus non extiterit, nec verum extitit matrimonium, neque conjuges poterunt sese gerere ceu vir et uxor, sed in foro externo pro valore matrimonii militat præsumptio juris et de jure, scilicet præsumptio supra quam legislator fundavit legem suam; ac proinde si directe oppugnaretur, fieret oppositio ipsi legislatori. Quare præsumptio hujusmodi non admittit probationem directam in contrarium.

78. Dixi *directam,* nam indirecta probatio potest proponi contra præsumptionem, quæ in eo consistit, ut demonstretur personas præsumptive contrahentes ligari aliquo impedimento dirimente. Probata existentia impedimenti, stante etiam in suo robore præsumptione, matrimonium valide non contrahitur. Verumtamen matrimonium præsumptum fuit sublatum a Concilio Trident. *in cap. 1. sess. 24. de Ref. matrim.,* in quo decrevit solemnitatem substantialem contractus conjugalis. Irritum scilicet et nullius valoris declaravit esse matrimonium, quod non fuisset deinceps contractum coram Parocho, et duobus testibus. Hæc autem dispositio valet in locis in quibus facta est publicatio decreti ejusdem. In aliis vero locis adhuc valet dispositio juris antiqui, juxta quam matrimonia clandestina sustinentur, ac proinde valet etiam matrimonium præsumptum.

79. Hac tamen in re præ oculis habenda est *Instructio S. Congregationis de propaganda fide, diei 17. Januarii 1821* pro Vicariis apostolicis imperii Sinensis duo dubia proponentibus.

In responsione ad primum dubium S. Congregatio exhibet theoriam a nobis superius expositam. Videlicet si duo sponsi animo fornicario copulam habeant, præcedentia sponsalia in foro conscientiæ et coram Deo non transeunt in matrimonium. Si autem copula hæc probatur in foro judiciali externo, sponsi poterunt ab auctoritate ecclesiastica adigi ad sese habendos uti conjuges, ita ut vivente uno consorte alter non possit ad alia vota transire, juxta *cap. 30. de spons. et matrimonio.*

Ad 2^{um} dubium respondit, si quis fidelium post sponsalia et subsequentem copulam, publice matrimonium cum altera muliere contrahat, et accedat ad tribunal pœnitentiæ, missionarius debebit pœnitentem interrogare, an copula cum prima muliere fuit habita ex affectu maritali, vel ex affectu fornicario. In hoc secundo casu nullum dubium missionarius movebit pœnitenti de valore præsentis matrimonii. In primo autem casu graviter monebit pœnitentem de onere redeundi ad primam mulierem, quæ est vera ejus uxor. Immo si pœnitens nequeat probare in foro externo factum copulæ cum priore muliere, et ab auctoritate ecclesiastica cogatur convivere cum secunda; non potest ipse carnale commercium exercere cum hac secunda muliere, sed potius humiliter ferre debet pœnas, et ipsam excommunicationem si forte infligantur. *Cap. 41. de Sent. Excom.*

80. Quæstiones quædam solvendæ sunt quæ naturam matrimonii melius patefaciunt.

Ad substantiam matrimonii requiritur mutua traditio et acceptatio juris in corpora. Hæc autem mutua traditio debet exprimi per consensum mutuum. Hinc consensus mutuus necessarius est, et debet sufficienter exprimi exterius per verba vel signa. Quid vero dicendum si verba vel signa exprimant consensum sed tamen consensus internus seu animi adhæsio non adest?

Profecto matrimonium non adest. Nam consensus verus et sincerus deest, si solummodo in verbis et non in animo consistat. Quid vero de hac re canonice sentiendum sit deprehenditur ex *cap. 26. h. t.* '*Tua nos duxit*'. Quidam cum non posset pertrahere ad turpia puellam, finxit se illam ducere velle in uxorem eique absque ulla solemnitate et absque ullo teste dixit: 'Joannes te desponsat', cum ipse revera Joannes non vocaretur. Secutum est inde carnale commercium; deinde vir pertæsus conversationis cum illa, adiit Episcopum eique exposuit se non vocari Joannem, et ficto animo matrimonium contraxisse.

Episcopus exposuit speciem Romano Pontifici, qui animadvertit mutationem nominis non officere validitati matrimonii. Nam vir in propria persona contraxerat cum puella. Solum potuisset officere fictio. Idest, ait Pontifex, si probari posset non interfuisse verum et sincerum consensum, utique matrimonium invalidum erit. At nescio, ait Pontifex, quomodo potuisset id constare Episcopo, cum nullus adesset testis, et cum verba prolata a Joanne consensum ipsum verum ac sincerum exprimerent. Igitur ut matrimonium nullum declararetur, necesse erat probare fictionem interfuisse; secus pro valore matrimonii judicandum erat. Quare ex hoc capite infertur consensum fictum non sufficere in contractu conjugali, sed præsumi semper in foro externo verum et sincerum consensum esse illum, quem exprimunt verba contrahentium, donec contrarium probetur.

81. Hic autem consensus verus et sincerus est prorsus personalis, idest concipi et exprimi debet ab ipsis contrahentibus. Hinc non tenet matrimonium contractum a parentibus, licet filii præsentes tacuerint. Electio enim status perpetui tale est negotium, quod requirat consensum positivum, ita ut sola taciturnitas nequeat haberi ceu signum certum voluntatis interioris. Neque nimis urgenda est paritas matrimonii cum sponsalibus, quæ juxta

cap. un. *De despons. impuberum in VI°.*, sustinentur si a parentibus contrahantur pro filiis præsentibus et tacentibus. Non enim est eadem indissolubilitas sponsalium et matrimonii. Parentes utique poterunt disponere et præparare pro filiis statum conjugalem, filiorum vero erit statum ipsum figere et acceptare. Proinde præsumptio consensus quæ agnoscitur a jure in negotio sponsalium, non invenitur extensa et applicata contractui matrimonii. Hinc si parentes pro filiis contrahere matrimonium contenderent, agerent extra limites patriæ potestatis, et filii non tenerentur assensum præbere. Nec per consequens filii tacentes præsumi possunt consensum præbuisse.

82. Quæritur utrum ad valorem matrimonii filiorum familias requiratur tanquam essentiale elementum consensus parentum?

In cap. 12. t. 31. lib. 3. *De Regul.* ait Clemens III. puellam in ætate nubili constitutam in electione propositi liberum arbitrium habere, neque cogi posse ad sequendam voluntatem parentum. Ex hujusmodi principio sequitur neque jure antiquo fuisse requisitum consensum parentum, ut filii familias valide contraherent matrimonium. Quidquid vero sit de jure antiquo, certum nunc est ex dispositione Conc. Trident. in *cap. I. sess. 24. De Reform. matrimonii,* valere matrimonia filiorum familias, contracta invitis et reluctantibus parentibus, quamvis *ordinarie* requiratur consensus parentum ex honestate, ita ut ab Ecclesia reprobentur, ceu illicita conjugia contracta a filiis familias, parentibus *rationabiliter* adversantibus.

83. Sciendum siquidem est oratores Regis Gallorum a Patribus Conc. Trid. duo expostulasse, 1°. ut declararentur irrita matrimonia clandestina; 2°. ut declararentur pariter irrita matrimonia filiorum familias, contracta absque consensu parentum. Concilium in cit. *c. 1. sess. 24. De Ref. Matrim.* accepit primam petitionem, secundam vero non accepit, scilicet non declaravit invalida matrimonia filiorum familias celebrata contra votum parentum. Et merito. Quamvis enim judicium parentum plurimum sit attendendum a filiis in electione status perpetui, ac proinde habeantur uti illicita matrimonia filiorum familias, quando rationabiliter parentes adversantur, tamen semper verum est, electionem hujus status debere esse factum personale ipsorum filiorum, et licet mala prævideri possint ex conjugiis filiorum contractis, parentibus contradicentibus, tamen majora mala præviderentur secutura ex matrimoniis, quæ

contraherentur sub imperio alieno, quamvis hoc imperium esset voluntas ipsorum parentum. In conjugiis enim ubi vinculum dirigitur ad mutuum amorem, et ad animorum conjunctionem, consensus ipsorum contrahentium est essentialiter attendendus.

84. Quæritur utrum per alium possit hic consensus præstari; utrum nempe per procuratorem matrimonium possit contrahi?

Juxta cap. ult. *De Procurat. in VI°.*, matrimonium contrahi potest per procuratorem, nam in hac re imitatur naturam reliquorum contractuum in quibus contrahens potest per alium consensum præbere. Verum visum est doctoribus, matrimoniis per procuratorem contractis non favorem assistere sed potius odium juris obstare, quare magna in iis adhibenda est cautela. Hinc ipsum jus nonnullas conditiones ponit.

85. 1°. Requiritur speciale mandatum tum in ordine ad ipsum negotium explendum, scilicet ad contrahendum matrimonium tum etiam in ordine ad personam cum qua vult contrahi conjugium.

86. 2°. Requiritur ut procurator *per seipsum* mandatum exequatur. Procurator igitur non potest subdelegare aliam personam in suo officio, nisi hæc facultas sit eidem tributa in mandato. Præsumitur enim electam fuisse industriam personæ determinatæ.

87. 3°. Requiritur ut mandatum in sua virtute permaneat usque ad momentum celebrationis contractus. Ratum enim mandatum potest revocari, ita ut matrimonium contractum a mandatario dissentiente mandante nullum sit, licet revocatio mandati seu dissensus non innotuerit mandatario. Ratio est quia matrimonium contrahitur per consensum de præsente, idest requiritur consensus actu, quo matrimonium contrahitur. Revocatio autem non intimata procuratori debet probari, quare revocatio hæc fieri debet coram testibus. Posita autem revocatione mandati, matrimonium contractum a procuratore invalide non potest reddi validum ratihabitione, quæ in aliis contractibus supplere potest actum celebrationis contractus. Nam indoles propria matrimonii talis est, ut consensus utriusque partis debeat esse uno contextu emissus. Matrimonium enim est sacramentum, quod vel actu conficitur, vel nullum est et nova celebratione indiget.

88. Ob allatam rationem mutui consensus de præsenti tenendum est neque quoad aliquos effectus valere matrimonium contractum a mandatario pro mandante præmortuo. Contractus enim matrimonii ceu actus præsens non retro trahitur ad diem mandati.

89. Quæritur utrum in matrimonio in concreto spectato, quodque inter Christianos sit celebratum, distingui possit ratio contractus a ratione sacramenti, ita nempe ut dari possit aliquod matrimonium fidelium, quod valeat ceu contractus et tamen non sit sacramentum.

90. Resp. Ex quæstione ita proposita quisque videt in ea non quæri utrum in *abstracto et logice* ratio contractus in matrimonio secerni possit a ratione sacramenti, sed quæstionem ipsam esse prorsus concretam; utrum nempe existat vel existere possit aliquod matrimonium fidelium validum, quod non sit simul sacramentum.

91. Vasquesius et alii affirmativam sententiam propugnarunt. Eorum opinio innitebatur præsertim capiti 2°. *De clandest. despons.* et *cap. 1°. sess. 24. de Reform. matrim., in Tridentino.* In istis enim locis traditur, matrimonia fidelium clandestina, idest contracta absque ulla benedictione sacerdotali, et absque ritu religioso, fuisse utique recognita ab Ecclesia uti valida, et rata fuisse, verum fortiter reprobata. Cur vero, ajunt Doctores isti, matrimonia hujusmodi reprobata fuerunt, nisi quia non erant sacramenta?

92. Verum contra sentiendum est cum communi et certa sententia. Si enim attendamus ad conceptum matrimonii Christiani, habemus Christum Dominum penes Matthæum XIX. revocasse matrimonium ad primævam suam institutionem. Videlicet Christus Dominus fecit esse sacramentum illud ipsum matrimonium quod antea fuerat legitimus contractus naturalis. Ubi ergo inter fideles desit sacramentum deest etiam legitimus contractus.

93. In hoc insuper est constans loquendi ratio sacrorum canonum, ut nempe dicant, ipsum matrimonium christianum esse sacramentum, et Christum Dominum promeruisse gratiam, quæ sanctificaret amorem naturalem conjugum, et firmaret indissolubilem unitatem. Ita Trid. *sess. 24. De Reform. matrim.* in expositione doctrinæ de sacramento matrimonii.

Quod vero attinet ad rationem adversariorum, possumus ex ea inferre secundum argumentum pro nostra sententia. Et sane in cap. 2°. *De clandest. despons.* traditur matrimonia clandestina quæ ab istis conjugibus manifestantur, perinde habenda esse, ac si fuissent primitus coram Ecclesia celebrata, idest inter matrimonia rata recensentur. Conc. vero Trid. in cit. cap. 1°. sess. 24.

de Ref. matrim. explicite uti rata habet matrimonia clandestina, ante suum decretum contracta, scilicet matrimonia quæ fuerunt inita absque ritu religioso et sacerdotis assistentia. Jam vero in sensu canonum matrimonium ratum idem est ac sacramentum. Igitur matrimonium clandestinum ante Concilium Trident. eo ipso quod erat contractus, idest absque etiam cærimonia religiosa, erat pariter sacramentum.

94. Probanda est minor propositio. Ita autem probatur: in *cap. 7°. lib. 4. tit. 19. De divortiis* proposita fuit Jnnoc. III. quæstio, utrum in casu quo conjux in hæresim laberetur, et vellet pacifice et sine contumelia creatoris cum altera parte, quæ in fide permansit, cohabitare, posset hæc pars fidelis ad alia vota transire. In favorem partis fidelis proponebatur privilegium fidei, quod juxta Apostolum Paulum competit fidelibus conversis ex infidelitate. Verum Innocentius respondit, partem quæ in vera fide permansit, non posse novas nuptias inire. Et quidem ratio privilegii concessi fidelibus conversis ex gentilitate militabat etiam in casu nostro, ut scilicet ex vera fide, quam quis profitetur, non debeat imminutionem pati in juribus suis. Cur ergo in casu hæreseos unius ex conjugibus non potest alter novum matrimonium contrahere in similitudinem fidelis illius, qui ab infidelitate conversus est? Unica ratio ab Innocentio adducitur ex diversitate vinculi matrimonii contracti in Ecclesia, a vinculo matrimonii contracti in infidelitate. Nam ait Innocentius vinculum matrimonii contracti inter fideles fortius est præ illo matrimonii infidelium, eo quod matrimonium infidelium est solummodo legitimum, e contra matrimonium fidelium est ratum seu sacramentum.

Igitur matrimonium quod est *ratum*, est etiam *sacramentum* et proinde matrimonia clandestina quæ rata dicuntur sunt etiam sacramenta. Et merito; nam posito quod Christus voluerit matrimonium esse unum ex septem sacramentis, absonum prorsus fuisset, ut Ecclesia reciperet ut rata matrimonia quæ non essent sacramenta. Ergo matrimonia fidelium eo ipso quod sint legitima debent esse sacramenta, licet contracta fuerint absque ritu sacro, absque sacerdotis benedictione.

Non est ergo sacramentum quædam qualitas supernaturalis, quæ ex benedictione sacerdotis accedat contractui conjugali jure valide posito, sed est proprietas inhærens ipsi contractui legitime celebrato.

95. At ex adverso adverti potest: si matrimonia clandestina erant sacramenta, cur Ecclesia vehementer eadem reprobavit?

Respondeo: ob malos exitus quos solebant habere, et eo quod fideles eadem celebrantes videbantur contemnere ritus et præscriptiones canonicas, non autem quia non essent sacramenta.

96. Tertium argumentum infertur ex aliis locis juris. Omittentes literas apostolicas Pii VI., Pii VIII. et Greg. XVI., commemoramus solum literas apostolicas Pii IX., directas ad Regem Sardiniæ die 9ª. Sept. a. 1852, et allocutionem consistorialem diei 27. Sept. ejusdem anni, quæ incipit *'Acerbissimum'* in quibus expresse docet Pontifex inter fideles legitimum matrimonium non dari, quod non sit pariter sacramentum. Unde in Syllabo edito die 8. Decembris a. 1864 damnata recensetur propositio sub n. 66 quæ ita se habet: *'matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.'* Necnon damnata est propositio 73 quæ ita legitur: *'Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur.'* Igitur ex sensu contrario harum damnatarum propositionum potest inferri, veram esse et retinendam doctrinam, quæ tenet in concreto, rationem sacramenti matrimoniorum Christianorum non esse separabilem a ratione contractus. Hinc adversa sententia modo nec uti vera sententia, nec uti probabilis haberi potest. Accedunt literæ Encyclicæ Leonis XIII. 'Arcanum', in quibus hæc sententia expresse rejicitur.

97. Ex doctrina superius exposita sequitur non sacerdotem sed ipsos contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii. Nam ipsi ponunt et verbis vel signis exprimunt consensum, contractum legitimum celebrant, in quo ratio sacramenti residet. Hinc si sacerdos post dispositionem Tridentinam de præsentia Parochi solummodo præsens sit, et intelligat voluntatem manifestatam a contrahentibus, licet sit ipse invitus et nullum verbum proferat sustinetur matrimonium, scilicet est ratum et proinde sacramentum.

98. Ex theoria superius a nobis propugnata sequitur etiam ad Ecclesiam pertinere potestatem ea decernendi, quæ spectant ad vinculum matrimonii, sive quoad causas matrimoniales idest quæ vinculum conjugale respiciunt, sive quoad impedimenta præ-

sertim dirimentia. Nam cum ratio contractus in matrimonio christiano non secernatur a sacramento, potestas Ecclesiastica, non autem potestas civilis erit, quæ decernet, quænam sit materia apta matrimonii, et quæstiones definiet, quæ ipsum valorem contractus respiciunt seu judicabit utrum necne elementa sacramenti posita fuerint. Sit

I.

De potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus.

99. De istis causis ita decernit concilium Tridentinum in can. 12. sess. 24. *de Reform. matrimon.* Si quis dixerit *'causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos. A. S.'*

100. Janseniani et regalistæ, ut censuram concilii effugerent, non dubitarunt asserere 1°. nomine judicum ecclesiasticorum venire posse ipsos principes christianos, qui sacra potestate inter fideles gaudent; concilium vero non designare quinam in specie essent judices Ecclesiastici. Ita Launojus in opere *De regia in matrimonium potestate.* 2°. Adnotarunt Tridentinos Patres non determinasse originem potestatis judicum Ecclesiasticorum, ac proinde dixerunt potestatem in causis matrimonialibus decernendis posse competere judicibus ecclesiasticis ex indulgentia et concessione principum laicorum; 3°. tandem adnotarunt concilium non exclusisse comparticipem potestatem principis et Ecclesiæ, in rebus matrimonialibus.

101. Hanc theoriam in hisce tribus animadversionibus expressam, suam fecit Pseudo-Synodus Pistoriensis a. 1786. Eam vero expresse reprobavit Pius VI. in epistola quam in forma Brevis misit ad Episcopum Mojulensem die 17. Sept. 1788. Adnotat vero Pontifex primam animadversionem Jansenistarum et regalistarum esse prorsus captiosam. Ubi enim agitur de causis matrimonialibus, ad solos judices ecclesiasticos spectat earum decisio. Nam contractus ipse matrimonialis est inter Christianos unum ex septem Sacramentis evangelicæ legis. Hinc consequitur pariter judicem laicum, quoad validitatem vel nullitatem matrimonii, nihil posse decernere. Ex qua animadversione Pontificis refutatur secunda et tertia adnotatio adversariorum. Si enim judicibus Ecclesiasticis competit munus decernendi causas matrimoniales, eo quia contractus matrimonialis fidelium est Sacramentum, liquido descendit Ecclesiam auctoritate propria, et non aliena et derivata

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

a principibus civilibus, hoc munus habere decernendi causas matrimoniales. Descendit etiam non posse principes laicos concurrere cum judicibus ecclesiasticis, in definiendis causis ecclesiasticis, quæ excedunt limites potestatis civilis.

102. Quare Pius IX. in literis apostolicis *'Ad Apostolicæ'*, diei 2. Aug. 1851, et in allocutione consistoriali 27. Sept. 1852 condemnavit hanc propositionem: *'Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.'* Ita refertur in Syllabo a. 1864 sub. n. 74. quæ propositio ex sensu contrario aperte excludit concursum potestatis civilis in causis matrimonialibus, quæ proinde pertinent exclusive ad potestatem Ecclesiæ.

II.

De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta præsertim matrimonium dirimentia.

103. Diximus secundo loco ex exposita superius doctrina descendere, Ecclesiæ potestati jure proprio et exclusivo competere facultatem constituendi impedimenta, quæ præsertim dirimentia dicuntur, scilicet, quæ ipsum vinculum et valorem contractus respiciunt. Cum enim in christiano matrimonio ipse legitimus contractus sit realiter sacramentum, ipse contractus est res sacra, et ab ea auctoritate ordinabitur, quæ res sacras ordinat et disponit. Scilicet Ecclesia, cui commissum fuit a Christo regimen animarum et administratio sacramentorum, jure suo, et exclusivo determinabit conditiones, quibus personæ fideles reddantur idoneæ ad legitimam celebrationem conjugii.

104. Hinc a primis etiam sæculis, Ecclesia impedimenta posuit dirimentia, quin ullam relationem exprimeret ad societatem civilem, immo inter christianos habita fuerunt ut illegitima matrimonia contracta solummodo juxta leges imperiales. Id referunt S. Justinus Martyr, in *Apologia majori n. 15.*, et Athenagoras in *Orat. pro Christianis nn. 32. 33.* Hinc etiam videmus Ecclesiam ex legibus imperialibus nonnullas fecisse suas et adoptasse, alias vero expresse reprobasse; ex. gr. legem Constantini relatam in *Codice Theodosiano in tit. De Repudiis*, in qua definiuntur crimina ob quæ solveretur matrimonii vinculum.

105. Tandem exemplum exclusionis potestatis civilis, in impedimentis constituendis quoad matrimonium, nobis dedit concilium Tridentinum, cum petentibus oratoribus regis Galliæ, ut statueren-

tur duo impedimenta, scilicet clandestinitas et dissensus parentum, admisit quidem clandestinitatem, respuit vero parentum dissensum. Quare in parte dogmatica sessionis de matrimonio ponit ceu principium et fundamentum suarum definitionum, matrimonium esse sacramentum et deinde definit in canonibus 3° et 4ᶜ Ecclesiam posse statuere impedimenta matrimonium dirimentia.

106. Quam definitionem Pistorienses explicantes de potestate Ecclesiæ non *originaria sed derivata* a civili auctoritate condemnavit Pius VI. in Constitut. Dogmatica *'Auctorem fidei'* in censura propositionis LIX., scilicet hanc propositionem, in qua Synodus Pistoriensis docuerat potestatem Ecclesiæ in statuendis impedimentis non esse originariam, condemnavit ceu eversivam canonum 3. 4. 9. et 12. tridentinorum sess. 24. et ceu propositionem hæreticam.

107. Nihil ergo poterunt principes laïci in matrimoniis suorum subditorum?*)

Nemo unquam id dixit, sed quoniam matrimonium non est solum in officium naturæ et sacramentum sed est etiam in officium communitatis, hinc lege etiam civili regi potest. Verum leges civiles non possunt reddere invalidum contractum conjugii, quod juxta leges Ecclesiæ initum est. Nec proinde possunt uti illegitimam habere prolem, quæ ex eodem matrimonio nascatur. Legitimitas enim filiorum est effectus inseparabilis matrimonii valide contracti, nec catholici possunt retinere uti validum conjugium juxta leges sæcularis principis initum a fidelibus contra dispositiones substantiales Ecclesiæ.

108. At primo loco admittimus posse principes laicos exigere, ut matrimonia in libris publicis status adnotentur, ad habendam probationem legalem eorundem. Insuper possunt principes conditiones matrimonio apponere quæ tamen solummodo afficiant effectus civiles. Possunt videlicet arcere a successionibus hæreditariis filios enatos ex matrimonio inito, spretis legibus status. Possunt leges ferre, quæ respiciunt dotem vel privilegia civilia contrahentium. Verum nullitas vel validitas contractus matrimonialis ab Ecclesiæ potestate semper pendebit, quia ipse legitimus contractus est sacramentum.

*) De potestate principum quoad matrimonia infidelium, vide Jus publicum ecclesiasticum Felicis Cavagnis, Romæ editum ann. 1883. lib. 4. num. 176. et seqq.

109. Quæritur, quænam potestas in Ecclesia statuere valeat impedimenta dirimentia?

Antiquis temporibus non desunt exempla aliquorum impedimentorum, quæ statuta sunt non a suprema auctoritate Ecclesiæ, sed a conciliis particularibus. Ex. gr. concilium Neocæsariense canone 2. constituit impedimentum affinitatis.

110. At tractu temporis ad vitandam confusionem, et ad inducendam uniformitatem in tanto negotio, factum est ut designatio et constitutio alicujus impedimenti recenseretur inter causas majores, quæ reservatæ sunt supremæ auctoritati in Ecclesia, Romano nempe Pontifici et concilio generali. Hinc cum archiepiscopus prohibuisset Parochis, ne assisterent matrimoniis quæ contraherentur absque denunciationibus cumque hæc matrimonia irrita et nulla decrevisset, Sacra Congregatio Concilii mandavit eidem ut quam primum suam constitutionem revocaret. *(Ben. XIV. de Syn. Diœces. lib. XII. c. 5. n. 2.)* Hinc etiam in Sacra Congregatione diei 2. Decembr. 1828 nullius valoris habitæ sunt constitutiones Synodi Rioviensis die 11. Octob. 1619, quibus declarabantur irrita matrimonia clandestina, in locis in quibus promulgatum non fuit Decretum concilii Tridentini. *Conf. id. Ben. XIV. De Syn. Diœc. lib. XII. c. 5. nn. 7. et seq.*

111. Tandem animadvertimus, neque consuetudinem particularem modo posse introducere impedimentum matrimonii, nam uniformitas non servaretur. Utique universalis consuetudo id posset, sed consuetudo hæc vix concipi potest, quin innitatur auctoritati Ecclesiæ supremæ, ac proinde roboretur consensu saltem tacito Pontificis.

112. Quæritur an Episcopus possit impedimenta *impedientia* matrimonium statuere?

Impedimenta impedientia ea dicuntur, quæ matrimonium reddunt solummodo illicitum. Antiquitus poterant episcopi leges ferre generales in propria Diœcesi, quibus matrimonii honesta et licita celebratio regeretur. Hinc ex. gr. mos præmittendi publicas denunciationes matrimonio, primitus fuit proprius alicujus Diœceseos, et tandem obligatio præmittendarum denunciationum a Tridentino extensa fuit ad universam ecclesiam, ceu impedimentum impediens.

113. Verum cum legislatio Ecclesiæ ad modum juris communis, undique uniformiter aptata est, etiam in impedimentis impedientibus, induci cœpit uniformitas. Quare ne varia esset Diœce-

sium consuetudo, etiam materia de statuendis impedimentis impedientibus facta est causa major, ac proinde reservata supremæ potestati Ecclesiasticæ. Hinc hodiernis temporibus non possent episcopi vel Synodi particulares aliquod impedimentum impediens constituere ad modum legis, idest per modum dispositionis generalis in Diœcesi vel Provincia.

114. Dixi per modum *legis;* nam per modum *præcepti* in casibus particularibus potest utique episcopus matrimonium impedire, ita ut si matrimonium contra ejus interdictum contrahatur, licet validum, tamen sit illicitum. Hinc in tribunalibus Ecclesiasticis etiam primæ instantiæ invaluit, ut si nullum declaretur matrimonium ex titulo impotentiæ, pars, quæ impotens apparet prohibeatur, quominus alias contrahat matrimonium absque nova Ecclesiæ venia.

Hæc porro facultas prohibendi matrimonia in casibus particularibus ob rationabiles causas ad scandalum vitandum, ad detegendum latens impedimentum quod existere dubitatur, procedit ex ipso munere pastorali episcoporum, quo tenentur peccatum, quo fieri possit impedire.

115. Quare ajunt Doctores, etiam Parochum posse ad aliquod tempus differre matrimonii alicujus celebrationem ob motivum aliquod rationabile. *(Conf. Bened. XIV. De Syn. Lib. VIII. c. 14. n. 5. et Lib. XII. c. 5. n. 4.)*

116. Quæritur quinam subjiciantur impedimentis dirimentibus et impedientibus matrimonium.

Profecto si sermo sit de impedimentis juris naturæ et legis Evangelicæ, impedimenta hujusmodi omnes etiam infideles obligant, lege enim naturali et Evangelica omnes tenentur. Quare Christus Dominus de impedimento ligaminis absolute ait *'ab initio autem non fuit sic; qui dimiserit uxorem suam et aliam duxerit mœchatur, et qui dimissam duxerit mœchatur'*. Impedimenta autem quæ ad jus naturæ vel ad legem Evangelicam pertinent sunt:

117. 1°. *Error in personam,* idest substantialis error, quia deest consensus sine quo ex jure ipso naturali contractus deficit. Accedit etiam impedimentum *vis* eo quod etiam posita vi, deest consensus. Qui enim sub influxu vis operatur, non agere sed pati dicitur.

118. 2°. *Impotentia perpetua et antecedens,* vel utriusque vel unius ex contrahentibus. Quia supposita impotentia alterutrius

deficit scopus primarius et essentialis ad quem dirigitur matrimonium, et deficit materia contractus, idest jus in corpus in ordine ad actus conjugales, quod tradi debet.

119. 3°. *Consanguinitas saltem in primo gradu lineæ rectæ.* Idest pater filiam ducere non potest nec mater filium. Ratio enim ordinis et dependentiæ immediatæ excludit rationem conjugii. Namque inter patrem et filiam ex arctissima conjunctione sanguinis, disponente natura ipsa, intercedit adeo vehemens vinculum amoris sui generis idest paterni et filialis, ut rationabiliter non possit componi cum amore alterius ordinis et generis, prout est amor concupiscentiæ et conjugii.

120. 4°. *Ligamen* idest vinculum existens cum alia persona. Jus enim quod irrevocabiliter uni traditum est, non potest alteri tradi.

121. 5°. *Aetas* idest incapacitas præcaria ob defectum ætatis necessariæ et sufficientis ad consensum exhibendum.

122. Hisce sepositis impedimentis, certum est infideles non subjici ceteris impedimentis, quæ sunt juris Ecclesiastici. Ecclesia enim infideles potestate sua non tangit, juxta illud S. Pauli *'quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare'?*

123. At quid de hæreticis et schismaticis?

Præscindimus ab impedimento clandestinitatis de quo infra in tit. *De clandestina desponsatione.* Quoad reliqua impedimenta juris Ecclesiastici, probabilior sententia est, quæ tenet etiam acatholicos hisce impedimentis subjici. Nam 1°. communis est doctorum sententia hæreticos et schismaticos teneri legibus Ecclesiæ. In re autem nostra, cum sermo præcipue sit de sectis hæreticorum, qui ab Ecclesiæ communione recesserunt, quando jam impedimenta in jure communi existebant, dicendum est eadem impedimenta etiam quoad ipsos acatholicos perseverasse, secus ex rebellione commodum reportassent, idest libertatem contrahendi matrimonium absque ullo obstaculo juris Ecclesiastici. Poterunt sectæ acatholicorum solvi ab impedimentis venia Ecclesiæ, at solutionem factam fuisse non constat. Immo potius contrarium patet. Nam sæpe nulla declarata sunt conjugia hæreticorum contracta contra leges Ecclesiæ. Ita pluries declaravit sacra Congregatio Concilii, ex. gr. die 26. Sept. 1602; die 19. Januarii 1605 et die 2. Augusti 1725. Accedit etiam Bened. XIV. in constitutione *'Singulæ Nobis'* in qua docet etiam acatholicos teneri impedimento cultus disparitatis,

quod certe est impedimentum juris Ecclesiastici, introductum per consuetudinem Ecclesiæ.

124. Accedit etiam in conjugiis acatholicorum ante conversionem contractis Ecclesiam solitam esse dispensare, quando veram fidem amplectuntur; ex adverso autem Ecclesia non dispensat in conjugio infidelium quando convertuntur. Hinc Sacra et Suprema Inquisitio tradidit Episcopis Germaniæ facultatem absolvendi ab impedimentis Ecclesiastici juris, circa matrimonia contracta in hæresi.

125. Neque dicant per hanc sententiam præjudicium gigni filiis progenitis ex matrimoniis hæreticorum absque solemnitatibus Ecclesiæ; nam filii habentur uti legitimi quando saltem unus ex parentibus fuerit in bona fide circa valorem sui matrimonii. Ita tenuit S. Congregatio Concilii etiam nostris temporibus in causa Herbipolensi ann. 1858. Jamvero in partibus hæreticorum et schismaticorum conjuges præsumuntur esse in bona fide, præsertim mulier, ob imbecillitatem intellectus, qua incapax est ingrediendi et percipiendi quæstiones canonicas difficiliores. Hæc præsumptio augetur si animadvertatur sententiam contrariam, etiam aliquam sibi vindicare auctoritatem, quæ potest bonam fidem parentum roborare.

De impedimentis impedientibus.

126. Hæc sunt quatuor: *'Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.*

I. *Ecclesiæ vetitum* idest præceptum particulare auctoritatis Ecclesiasticæ, qua ob rationabiles causas, ex. gr. ob timorem gravium rixarum, publici scandali et præsertim ob suspicionem fundatam latentis impedimenti dirimentis, prohibet uni vel utrique, idest viro et mulieri ne audeant matrimonium inire.

127. Qua in re animadvertimus *vetitum Ecclesiæ,* posse esse aliquando impedimentum dirimens, idest quando Summus Pontifex, qui impedimenta dirimentia potest constituere, prohibet aliquod matrimonium cum clausula irritante.

128. II. *Tempus,* quod *feriatum* dicitur illud est quo solemnes nuptiæ interdicuntur. Hoc tempus olim diu perdurabat, a Tridentino *Sess. 22. cap. 10.* coarctatum est, ut decurrat tempore Adventus usque ad Epiphaniam inclusive, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive. Hoc tempore in quo fideles præ-

sumuntur impensius vacare operibus pietatis, prohibentur solummodo solemnitates et nuptiales benedictiones, nec prohibetur celebratio contractus matrimonialis, si hic fiat absque solemnitatibus et absque nuptiali benedictione.

129. III. *Sponsalia* valida nec legitime resoluta, impediunt quominus relicta altera parte, alteruter ex sponsis contrahat matrimonium cum tertia persona. Per hoc enim matrimonium læditur obligatio legitime contracta in sponsalibus.

130. IV. *Votum simplex* perpetuæ castitatis, vel votum simplex ingrediendi religionem approbatam, aut suscipiendi sacros ordines matrimonium solummodo impedit. Nam matrimonium in casu procedit contra promissionem, quæ cum sit per se de bono meliori et possibili, a Deo acceptata esse præsumitur. Quare matrimonium hujusmodi censetur esse contra voluntatem Dei adeoque illicitum. Quomodo votum simplex a solemni distinguatur traditur in tit. *De voto et voti redemptione.*

131. Istis quatuor impedimentis impedientibus adjungenda est V. *clandestinitas* in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum. Nam matrimonia clandestina semper prohibita fuerunt. *(Trid. Sess. 24. c. 1. De Ref.)*

132. VI. Adjungi insuper potest *omissio denunciationum trium* præmittendarum matrimonio, in quibus tamen ex rationabili causa potest Episcopus dispensare;

133. Necnon VII. *cultus disparitas* inter partem catholicam et acatholicam.

De impedimentis dirimentibus.

134. Memoriæ adjuvandæ gratia sequentibus versibus impedimenta dirimentia concluduntur:

„Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
„Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
„Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
„Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
„Hæc socianda vetant connubia, facta retractant".

Ex quibus versiculis patet, quindecim esse impedimenta dirimentia matrimonium. Nonnulla eorum in specialibus titulis proponuntur in Decretalibus, hinc in præsente titulo pertractabimus de illis solis quibus specialis titulus adsignatus non est. Sit:

1°. De impedimento erroris.

135. Error est: *'falsa apprehensio rei'*. Error potest dare causam contractui et appellatur *antecedens*, vel potest versari in mente contrahentis, dum contractus perficitur et dicitur error *concomitans*. Uterque error sive antecedens sive concomitans, potest esse in *personam* vel in *qualitates* personæ. Error personæ verificatur quando una persona accipitur pro alia. Error qualitatis verificatur, cum quis solummodo reputat in persona adesse aliquam qualitatem, quæ revera non adest, vel viceversa.

Error in personam qui dicitur etiam *substantialis* sive sit antecedens sive concomitans dirimit matrimonium. Nam revera non adest consensus et intentio contrahendi cum illa persona, cum qua contractus exterius perficitur. Apprime hoc verificatur adagium juris 'Errantis nulla est voluntas.' *Can. 2. quæst. 1. Caus. 29.* Deest ergo fundamentum contractus.

136. Error autem in qualitatibus regulariter non reddit nullum matrimonium. Nam qui errat circa qualitatem, cognoscit personam quoad substantiam, et per consequens etiam cum errore adhuc potest velle ipsam personam. Quare remanet substantia contractus idest sufficiens consensus habetur ad obligationem ineundam. Hinc ex. gr. si mulier credebatur virgo vel nobilis, vel dives, et revera destituta hisce qualitatibus inde reperiatur, matrimonium valet. Præsumitur enim virum voluisse contrahere cum muliere illa determinata, et qualitates illas suppositas solummodo reddidisse virum propensiorem ad matrimonium. Sic etiam error in nomine personæ præsentis non irritat matrimonii. Etenim qui contrahit sub ficto nomine: contrahit in propria persona. *Cap. 26. h. t.*

137. Verum error in qualitatibus matrimonium dirimit 1°. si error versetur circa qualitatem conditionis servilis. *C. 2. De conjugio servor.*

138. 2°. Si error qualitatis in personam refundatur. Id verificatur quando qualitas non est pluribus communis, sed est singularis et individuat personam, ex. gr. si Titius intendat contrahere cum filia primogenita, et loco istius adducitur secundo genita, vel si intendat contrahere cum filia nobilis alicujus determinatæ familiæ, et contrahit revera cum ignobili puella. Scilicet error debet versari circa qualitatem mente præconceptam et directe intentam, quæ personam secumfert omnino diversam ab ea cum qua actu

celebratur matrimonium, quemadmodum deducitur ex resolutione S. Congregat. Concilii die 29. Decemb. 1862. Hinc matrimonium non valet, quia consensus in hypothesi fertur solummodo in personam tali qualitate munitam, quæ qualitas si deest, neque reapse adest persona illa cum qua contractus vult perfici.

139. 3°. Si error versetur circa qualitatem, quæ vel actualiter, vel saltem virtualiter, vel interne vel externe ut conditio *sine qua non* sumitur ad contrahendum.

140. Similis huic esset casus, quo aliquis qualitatem determinatam sibi proponeret ceu finem unicum matrimonii, ita ut matrimonium esset unicum medium ad qualitatem etiam directum. Consensus enim in casu alligatus conditioni, deficiente conditione de præsenti deficit et ipse, idest pro non posito habetur. Verum ad dirimendum in hac hypothesi matrimonium, in foro externo requiritur ut intentio contrahentis exterius plene probetur.

2°. De impedimento vis et metus.

141. *Vis est impetus exterior cui resisti nequit.* Cum vis non possit ipsam voluntatem afficere, actus imperatos hominis solummodo potest attingere. Quare si sub influxu vis tantum externus actus ponatur deficiatque prorsus interior adhæsio et consensus, procul dubio matrimonium sub impulsu externæ vis initum nullum est.

142. *Metus differt a vi* quia licet ex impulsu externo incutiatur, tamen voluntatem ipsam agentem supponit. Definitur autem *'Instantis vel futuri damni causa mentis trepidatio'*.

In re nostra, hoc juxta canones tenendum est principium: *'Metus gravis, extrinsecus, injuste incussus, ad extorquendum consensum,* irritat ipso jure matrimonium.' Matrimonium enim debet plena securitate seu libertate gaudere, ne infelices exitus pariat. *Cf. capp. 14. 15. h. t. C. 2. De eo qui duxit in matrim.*

Hinc matrimonium sub metu contractum non recensetur inter actus validos et rescindibiles, bene vero est per se invalidum. Nam ob suam connaturalem indissolubilitatem, si semel est validum non amplius dissolvitur. Hinc rescindibilitas cum matrimonii conceptu componi nequit; illud enim faceret solubile et temporaneum. 'Matrimonium, ait S. Thomas, est natura sua perpetuum; si esset validum sed rescindibile evaderet temporaneum'.

143. Prima qualitas metus est ut sit *gravis*. Gravis metus dicitur ille qui cadit in constantem virum, scilicet taliter debet esse incussus, ut sub ejus actione viri etiam prudentis et constantis mens trepidet, nec consilii sui plene sit domina, *c. 1. et 4. De his, quæ vi.* Cum vero metus sit affectio animi, sequitur naturam aliarum modificationum, quæ non pendent solummodo ab extrinseca causa, sed maxime a majori vel minori animi ipsius virtute et dispositione. Hinc in metus æstimatione attendenda est plurimum qualitas personæ, quæ metum passa est. Can. *'Indignantur', caus. 32. q. 36.*

Quare Panormitanus in *cap. 14. h. t. in 6.* merito adnotat in casu mulieris ad irritandum matrimonium, requiri metum qui non in virum sed in mulierem constantem cadat.

144. Ex qua theoria bene inferunt Doctores, etiam metum *reverentialem* posse aliquando irritum facere matrimonium. Metus hic reverentialis est ille quo quis aliquid facit vel non facit ob timorem offendendi personam cui reverentiam præstare debet. Profecto si metus ex sola reverentia erga parentes vel alios majores concipiatur, solus regulariter non sufficit ad irritandum matrimonium. Sed si debitæ reverentiæ conjungatur continua objurgatio, seu vexatio, minæ et diuturna offensio, vel rigidæ et importunæ persuasiones austeri parentis vel superioris cui resisti non solet, potest inde metus excitari, qui in animo filii vel subditi adeo influat, ut filii vel subditi non amplius consilii sui domini, mens trepidet et impos fiat resistendi alieno imperio.

Ex quo metu taliter incusso matrimonium si contrahatur, quisque videt, ipsum ex libera electione et voluntate non procedere, sed potius ex fixo et irrevocabili proposito parentis vel superioris, qui modis omnibus vult obtinere consensum personæ sibi subditæ. Quare metus hujusmodi ceu gravis reputatur et sufficiens ad irritandum matrimonium. Ita sentit Lessius *De Just. et Jure lib. II. cap. 17.;* Sanches *De matrim. lib. 4. disp. 7. n. 7.* et S. Congregatio Concilii in variis resolutionibus, inter quas in una data die Maji 1875.

145. Ceterum qualitatem metus æstimabit prudens judicis arbitrium, omnibus circumstantiis inspectis tum in ordine ad entitatem ipsius incussi metus, tum in ordine ad relationem personarum.

146. Secunda qualitas metus est ut sit *ab extrinseco* incussus, nempe a causa libera, idest ab homine. Si enim a causa necessaria et naturali, ex. gr. si concipiatur ex periculo naufragii, vel alterius damni naturalis, matrimonium valet. Nam causa naturalis et intrinseca timoris homini injuriam non irrogat; nec proinde lædit libertatem matrimonii. Matrimonium enim in hac hypothesi, nullo cogente eligitur ab ipsa persona quæ contrahit, quæque eligit matrimonium ceu medium, quo conscientiæ suæ consulat.

147. Tertia qualitas metus est ut sit *injuste incussus*. Nam si legitime incutiatur idest a judice, qui ex. gr. urgeat matrimonium sub pœna excommunicationis, vel infamiæ vel carceris etc. matrimonium validum est. Censetur enim metus in casu ab ipso jure incussus, et per consequens non præsumitur ipsum jus irritare matrimonium.

148. Quarta tandem qualitas metus est, ut sit *directus ad extorquendum actum*. Hinc si pater ob læsum honorem filiæ suæ, simpliciter ulciscendi animo mortem minitetur juveni qui puellam oppressit, et hic ad vitandam mortem proponat matrimonium, valet. Ratio est quia matrimonium in casu eligitur a juvene ipso ad redimendam vexam et ad evitandum malum imminens, ac proinde non cadit sub dispositione legis irritantis, quæ loquitur de metu quoad matrimonium incusso.

149. Ceterum cum actus positus sub metu, naturali jure sustineatur, eo quod metus non auferat voluntarium, et solum ex jure positivo irritum fiat, non est jus extendendum ultra suos limites a legislatore positos. Leges enim irritantes odiosæ sunt et rigidæ interpretationis.

150. Quæritur utrum metus purgari possit.

Metus ideo irritat matrimonium quia impedit plenam libertatem consensus. Quare si pars quæ ex metu invita erat fiat volens, potest matrimonium revalidari. Quoties ergo consensus libere, sive per verba sive per signa manifestatur, verificatur purgatio metus. Hinc juxta *cap. 21. h. t. et cap. 4. tit. 18. h. lib. 'Qui matrimonium accus. poss.'* spontanea et diuturna cohabitatio, vel copula quæ libere et non coacte intercedat inter conjuges, habentur ceu juridica præsumptio purgati timoris et convalidati conjugii, ita ut probatio contra matrimonium metu initum non admittatur amplius.

Etenim longa et spontanea vitæ consuetudo, vel copula libere posita ostendit, cessasse timorem et accessisse consensum liberum.

151. Verum post formam substantialem contractus matrimonialis inductam a Tridentino *c. 1. sess. 24. De Ref. matrim.* distinguendum inter metum publice incussum et metum occultum, idest inter impedimentum publicum procedens ex metu, et impedimentum occultum. Si enim impedimentum est occultum, et altera pars perseverat in consensu suo, pars vero, quæ metum passa est, sciens matrimonium prius contractum fuisse nullum, consensu accedat, matrimonium validum redditur. Nam cum initio servata fuerit forma tridentina, ita ut coram Ecclesia prius matrimonium tanquam validum habeatur, consensus partis læsæ, qui accedit, quoad forum internum complet defectum, qui aderat. Ut autem hæc revalidatio locum habeat requiritur 1°. ut pars, quæ metum passa est, sciat primum matrimonium fuisse nullum. Nam secus errans poneret consensum et forsan consensus datus non fuisset si scivisset matrimonium esse nullum, 2°. ut perseveret consensus alterius partis.

152. Quod si impedimentum ex metu fuit publicum non sufficit consensus positus occulte, sed requiritur nova celebratio matrimonii, coram Ecclesia, servata forma tridentina. Nam prius matrimonium non solum in foro interno fuit nullum, sed nec fuit validum in foro externo. Cf. Bened. XIV. *In Inst. Eccl. 87. nn. 61 seqq.*

3°. De impedimento raptus.

153. In Decretalibus Greg. IX. legitur titulus *De Raptoribus* qui est 17. lib. V. At raptus de quo agit Gregorius IX. differt ab impedimento raptus de quo agit Tridentinum in *cap. 6. sess. 24. de Ref. matrim.* Nam impedimentum raptus, de quo sermo est in decretalibus Gregorii IX., confunditur cum impedimento vis et metus. Sane in cap. 7. *de Rapt.* species est de rapto, qui obstat matrimonio, et traditur raptum obstare solummodo ob dissensum et aversionem; ita ut si postea consensus accedat libere, et quod displicebat, incipiat placere, censeatur remotum esse impedimentum, ut valide contrahi possit matrimonium.

Ergo dissensus et aversio animi ad amussim procedebat ex vi et metu incusso ad matrimonium contrahendum. Igitur proprie dicta distinctio non erat jure decretalium inter impedimentum raptus, et impedimentum vis et metus.

154. Conc. Tridentinum cit. loco ponit impedimentum distinctum. Raptus hujusmodi, qui est veluti *furtum mulieris*, juxta Tridentinam legem dirimit matrimonium, quoadusque mulier sit sub potestate raptoris adhuc posita; etsi libere consentiat in matrimonium, tamen matrimonium nullum est. Si vero evaserit a potestate raptoris, et constituatur in loco tuto, in quo nempe non subjiciatur imperio raptoris ipsius, sed libera prorsus sit et domina actuum suorum poterit matrimonium celebrare. Tridentinum scilicet non respexit directe ad libertatem consensus, sed potius ad libertatem loci et personæ mulieris raptæ. Præsumit enim Concilium, mulierem sub potestate raptoris liberam non esse, sed esse sub influxu metus; hæc autem est præsumptio juris et de jure, quæ directe contrariam probationem non patitur. Perseverat ergo metus quoadusque mulier non evaserit e manu viri, et nisi hoc accidat, non potest inter utrumque consistere matrimonium validum.

Igitur raptus constituit impedimentum distinctum ab impedimento metus, quia in impedimento metus requiritur ut metus perseverat actu in ipsa celebratione matrimonii.

155. At quid est raptus?

'Raptus definitur violenta mulieris abductio de loco in locum, matrimonii ineundi causa.'

Dicitur *violenta abductio*, quia debet intervenire aliqua violentia, sive ea physica sit, prout est apprehensio personæ ejusque translatio ad alium locum, sive ea moralis sit, idest per gravem metum incussum. In utroque enim casu verificatur abductio contra voluntatem mulieris.

Dicitur *mulieris* sine ullo addito, quia ad constituendum impedimentum raptus sufficit, ut sit quælibet fœmina sive virgo, sive corrupta, sive honesta, sive non. Dicitur *de loco in locum*, quia raptus non est nisi mutatio loci contingat. Mutatur vero locus ut mulier sub potestate raptoris constituatur.

156. Dicitur *matrimonii ineundi causa*, quia jura considerant crimen raptus in ordine ad matrimonium ut consulant ejus libertati, et in odiosis et correctoriis antiqui juris extensio ad casus similes admittenda non est. Insuper raptus constituit impedimentum dirimens, quia leges præsumptione juris et de jure præsumunt metum. Igitur quemadmodum metus ut constituat impedimentum dirimens debet esse incussus in ordine ad matrimonium contrahendum, ita etiam in hunc finem debet esse directus raptus mu-

lieris. Hinc si mulier raperetur ob alium finem etiam turpem, et mulier deinde consentiret in matrimonium, validum esset matrimonium hujusmodi quia abducta non fuit mulier causa contrahendi matrimonium. Atque ita resolutum fuisse a S. Congr. Concilii die 23. Jan. 1585 refert Galemart. Cf. Giraldi *'Expos. Juris Pontif., ad cap. 7. De Raptoribus.*

157. Ut melius explicetur indoles impedimenti raptus, sciendum est præter raptum violentiæ, in quo mulier invita de loco in locum traducitur, ut sub potestate raptoris posita contrahat matrimonium, dari etiam raptum *seductionis.* Quæritur inde utrum raptus seductionis constituat impedimentum dirimens?

158. Profecto non loquimur de casu, quo vir dolo et blanditiis inducat mulierem ut de loco in locum transeat, eo tamen scopo ut illam sub sua potestate etiam invitam constituat ad matrimonium contrahendum. Cum hoc in casu verificetur mulieris abductio de loco ad locum, et violentia relate ad locum novæ commorationis mulieris ejusdem, patet verificari elementa substantialia impedimenti raptus.

159. At quid dicendum si solummodo seductio intervenerit?

Duplex casus dari potest. Primus casus esset, si vir et mulier communi consensu fugam capiant et alio se transferant ad contrahendum matrimonium, quod in loco ubi mulier commorabatur, contrahere non potuissent ob resistentiam rationabilem parentum, vel custodum, curatorum, vel tutorum.

160. Secundus casus esset si mulier, cum prius fuisset invita et noluisset de loco ad locum transire, tamen blanditiis et circumventione viri aliquando de nolente facta sit volens, et fugam cum viro arripiat, ad scopum alibi contrahendi matrimonii, contra voluntatem parentum vel aliorum, sub quorum potestate est.

Cum in utroque casu abductio mulieris de loco in locum habeatur, cumque seductio libertati opponatur, quæritur utrum debeat in hoc raptu agnosci impedimentum dirimens de quo disponit Tridentinum, in *c. 6. Sessionis 24.*

161. Nonnulli Doctores affirmativam sententiam profitentur, alii vero contrariam sequuntur.

Nobis videtur probabilior sententia negans. Et sane relate ad primum casum, animadvertimus injuriam illatam non fuisse mulieri; quia ipsa eadem fugam cogitavit, sed solummodo parentibus vel tutoribus, curatoribus aut custodibus ejus rationabiliter

invitis. Primus ergo casus reducitur ad casum matrimonii contracti contra prudens justumque judicium parentum. Jam vero juxta dispositionem c. 1. sess. 22. *de Reform.*, rationabilis dissensus parentum, constituit quidem impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium.

162. Quoad vero utrumque casum, animadvertimus, ab ipso Innoc. III. in *cap. 7. De Rapt.* fuisse distinctum *crimen raptus ab impedimento raptus,* si quidem quamvis raptus fuerit consummatus, invita puella, et perseverat crimen raptus, tamen si puella libere consentiat, ait Innocentius matrimonium valere.

Concilium Tridentinum adjecit aliam conditionem nempe ut puella esset in loco tuto a potestate raptoris. Igitur ut verificetur impedimentum raptus, juxta jus antiquum præter violentiam requirebatur adversa voluntas puellæ adhuc perseverans, juxta jus novum Tridentinum requiritur insuper ut excludatur libertas loci, quia quoadusque puella maneat sub potestate raptoris, præsumitur esse sub influxu metus. Quare ad constituendum impedimentum raptus, requiritur metus vel verus vel saltem præsumptus, idest violentia. Atqui in utroque casu superius posito, neque tempore fugæ, neque tempore contracti matrimonii, dici nequit metum exstitisse vel adversam fuisse voluntatem puellæ, sed supponitur mulierem libere consensisse in fugam et inde libere commorantem cum viro contraxisse matrimonium. Ergo in utroque casu desunt elementa impedimenti raptus.

Esto quod vir illegitime egerit, et admiserit crimen raptus, qui puellam secum abduxit modo certe illegitimo et pudori et honestati mulieris adverso, tamen matrimonium ejus cum puella irritum non erit, siquidem alia est ratio criminis raptus, est alia ratio impedimenti raptus.

163. Auctores adversæ sententiæ præsertim innituntur *Leg. un. Cod. de Raptore virginum,* in quo statuit Imperator, nullum esse matrimonium contractum a puella, quæ consensit in fugam invitis parentibus. Certe in hac hypothesi vis et injuria infertur parentibus, et per consequens raptus contra parentes perpetratur. Scilicet procul dubio crimen raptus verificatur. At revera impedimentum raptus admitti nequit. Etenim in hac re jus civile correctum fuit a jure canonico, quod in matrimoniis voluit consulere præcipue libertati consensus inter ipsos contrahentes. Nec mirum est si jus civile in conjugio tantopere detulerit auctoritati

parentum, nam filia sub patria potestate constituta, quasi res patris habetur et proinde in raptu constituendo magis considerabatur injuria patri illata, quam injuria illata ipsi filiæ.

164. Juri huic Romanorum ante ejus correctionem ab Innocentio III. factam, et ampliatam a Tridentino, adhæserat Gratianus in can. 11. *Placuit. caus. 36. q. 2.*, et alii auctores plus æquo tribuentes potestati patriæ.

Inter istos auctores adnumerandus est S. Thomas *in 2. 2. q. 154. art. 7.* ubi tradit: 'Violentia quandoque infertur tum ipsi virgini, et quandoque infertur patri, puta cum ipsa consentit, qualitercunque violentia adsit, salvatur ratio raptus'.

Divus Thomas respexit ad jus ante correctionem illudque secutus est.

165. Nec mirum est si una vel altera Decisio S. Congr. Concilii, quæ contraria sententiæ nostræ videtur afferatur a Riganti com. *in Reg. cancellariæ,* nam una vel altera decisio S. Congregationis in casibus peculiaribus facta, regulam generalem non facit, absolute servandam. Ordinarie enim S. Congregatio non decernit punctum quæstionis in abstracto, sed solummodo considerat quæstiones in ordine ad factum sibi propositum. Hinc resolutiones quæ contrariæ videntur inter se dantur aliquando, quin tamen revera una ab alia discrepet.

In casu autem nostro a Giraldi in comm. ad c. 7 *'de Raptoribus'* refertur resolutio ejusdem Sacr. Congreg. sub die 3. Mart. 1714 in qua responsum est raptori non obstare raptum ad contrahendum matrimonium, si constet raptum fuisse factum nedum consentiente, sed etiam sollicitante ipsa puella.

Igitur licet verificetur crimen raptus, impedimentum tamen ex titulo raptus non verificatur, quoties puella passa non fuerit violentiam, sed volens rapta fuerit.

166. Quæritur utrum raptus viri possit esse impedimentum dirimens matrimonium.

In diversas sententias scinduntur Doctores.

Nonnulli sequuntur sententiam affirmativam, dicentes nomina maris et fœminæ in matrimonio esse correlativa, ac proinde juris dispositionem in cap. 6. sess. 24. *De Ref. matrim.* in Tridentino positam, viro etiam applicandam esse.

Accedit etiam principium: *Ubi eadem est ratio; ibi etiam et eadem esse debet juris dispositio.* Jam vero etiam vir et præ-

sertim adolescens, rapi violenter potest et constitui sub potestate mulieris ad contrahendum matrimonium. Ergo quia etiam relate ad virum verificari potest eadem injuria, idem crimen et metus vel verus vel præsumptus, dicendum est etiam relate ad virum raptum posse esse impedimentum dirimens matrimonium.

167. Alii e contra docent, juxta dispos. Trident. in cap. 6. sess. 24. *De Ref. matrim.* raptum viri non esse impedimentum dirimens matrimonium.

Nos cum istis sentimus. Dicimus ergo raptum viri non esse impedimentum dirimens ex cit. cap. 6. sess. 24. Nam si consideretur raptus juxta antiquam canonum dispositionem, quando impedimentum raptus confundebatur cum impedimento vis et metus, idest si vir raptus sit revera sub influxu vis et metus, profecto consistere non poterit matrimonium inter raptum virum et mulierem, quæ raptum fecit. Consideremus ergo raptum prout est impedimentum distinctum ab illo vis et metus.

Jam vero in cit. cap. 6. Tridentini sermo est expresse de muliere, statuitque concilium, inter raptorem et raptam matrimonium consistere non posse, quoadusque rapta mulier fuerit sub potestate raptoris. Accedit scopus Patrum Tridentinorum, qui hoc impedimentum constituerunt ceu pœnam ad impediendos frequentes casus raptus mulierum, qui contingere solebant. Jam vero infrequens prorsus est casus raptus viri. Ergo hic non incidit sub dispositione Tridentina.

Accedit, dispositionem Tridentinam esse pœnalem idest odiosam. Atqui in odiosis rigida adhibenda est interpetratio.

168. Neque dicant nomina maris et fœminæ in matrimoniis esse correlativa; nam Tridentinum sermonem suum coarctat ad mulierem raptam, et ob sexus infirmitatem vult aliquid distinctum disponere ad tutandam libertatem mulieris.

Neque valet secunda ratio adversariorum *'Ubi eadem ratio, ibi eadem esse debet legis dispositio'*; nam valeret ad summum, quando hoc impedimentum inductum fuisset dumtaxat ad libertatem tuendam in conjugali contractu. Sed impedimentum hoc inductum fuit ob frequentiam criminis raptus mulierum. Quæ ratio cum non verificetur relate ad viros dicendum est relate ad viros non verificari eamdem juris dispositionem. Quare licet in raptu viri agnoscendum sit crimen raptus, quia vir modo illegitimo abripitur,

tamen matrimonium si libere et absque vera vi vel metu incusso contrahatur a viro ipso, plene sustinetur.

4°. De impedimento cultus disparitatis.

169. Dispares cultu dicuntur personæ, quæ non in eadem sed in diversa religione versantur. Hinc disparitas cultus duplex est 1ª. inter baptizatam personam et infidelem, seu non baptizatam; 2ª. inter catholicam et acatholicam personam.

Rursus disparitas hæc cultus vel est antecedens vel subsequens matrimonium. Antecedens est quando contrahitur matrimonium existente ipsa disparitate cultus. Subsequens est quando post contractum matrimonium, vel una pars fidem abjiciat et fiat infidelis, vel incredula, aut una pars ex Religione catholica transeat ad castra hæreticorum vel schismaticorum.

Disparitas cultus antecedens inter personam fidelem et infidelem, idest baptizatam et aliam non baptizatam, constituit impedimentum dirimens matrimonium.

170. Altera disparitas cultus antecedens est solummodo impediens impedimentum.

De cultus disparitate primæ speciei agitur in canonibus XV. et XVII. caus. 28. q. 1. De secunda autem specie cultus disparitatis agitur in can. XVI. ejusdem causæ et ejusdem quæstionis.

171. Quæritur quo jure sit inductum impedimentum dirimens ex cultus disparitate.

Hanc quæstionem fuse pertractat Bened. XIV. in constitut. *Singulari Nobis,* data die 9. Febr. 1749. Affert Summus Pontifex sententiam Soti, qui in variis locis sacræ scripturæ V. T. agnoscit jus divinum dirimens matrimonium ob cultus disparitatem. Sic ex. gr. textus in cap. 7. Deuter. et alias lib. I°. Esdræ c. 10. Verum adnotat Pontifex in hisce locis non esse sermonem de impedimento dirimente, sed solummodo impediente. Nam cap. 1. lib. III. Regum supponitur validum conjugium Salomonis cum alienigena. Quod si autem fuerit impedimentum dirimens, illud certe non fuit generale, et quoad omnes nationes gentium sed solum relate ad quasdam, idest relate ad Hebræos, Cananæos etc. de quibus in cap. 7. Deuteronomii. Igitur per se disparitas cultus non erat impedimentum dirimens.

172. Insuper quidquid sit de hoc impedimento non valet ratio a Veteri ad Novum Testamentum. Nam conditio politico-religiosa reipublicæ Judaicæ exigebat ut populus non confunderetur cum

aliis nationibus. Hinc licet disparitas cultus fuisset jure divino impedimentum dirimens in V. T. non sequeretur et esse in N. T.

173. Sed dici posset Paulum interdixisse fidelibus ne jugum ducerent cum infidelibus II[a]. Cor. cap. VI. At Ecclesiastica traditio hanc inhibitionem Pauli accepit de impedimento impediente ob periculum perversionis. Hinc remoto periculo ob justas rationes permissum fuit, primis Ecclesiæ temporibus, conjugium fidelium cum infidelibus et piissimæ mulieres absque criminis nota, contraxerunt matrimonium cum infidelibus, quos ad Christi fidem converterunt.

174. Canones autem citati, primus quidem habet auctorem S. Ambrosium, secundus vero ex concilio particulari Urbanensi desumptus est. Insuper uterque potest explicari de simplici prohibitione matrimonii.

175. Cum igitur nulla lege generali sub pœna nullitatis prohibitum fuisse reperiatur matrimonium christianorum cum infidelibus, dicendum est ab initio non obtinuisse in Ecclesia impedimentum dirimens cultus disparitatis et hujusmodi impedimentum introductum fuisse paullatim ex usu et consuetudine Ecclesiæ. Scilicet fideles et pastores videntes periculum et incommoda ex conjugio fidelium cum infidelibus derivare, horrorem concipere cœperunt adversus connubia cum infidelibus, et uti nulla traducere cœperunt. Hæc opinio et praxis propagatæ sunt, et in moribus populi christiani receptæ fuere. Quare hoc impedimentum dirimens ex cultus disparitate procedens, est solummodo impedimentum juris Ecclesiastici consuetudinarii.

176. Quo posito quæri potest, utrum impedimentum hujusmodi robur suum habeat inter illos, qui ad fidem convertuntur in regionibus, ubi christiana fides nunc primum prædicatur.

Quæstio hæc agitata est cum primum Sinenses et Japonenses incœperunt converti ex Ethnicismo ad fidem Christi. Et quidem videbatur, hoc impedimentum non vigere in regionibus in quibus fides christiana incipit prædicari. Nam cum impedimentum cultus disparitatis suam virtutem repetat non ab ipso jure Ecclesiastico scripto quod generale est et omnes Christi fideles ligat, sed a consuetudine, dicendum esse videbatur hoc impedimentum non valere ubi consuetudo introducta nondum fuerat.

177. Quod argumentum a fortiori valebat pro sectis separatis, quarum asseclæ forsan inter Japonenses vel Sinenses commorantes

matrimonium inierant cum infidelibus. Nam non omnes consuetudines Ecclesiæ Catholicæ communes sunt sectis ab ea separatis.

178. Verum dictum est a Bened. XIV. in cit. constit. impedimentum cultus disparitatis omnes Christianos urgere etiam acatholicos, licet commorentur ii in regionibus Ethnicorum. Nam impedimentum hujusmodi non procedit ex consuetudine aliqua particulari, sed procedit ex consuetudine universali, quæ universam complectitur societatem Christianam. Scilicet consuetudo hujusmodi induit naturam legis universalis, quæ omnes homines ligat, eo ipso quod per baptismum inter Christi fideles adscribantur.

179. Quare consuetudo hujusmodi constituit jus commune Christianorum, in quo proinde dispensare potest solummodo auctoritas suprema in Ecclesia.

Et revera refert Benedictus XIV. in cit. constit. Gregorium XIII. concessisse Missionariis Japoniæ facultatem dispensandi cum novis Christi fidelibus in isto impedimento, et etiam nunc vicariis Apostolicis S. Congregatio de Propaganda fide tribuit eandem facultatem dispensandi in eodem impedimento disparitatis cultus.

De matrimoniis mixtis.

180. Cultus disparitas inter personam catholicam et personam acatholicam non dirimit matrimonium. Nec objici potest can. 15. caus. 28. q. 1. in quo matrimonium cum hæretica persona contractum comparatur matrimonio contracto cum infideli. Nam quidquid sit de antiqua juris dispositione, præsertim in aliqua regione, nunc certum est saltem ex generali contraria consuetudine, non amplius irritum censeri matrimonium catholicos inter et acatholicos contractum, servata tamen forma substantiali ab Ecclesia statuta ubi promulgatum est Tridentinum concilium. Verum matrimonia hujusmodi in genere Ecclesia semper detestata est. Nam ut in sententia magnæ notæ auctorum docet Card. Petra in tom. IV. comm. ad Const. *'Cum nonnulli' 12ª. Joannis XXII. n. 12*, experientia compertum est ex hujusmodi matrimonio tot ac tanta sequi spiritualia incommoda tum ipsi conjugi catholico, tum liberis ac christianæ reipublicæ, ut plerunque charitatis legi adversetur omnino.

Huc afferri possunt can. 16. caus. 28. q. 1. necnon canones plurimorum antiquorum conciliorum et præsertim can. 14. concilii Chalcedonensis.

181. Igitur cultus disparitas inter personam catholicam et acatholicam habetur ceu impedimentum impediens matrimonium ex jure communi procedens. Quare *matrimonia mixta* solummodo fieri possunt licita ex dispensatione Pontificis, qui conditionibus impositis removet damna et pericula, quæ ordinarie loquendo, comitantur hæc mixta matrimonia.

182. Si quæratur quænam conditiones requirantur ab Ecclesia ut admittantur mixta matrimonia, respondemus, antiquitus requisitam fuisse promissionem conjugis hæretici amplectendi fidem catholicam. Ita Conc. Nicænum can. 53. et Concilium Chalcedonense can. 12.

Aucto autem periculo perversionis catholicorum, inductum fuit ut matrimonium non permitteretur, nisi pars hæretica hæresi renunciasset. Cf. Cardinalis Petro in cit. Comm. nn. 14. seqq.

183. At ob varias temporum et locorum exigentias, factum est ut S. Sedes per organum Sacræ Congregationis supremæ Inquisitionis, vel ipsa eadem concederet dispensationes, vel indulta tribueret Episcopis ad dispensandum in matrimoniis mixtis. Attamen nonnullas conditiones sub fide juramenti exegit.

1°. Ut absit periculum perversionis conjugis catholici. Hinc pars acatholica promittere debet, se non esse prohibituram ullo modo conjugi catholico, quominus religionis suæ officia plena libertate adimpleat.

2°. Ut filii omnes sive masculi sive fœminæ, ex matrimonio nascituri educentur in catholica religione. Hinc reprobatum pactum licet solummodo tacitum inter conjuges, educandi masculos in religione patris, fœminas vero in religiosa professione matris. Pars enim catholica vi hujus pacti positive promovet propagationem hæresis, et filios suos exponit periculo damnationis æternæ.

3°. Tertia conditio est ut conjux catholicus juxta principia charitatis christianæ spondeat se curaturum pro sua parte et viribus, ut pars hæretica vel schismatica catholicam fidem suscipiat.

184. Binæ priores conditiones præ oculis haberi præcipue debent ab illis qui facultatibus a sede apostolica delegatis utuntur, et dispensant in matrimoniis mixtis.

Verum ob contrarias leges a Guberniis latas Ecclesia ad graviora mala vitanda toleravit ut juramentum non præstaretur a contrahentibus, tum circa secundam, tum quoad tertiam conditionem, sed sola promissio sufficeret. Ad rem facit Instructio

Secretariæ Status diei 15. Nov. 1858 ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos etc.

185. Præter relatas conditiones requiritur etiam gravis causa, ut dispensatio concedi tuto possit.

186. Hæc matrimonia autem mixta juxta literas Pii VI. ad Archiepiscopum Mechliniensem diei 13. Julii 1783, posita etiam dispensatione celebrantur extra Ecclesiam sub quo nomine etiam sacristia comprehenditur. Parochus autem matrimonio assistens absque sacris vestibus, negative se habere debet, idest neque nuptiis benedicere potest, neque ullam recitare orationem. Quod si celebretur matrimonium mixtum absque dispensatione, Parochus rigore juris teneretur abstinere sese etiam a passiva assistentia præstanda. Verum ob majora mala quæ timeri possunt ex parte Gubernii laici, concessum est Parochis, ut passive ac veluti inviti istis matrimoniis assistant, quando ex lege status civilis cogantur adstare. Conferri possunt *Epistola Pii VI. a. 1783. Instructio S. Univers. Inquisitionis* et plures responsiones ejusdem, præsertim resolutio diei 20. Dec. 1838.

Titulus II.

De desponsatione impuberum.

1. Impuberes in jure dicuntur qui nondum in ætate constituti sunt in qua præsumuntur habere potentiam ad prolis generationem. Aetas autem hæc pro masculis est annus 14 completus, pro fœminis vero annus 12 pariter completus.

Præsens titulus complectitur tum sponsalia, tum matrimonia impuberum. Primo loco agemus:

De sponsalibus impuberum.

2. Quænam ætas requiritur ad contrahenda sponsalia de futuro?

Sponsalia possunt contrahi post completum septennium. Quia ad ea contrahenda requiritur sufficiens usus rationis, qui non præsumitur haberi ante septennium. Cf. capp. 4. 5. et 13. h. t.

3. Hinc parentes possunt utique pro filiis ante septennium sponsalia contrahere, sed ut ea juridicum valorem habeant, necessaria est ratihabitio filiorum, quam præstare possunt, cum usum rationis adepti sunt, cap. un. h. t. in VI. Filii hanc ratihabitionem præstare tenentur ex debito honestatis et reverentiæ erga parentes

non autem absolute; et per consequens nisi præstiterint, sponsalia non sustinentur. Ita explicandum est cap. 1. h. t. juxta gloss. in eodem cap. verb. *debet.*

4. Quod si vero *malitia suppleat ætatem*, idest si sufficiens prudentia et rationis usus de facto in aliquo puero vel puella reperiatur ante septennium, docent Juristæ contracta sponsalia ante septennium sustineri. Nam substantiale requisitum ad contrahenda sponsalia est, ut contrahens intelligat quid agat et cognoscat vinculum obligationis, quod suscipere vult.

5. Proprium vero est sponsalium impuberum 1°. ut ante ætatem pubertatis solvi non possint etiam ex mutuo dissensu c. 7. h. t. Jus ita disposuit ut obviaret inconstantiæ et temeritati illius ætatis et impediret quominus plura sponsalia contraherent, pluresque foverent amores.

6. 2°. Proprium est ut completa pubertate, non solum possint dissolvi ex mutuo dissensu, sed etiam alteruter possit libere resilire, licet altera pars sit invita.

In istis siquidem sponsalibus unaquæque pars contrahens præsumitur contractui adjicere implicitam hanc conditionem: nisi adepta pubertate a data fide resiliero, cap. 10. et 11. h. t.

Notandum est necesse non esse ut utraque pars ad pubertatem advenerit, sed qui prior pubertatem adeptus est, potest illico a sponsalibus resilire, nec tenetur expectare donec altera pars fiat pubes cit. c. 7. h. t. § *si vero hic.*

7. Hoc vero privilegium conceditur impuberi non solum quando cum impubere contraxit sponsalia, sed etiam quando contraxit cum pubere, quo in casu pubes contrahit obligationem perpetuam, ita ut altera parte invita, non possit datam fidem frangere; impubes vero debet resilire a sponsalibus statim ac pubertatis annos attigerit.

8. Quodsi impuberes, puberes facti, rata habeant sponsalia, non amplius possunt ab iisdem resilire; nam evadunt sponsalia puberum, quæ perpetuam gignunt obligationem. Animadvertunt autem doctores, non requiri positivam ratihabitionem sed sufficere solum silentium seu taciturnitatem. Nam pubertate adveniente, non contrahuntur nova sponsalia, et per consequens non requiritur novus consensus positive emissus, sed continuant vigere eadem sponsalia, quæ valide fuerant contracta in impubertate. Pressius, pubertate adveniente, conceditur privilegium resiliendi ab obliga-

tione valide suscepta. Igitur qui tacet nec declarat se velle uti privilegio quod habet, censetur eidem renunciare voluisse.

De matrimonio impuberum.

9. Quæritur quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum.

Matrimonium in jure Romano consideratum est velut actus solemnis et publicus; hinc in contrahentibus leges Romanæ requirunt pubertatem. Potior etiam assistebat ratio ut pubertas requireretur, quia nempe in matrimonio traditur jus mutuum in corpus in ordine ad generationem prolis, quod nondum ab impuberibus actu possidetur. Juri civili adhæsit jus canonicum, et statuit ut ad matrimonium contrahendum requiratur pubertas. Jam vero pubertas a Legibus Romanis æstimata est juxta generalem experientiam, qua cognitum est mulieres pubescere anno 12°. et viros anno 14°. Quare ad contrahendum matrimonium pro viris requisitus est annus 14^{mus} completus, pro mulieribus autem annus 12^{mus} pariter completus.

Hanc dispositionem Juris civilis suam fecit legislatio Ecclesiastica, prout constitutum est in capp. 10. et ult. h. t.

10. Verum jus nostrum in cap. 3. h. t., posse quidem verificari pubertatem vel ante ætatem superius adsignatam vel etiam longe post eamdem ætatem dicit. Quare animadvertit Isidorus in eodem cap. 3. pubertatem juxta rei veritatem æstimandam esse ex potentia generandi. Ex qua animadversione factum est ut Jus Ecclesiasticum admitteret utique dispositionem juris Romani, circa ætatem habilem ad matrimonium contrahendum, tanquam regulam generalem, sed respexit etiam ad casus particulares, in quibus potentia procreandi prolem, verificatur ante ætatem designatam. Hinc jus canonicum in cap. 9. h. t. generalis regulæ exceptionem posuit, *nisi malitia suppleat ætatem;* idest nisi quis ante pubertatem, non solum intelligat quod agit, sed etiam ex habitu corporis pubertatem ostendat; et generare jam possit. Igitur in jure canonico inductum est impedimentum dirimens, quod venit nomine ætatis, per quod cautum est, nullum esse matrimonium si contrahatur ante annos completos pubertatis nisi in casu aliquo particulari malitia suppleat ætatem.

11. Quæritur ex quo jure procedat hoc impedimentum ætatis.

Si impedimentum ætatis consideretur pro integro illo lapsu annorum, qui decurrunt ante annum 14^{m}. vel 12^{m}. et præcise consideratur impedimentum ad contrahendum in ætate infantiæ, profecto impedimentum hujusmodi est juris naturalis, quia ex jure naturali ad contrahendum matrimonium requiritur ut contrahentes intelligant quid agant.

12. Verum si hoc impedimentum restringatur ad ætatem, in qua adest quidem usus rationis, sed deest habitus corporis, sub quo respectu proprie accipitur impedimentum ætatis, dicendum est impedimentum hujusmodi esse solum juris Ecclesiastici. Nam ad matrimonium contrahendum ex jure naturæ non requiritur actualis capacitas generandi, sed sufficit ut futura sit aliquando. Hinc impotentia tum *absoluta* tum *relativa* ut dirimat matrimonium jure naturæ, necesse est ut sit *antecedens* matrimonium et *perpetua*. Quare si ætas impubertatis ob defectum potentiæ generandi, matrimonium dirimit, impedimentum hujusmodi procedit ex positiva dispositione Juris Ecclesiastici.

13. Ex quo duo sequuntur 1°. impedimentum ætatis distingui ab impedimento impotentiæ, 2°. sequitur in hoc impedimento dispensare posse Summum Pontificem qui id ex gravi et legitima causa concedere potest, ut impuberes, qui tamen completum usum rationis habeant matrimonium valide et licite contrahant, arg. c. 2. h. t., ubi dispensatio ab impedimento ætatis admittitur, solummodo ex aliqua urgentissima necessitate interveniente.

Consulendum est enim imbecillitati ætatis impuberum, qui tam facile non sunt admittendi ad contrahendam perpetuam obligationem, ne eos post susceptam obligationem facile pœniteat et ex matrimonio infelices exitus sequantur.

14. Quæritur utrum matrimonium de præsenti ab impuberibus nulliter contractum obtineat vim sponsalium.

Diximus *nulliter* contractum, idest contractum ab illis, qui habitu corporis incapaces sunt ad generandum, secus enim valeret matrimonium.

Quo posito matrimonium contractum ab illis, qui actu puberes non sint, non valet uti matrimonium de præsenti, valet vero ex juris interpretatione ceu sponsalia de futuro. Ita in cap. 14. h. t. cui consonat cap. un. eod. t. in VI°. § *'Idem quoque'*. Et ratio exhibetur a Bonifacio VIII. Videlicet actus positus, si non valet uti positus est, valet tamen uti possunt illi, qui actum ipsum posuere.

Idest contrahere matrimonium non poterant impuberes; igitur matrimonium non valet; poterant vero sponsalia contrahere, ergo consensus positus inducet obligationem et effectus sponsalitii contractus. Valet scilicet principium legis 27. ff. 8. *De Pactis § 7. 'si actus non valent ut ago, valent meliori modo quo possint'.* Frustra enim agere nemo præsumitur.

15. Verum si impuberes voluissent absolute contrahere matrimonium de præsente, et expresse exclusissent sponsalia de futuro, contractus invalidus sub specie matrimonii, esset invalidus etiam ratione sponsalium. Actus enim agentium non operantur ultra voluntatem eorum l. 19. ff. *Si certum putatur.* Hoc in casu potest invocari principium cap. 23. *De officio Deleg. 'Quod voluit non potuit, et quod potuit non voluit.'* Cf. Geraldi. Juris Pontif. parte 2ª. section. 672.

16. Tandem animadverti debet juxta resolutionem Sacræ Congreg. Concilii 10. Martii 1583, matrimonium nullum ob impedimentum ætatis, si convalidari velit, illud contrahendum esse iterum, servata forma Tridentina, quamvis prius eadem forma servata fuerit. Nam ætas est impedimentum, quod vel est publice cognitum, vel facile cognosci potest in populo Christiano.

Titulus III.

De clandestina desponsatione.

1. Matrimonium dupliciter præcipue aut etiam tripliciter potest esse clandestinum 1°. si contrahatur absque denunciationibus de quibus sermo est in cap. ult. h. t. 2°. si contrahatur absque præsentia Parochi et testium, juxta formam substantialem statutam a Concilio Tridentino in c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* 3°. etiam, si contrahatur absque illis solemnitatibus, quæ ad honestatem actus requiruntur juxta sacram Liturgiam. Sit

I.

De denunciationibus, quæ matrimoniis præmittuntur.

2. Jam antiquitus mos erat, ut presbyteri diligenter inquirerent utrum impedimentum extaret inter eos, qui contracturi essent matrimonium. Verum in Gallia consuetudo invaluerat proclamandi in Ecclesia futurum, inter determinatas personas matrimonium contrahendum ut si quis fidelis notitiam haberet alicujus impedi-

menti, illud Ecclesiæ revelaret. Hæ proclamationes appellatæ sunt *Banna*. Cf. Ben. XIV. Epist. *'Paucis ab hinc hebdomadis'* ad Archiep. Goanum die 19. Martii 1758.

3. Hanc consuetudinem particularem, Concilium Lateranense IV. sub Innoc. III. in legem generalem transtulit quemadmodum habemus ex cap. 3. h. t.

4. Concilium Tridentinum dispositionem hanc concilii Lateran. renovavit in cap. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* et expresse statuit, denunciationes faciendas esse, ter a proprio parocho contrahentium, tribus continuis diebus festis, inter missarum solemnia, quod si aliquando probabilis suspicio fuerit, matrimonium posse ex malitia impediri, statuit Tridentinum unam tantum denunciationem faciendam esse, vel nullam, sed statim celebrandum esse matrimonium et denunciationes, quæ omissæ sunt, faciendas esse ante consummationem matrimonii.

5. Tandem statuit Tridentinum posse Episcopum dispensare circa obligationem faciendarum denunciationum, et rem totam prudenti arbitrio, et conscientiæ Episcopi remitti.

6. *Primo* igitur a proprio Parocho faciendæ sunt publicationes. Igitur si sponsi ad distinctas parœcias pertineant, ab utroque Parocho Banna, seu denunciationes publicentur oportet, quemadmodum etiam S. Congregatio, confirmata a Gregorio XIII. declaravit et docet etiam Rituale Romanum in Tit. *De sacramento matrimonii.*

7. Quod si quis in una parochia a notabili tempore domicilium habeat, ita ut in ea habeat proprium parochum ad contrahendum matrimonium, in alia autem etiam diu commoratus fuerit, inspecto jure, denunciationes faciendæ non sunt in utraque parochia, sed sufficit ut fiant, ubi actu commoratur. Hæ sunt resolutiones S. Congreg. *in Vercellensi* 9. Maji 1719; *in Senogalliensi* 3. April. 1734. Nam Tridentinum statuit denunciationes faciendas esse a proprio parocho; proprius autem Parochus est loci illius, ubi quis commoratur, ibi enim sacramenta recipit, audit verbum Domini, et jus habet sepulturæ, idest ea, quæ sunt curæ animarum obtinet.

Ceterum Parochus alterius Parochiæ libertatem contrahentis poterit investigare juxta dispositionem cap. 3. h. t.

8. Quod si brevis fuit commoratio in nova parœcia, adeo ut verisimile non sit, ibi adesse impedimentorum notitiam, denuncia-

tiones faciendæ sunt etiam in priori parœcia. Ita tenuit S. Congregatio *'in Senogall.'* die 29. Januar. 1684.

9. *Secundo* denunciationes fieri debent tribus continuis diebus festis, et inter missarum solemnia.

Quærenti autem Episcopo Brunensi in Moravia, utrum denunciationes possint fieri diebus, in quibus non amplius urget præceptum audiendi missam, S. Congr. die 17. Jan. 1780 respondit, in genere esse religiose servandam tridentinam dispositionem. Sed ex mente Tridentini judicio et prudentiæ Episcopi permitti, ut si quandoque gravis causa intercederet, concederet Parochis facultatem denunciandi matrimonia diebus supradictis, dummodo adhuc frequens populi concursus ad Ecclesiam verificaretur.

10. Pariter in *Avenoniensi* 25. Octob. 1586 responsum est, ordinarium posse ex causa dispensare ut dum cantantur Vesperæ possint fieri denunciationes diebus festivis.

Consonat alia resolutio ejusdem S. Congreg. in Ravennatensi lib. II. Decret. pag. 260.

Ex quibus resolutionibus infertur posse ex Episcopi venia denunciationes fieri extra missarum solemnia dierum festivorum, et diebus etiam non festivis de præcepto dummodo frequens populi concursus habeatur quia scopus Concilii Tridentini in hac hypothesi procul dubio pertingi potest.

11. *Tertio:* potest Episcopus dispensare quominus denunciationes matrimonii fiant. Ita in Trid. loc. cit.

Potest insuper Prælatus veræ nullius Diœcesis, qui nempe jurisdictionem quasi Episcopalem obtinet dispensare, quia isti veniunt nomine Ordinariorum. Pariter potest dispensare ipse etiam Vicarius Generalis, vi generalis mandati, nisi fuerit expresse reservata potestas. Ita sentit S. Congr. in *Farfensi* die 25. Jan. et die 26. Martii 1707.

12. Non sufficit vero dispensatio concessa ab ordinario loci ubi contrahitur matrimonium, si alter ex contrahentibus ad alterius Episcopi diœcesim pertineat, sed requiritur ut alter ordinarius, vel remittat denunciationes, vel saltem fidem faciat de status libertate subditi sui. Ita S. Congreg. Concilii in *Visen.* 20. Aprilis 1606.

13. Animadvertendum est dispensationem a denunciationibus faciendis, ut adnotat Bened. XIV. in constitutione *'Satis Nobis'* 17. Novem. 1741, non esse remissam soli voluntati concedentis,

sed requiri justam causam ad eam concedendam; Concilium enim coërcet Ordinarium prudentiæ discretique arbitrii legibus.

14. Causæ plures a Doctoribus adsignantur. Præsertim vero sunt 1°. si prævideatur matrimonium ex malitia posse impediri vel unum ex sponsis a fide data in sponsalibus resilire injuste posse; 2°. si periculum sit scandali, aut infamiæ, vel si prævideatur gravis erubescentia, et pudor contrahentium, 3°. si dilatio matrimonii secumferat periculum gravis damni in bonis fortunæ vel quod magis est, secumferat periculum incontinentiæ, vel alterius gravis damni spiritualis. 4°. Remittuntur denunciationes in matrimoniis Principum et magnatum. Facile enim eorum impedimenta cognosci possunt, si adsint.

15. Ideo institutæ sunt denunciationes jure Ecclesiastico, ut impedimenta revelentur si adsunt inter personas, quæ matrimonium contrahere desiderant. Porro intentio juris est, ut qui sciant existentiam impedimenti, illud revelare teneantur. Quare in cap. 7. *De cognat. spirit.* Innocentius III. tradit eum qui sciat matrimonium contractum fuisse cum impedimento cognationis spiritualis, teneri ad illud matrimonium denunciandum Ecclesiæ. Agitur enim de avertenda ruina spirituali proximi nostri, et de vitanda irreverentia sacramenti. Adeo autem urgere tradunt Doctores præceptum nunciandi impedimentum, ut illud manifestare teneantur fideles licet cognoscant sub secreto naturali.

16. Verum idem Innocentius in c. 3. h. t. tradit denunciationes fieri, ut intra terminum præfixum, *qui potuerit, et voluerit, legitimum impedimentum opponat.* Quare verba videntur remittere arbitrio fidelium manifestationem impedimenti, quod cognoscant.

Ut Innocentius a contradictione purgaretur forsan dici posset *in cap. 7. de cognat. spirituali,* ipsum loqui de matrimonio jam *contracto; in cap.* autem *3. h. t.* loqui de matrimonio *contrahendo.*

At ratio hæc conciliandi duo capita est nullius valoris juridici. Etenim silentium in utroque casu occultat impedimentum, ex quo illegitima conjunctio maris et fœminæ resultat.

Verior conciliatio capitum habebitur, si dicatur etiam in cap. 3. h. t. sermonem esse de præcepto fidelibus imposito, manifestandi impedimentum quod cognoscant. Illud autem: *qui voluerit:* explicandum est ut significet, omnes quidem de populo indistincte admitti ad denunciandum impedimentum, nec fieri distinctionem gradus, sexus, ætatis vel conditionis personarum, sed omnes prorsus

indiscriminatim admitti debere, ad denunciandum impedimentum. Hinc illud *qui voluerit* idem significat ac *quicumque voluerit*. Ita Doctores cum Glossa ad idem verbum *‚voluerit'*.

17. Illud vero *'si potuerit'* Doctores ita explicant ut quis non teneatur impedimentum revelare cum gravi suo incommodo aut præjudicio, quia præceptum manifestandi impedimentum innititur legi charitatis erga proximum, quæ non exigit, ut quis periculum et damnum alienum, cum periculo et damno proprio removeat.

18. Matrimonium contractum absque denunciationibus est quidem illicitum, non autem invalidum et per consequens omissio denunciationum solummodo *impediens* impedimentum constituit. Tridentinum enim præcepit denunciationes præmittendas, non autem irritavit matrimonium, absque denunciationibus contractum.

19. Maxime autem institit concilium, ut denunciationes præmitterentur matrimonio, adeo ut si fuerint omissæ, fieri deberent etiam post matrimonium contractum; ante tamen ejus consummationem.

20. Hinc dignis pœnis puniuntur, qui in hac re delinquunt. Et 1°. *Parochus,* qui sciens denunciationes factas non esse, matrimonio assistit, incurrit pœnam suspensionis *ferendæ sententiæ* per triennium duraturam et ab Episcopo applicandam. Cap. 3. h. t. § ult.

Circa hanc pœnam utpote constitutam a jure communi, non poterit infra triennium dispensare Episcopus. Cf. Bened. XIV. *De Synodo Diœc. lib. XII. c. 6. n. 2.*

Potest vero etiam gravius puniri juxta gravitatem culpæ. Ita in cap. 3. h. t. verbo *'sane'*.

21. Relate ad *testes*, qui scientes assistunt matrimoniis, absque præviis denunciationibus contractis, pœna specialis statuta non est in jure. Verum adnotat Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. XII. c. 6. n. 2.* posse Episcopos et particulares Synodos convenientem pœnam contra ipsos statuere, quia præsentia sua confirmant, et authenticum reddunt actum, celebratum contra expressam legem Ecclesiæ.

Hinc pœna hujusmodi non est contra dispositionem canonum et juris communis, quam pœnam non posset Episcopus aut Synodus particularis statuere, sed potius pœna hujusmodi adhæret intentioni juris ipsius, et illud tuetur. Jus commune enim interdicens graviter omissionem denunciationum, certe non vult impu-

nitam esse assistentiam præstitam ab istis testibus, matrimonio inito contra leges Ecclesiæ. Cf. Bened. XIV. *loc. cit.*

22. Contra *ipsos contrahentes* triplex est statuta pœna. 1°. Juxta dispositionem Concilii Tridentini *in cap. 5. sess. 24. de Ref. matrimonii,* si contractum fuit matrimonium absque denunciationibus in gradibus ab Ecclesia prohibitis, contrahentes amittunt spem obtinendæ dispensationis. Non enim, ait Tridentinum, dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.

2°. Proles, quæ forte ex connubio nascatur, illegitima habetur, si impedimentum inter contrahentes existat, licet illud fuerit ab utroque, vel alterutro ignoratum. *C. 3. h. t.* § *'Si quis vero'.* Ratio est quia in casu sponsi prætermittentes medium ab Ecclesia designatum ad detegendum impedimentum præsumuntur versari in mala fide: hinc vel impedimentum agnovisse vel ignorantiam affectatam habuisse.

3°. Licet matrimonium contractum fuerit in gradu non prohibito, tamen convenienti pœna seu pœnitentia mulctandi sunt contrahentes. Ita *in cap. 3. h. t.* § *ult.* Sacra autem Congreg. Concilii in *'Florentina'* 17. Febr. 1629 tenuit posse imponi pœnam pecuniariam piis locis applicandam.

De matrimonio conscientiæ.

23. Quamvis intentio juris Ecclesiastici semper fuerit, ut matrimonia publice celebrarentur, adeo ut Ecclesia præcedentes denunciationes exegerit, tamen suadentibus prudentiæ rationibus, permissa sunt et permittuntur matrimonia conscientiæ, quæ nempe coram Parocho vel alio sacerdote specialiter deputato et duobus testibus confidentibus ac fidelissimis, contrahuntur ea lege, ut evulgari et manifestari non debeant, quamdiu conjugibus ipsis illud manifestare non placeat. De hoc matrimonio conscientiæ agit Ben. XIV. in const. *'Satis Nobis' die 17. Nov. 1741.*

24. In hac constitutione Summus Pontifex primo loco describit mala, quæ solent oriri ex matrimoniis occultis. Quare matrimonia hæc occulta et conscientiæ non possunt admitti nisi interveniat auctoritas Episcopi, qui judicet an expediat nec ne celebratio eorum. Videre scilicet debet Episcopus, utrum contrahentes sint sui vel alieni juris, an sint filii familias, quorum nuptiæ rationabili parentum voluntati sint contrariæ; an vir sit persona

Ecclesiastica in minoribus ordinibus constituta, obtinens pensiones vel beneficia ecclesiastica. Tunc vero permittendum est ab Episcopo matrimonium conscientiæ, quando vir et fœmina in figura matrimonii publice degentes, quin ullam contra suam honestatem ingerant suspicionem, tamen vivunt in occulto concubinatu.

25. Ante autem celebrationem curia Episcopalis prudenter inquirit, utrum inter personas contrahentes, extet nec ne impedimentum. Celebratio autem hujus matrimonii facienda est, absque ullis denunciationibus; in reliquo forma Tridentina servata, imposita Parocho vel sacerdoti assistenti, et testibus lege de silentio in perpetuum servando.

26. Matrimonium vero describi et adnotari non debet in communi libro conjugiorum, quem ex præscripto concilii Tridentini Parochus servare tenetur *(c. 1. sess. 24. De Ref. matrim.)*, sed in libro secreto, qui in Cancellaria curiæ Episcopalis clausus, et sigillis obsignatus custodiendus est.

27. Quid vero dicendum de prole: quæ forte ex matrimonio occulto enascatur?

Statuit Benedictus XIV. § 17 constitutionis citatæ, per Parochum, seu per sacerdotem deputatum serio monendos esse conjuges eo pacto permitti matrimonium occultum, ut soboles inde procreanda, non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptismum denuncietur Episcopo, cum nota loci et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum a quibus ortum habuit, alioquin matrimonium licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferri posse in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab iis injuriam illegitimitatis. Unde in § 12. cit. const. statuitur vulganda esse matrimonia secreta, si proles baptizata fuerit suppressis nominibus parentum, et nulla præstita Episcopo notitia intra triginta dies renumerandos a nativitate prolis.

28. In curia autem Episcopali, nativitas et baptismus horum filiorum notabitur in libro secreto. Attestatio autem sive celebrati matrimonii, sive sobolis ex eo procreatæ, eandem fidem sibi promeretur, quam habent attestationes excerptæ ex libris publicis *(§ 14. cit. const.)*.

29. Quid vero dicendum, si ex matrimonio occulto scandalum in populo oriatur?

Scandalum oriri ex matrimonio conscientiæ dicendum est, quoties populus videat occultos conjuges continue se maritali affe-

ctione tractare, et nesciens ipsos esse veros legitimosque conjuges, arbitretur eos esse concubinarios.

30. Profecto auctoritas Ecclesiastica, quæ lege silentii sese obstrinxit, ante omnia admonebit occultos conjuges, ut vel eo modo sese gerant ut scandalum removeatur, vel proprium matrimonium evulgent. Quod si admonitio in vacuum cedat, et nullum aliud remedium suppetat ad scandalum removendum, arbitramur posse ab eadem auctoritate Ecclesiastica, absque periculo læsæ datæ fidei vulgare matrimonium. Nam ex mente Ecclesiæ censentur permissa matrimonia occulta dummodo scandalum removeatur, prout insinuat Bened. XIV. in cit. Encyclicis litteris § 2. circa finem, et per consequens, quoties scandalum ex iisdem enascatur, cessat ratio ob quam possint ceu occulta retineri. *Cf. Giraldi Exposit. Juris Pontificii Part. 1. Sect. 674. Comm. ad c. 2. De cland. Despons.*

II.
De forma substantiali contractus matrimonii.

31. Diximus matrimonium secundo loco appellari clandestinum ex defectu solemnitatum essentialium.

Jure decretalium matrimonia alia sunt *publica*, quæ nempe in facie Ecclesiæ et servatis ritibus sacris contrahebantur, alia erant *clandestina*, quæ nempe per privatum et occultum contractum celebrabantur; alia tandem erant matrimonia *præsumpta*, de quibus agitur in c. 30. *De Spons. et Matrim.*

Quamvis Ecclesia semper voluerit ut matrimonia publice contraherentur, et ritu sacro consecrarentur, ceu testantur priores sex canones a Gratiano relati in caus. 30. q. 5. tamen aliquando recepit etiam ceu vera matrimonia ea, quæ clam contrahebantur.

32. Jus antiquum circa hæc matrimonia exhibetur in capp. 1. et 2. h. t. In secunda parte capitis 2. tradit Alexander III. matrimonia clandestina si a partibus revelentur recipienda esse et comprobanda perinde ac si fuissent a principio in conspectu Ecclesiæ contracta dummodo aliquod impedimentum non obstet. Igitur matrimonia clandestina valebant.

33. Verum ut ab Ecclesia reciperentur et comprobarentur, necesse erat ut constaret de facto celebrationis. Qua in re triplex fieri poterat hypothesis: 1°. si uterque conjux revelasset Ecclesiæ matrimonium secreto contractum; hoc in casu censebatur plene

demonstratum esse, factum celebrationis, 2ª. si uterque conjux potuisset negare et revera negavisset factum celebrationis. Hoc in casu deficientibus probationibus, conjuges non poterant compelli ad mutuam et maritalem vitæ consuetudinem servandam, idest non poterat recipi matrimonium uti validum, quemadmodum traditur ab Alexandro in prima parte c. 2. h. t. 3ª. Si unus ex conjugibus asseruisset, factum celebrationis matrimonii et alter illud denegasset; hoc in casu juxta cap. 1. h. t. ille qui asserebat factum, illud probare debebat. Facta enim non præsumuntur sed probantur. Qui autem asserit in judicio probare tenetur, quia negantis factum nulla est probatio. Ita cap. 1. h. t. explicatur a glossa juxta indolem et leges judiciorum.

34. Hæc erat dispositio ante concilium Tridentinum. Vidit vero Tridentinum Concilium, ob hominum malitiam plura posse mala derivare ex clandestinis conjugiis et de facto derivasse. Præsertim vero cognovit viam aperiri effrenatæ licentiæ, qua valida matrimonia deserebantur ob defectum probationum sufficientium, et coram Ecclesia nova conjugia contrahebantur, quæ in foro conscientiæ irrita erant.

Perspexit insuper Tridentinum, ex iisdem matrimoniis fieri posse ut ordinibus sacris initiarentur nonnulli, qui vinculo conjugali adstringebantur, quique ob defectum probationis, publice habebantur ceu pleni sui juris, et domini actuum suorum. Quare ad hæc mala vitanda, Patres Tridentini precibus oratorum Regis Galliarum, *irrita* dixerunt matrimonia clandestina.

35. Enatæ autem sunt difficultates, in hujusmodi decreto conficiendo. Nam nonnulli Theologi et Patres arbitrati sunt non posse id facere Concilium sed ingredi materiam sacramenti matrimonii, et declarari nulla ea conjugia, quæ eo usque habita fuerant uti valida.

36. Sed ex adverso notatum est posse Ecclesiam declarare inhabiles ad contrahendum certas personas ob defectum alicujus qualitatis, quemadmodum factum est in impedimento cognationis carnalis, usque ad quartum gradum lineæ transversæ, quod fieri potuit quin ipsa substantia sacramenti mutaretur.

37. Quapropter decretum conceptum est ita, ut ipsas personas contrahentes afficeret, quas inhabiles decerneret ad contrahendum clandestinum matrimonium, dictumque est in *c. 1. sess. 24. De Reform. matrim.*: '*Qui aliter quam præsente Parocho vel alio*

sacerdote de ipsius Parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit'.

38. Vi hujus decreti cessaverunt matrimonia clandestina, et matrimonia præsumpta. Nam esto quod inter duas personas possit habere locum mutuus consensus in sponsalibus; esto quod copula carnalis libera inter sponsos possit haberi tanquam signum sufficiens præstiti consensus matrimonialis, tamen post hanc dispositionem non sufficit quomodocumque exprimere consensum sed consensus exprimendus est coram Parocho, et duobus vel tribus testibus.

Quare forma substantialis matrimonii contrahendi constituta fuit a concilio Tridentino in *cap. 1. sess. 24. De Ref. matrim. Cf. Bened. XIV. De Syn. Diœc. l. VIII. c. 13. n. 5.*

39. Quæritur quænam sit extensio istius Tridentini decreti.

Decretum hujusmodi fundatur in periculo generali, seu in periculo malorum, quæ in Christiana societate procedere poterunt, et revera procedebant ex clandestino matrimonio. Hinc est Decretum quod natura sua generaliter vigeat. Nam dispositiones juris, quæ introductæ sunt ob rationes generales, et ob periculum generale, valent etiam in casibus particularibus, in quibus periculum forte non verificatur. Hinc licet aliquando ob optimas qualitates personarum, timeri non possint mali exitus ex matrimonio clandestino, tamen illud contrahi nequit ob regulam generalem contrariam. Igitur decretum naturam præfert dispositionis generalis.

40. Verum ex mente Tridentinorum patrum, aliquam limitationem pati potest decretum. Siquidem cum leges præsertim irritantes, quæ sunt odiosæ debeant habere pleniorem promulgationem in populo, hinc Tridentinum statuit quoad hoc decretum non sufficere qualemcumque promulgationem, sed eam requiri ex qua nemo posset allegare propriam ignorantiam. Statuit scilicet Concilium, decretum hoc esse legendum seu promulgandum in qualibet Parœcia, et effectus irritantis legis incipere voluit post triginta dies a facta denunciatione enumerandos. Cum vero pluries promulgari et populo explicari hoc decretum ex mente Patrum Tridentinorum deberet, iidem Patres Tridentini statuerunt triginta dies computandos esse a prima promulgatione decreti ejusdem.

41. Ex hac dispositione speciali sequitur pro valore effectuum irritantium attendi factum promulgationis. Hinc in Parœciis in

quibus decretum promulgatum non est sive causa ob quam fieri non potuit promulgatio, legitima sit, sive ea sit illegitima, decretum Tridentinum non sortitur effectus suos. Non enim attenduntur rationes omissæ publicationis, sed ipsa publicatio attenditur, utrum ea locum habuerit vel non.

42. Quæritur quomodo constet publicationem factam fuisse.

Si certa reperiatur memoria publicationis factæ, nullum dubium potest excitari de valore legis conciliaris. Quod si positivum monumentum non adsit, hæc quæ sequitur regula adoptanda est. *'Ibi præsumitur facta promulgatio decreti conciliaris, ubi constet jam usu receptum fuisse, ut coram Parocho et duobus vel tribus testibus contraheretur matrimonium, in executionem decreti Concilii Tridentini.'*

Ita tradit Bened. XIV. *de Syn. Diœc. lib. XII. c. 5. n. 6.* ubi refert hanc regulam fulciri decisionibus S. Congregationis Concilii, præsertim vero in responsione data die 26. Sept. 1602.

43. Quid vero dicendum si constet publicationem decreti Tridentini factam non fuisse, potestne fieri, et quomodo fieri debet publicatio?

Bened. XIV. in cit. loco n. 7. et seqq. refert quæstionem agitatam in Congregatione Concilii, et in Congregat. De Propaganda fide, occasione capta Synodi Kioviensis celebratæ die 11. Oct. 1619.

44. Cum in diœcesi Kioviensi et in tota ruthena Provincia non fuisset promulgatum decretum Tridentinum, et scandala plurima provenirent ex clandestinis conjugiis, Patres Synodi decretum confecerunt ex quo declarabantur irrita matrimonia, absque Parochi et duorum vel trium testium præsentia inita. Patres Synodi jusserunt, decreti hujus per Parœcias faciendam esse quam primum publicationem. Nullam vero fecerunt mentionem Concilii Tridentini, ne schismatici ob odium adversus idem Concilium, magis retraherentur ab unione cum catholica Ecclesia.

Quæsitum est utrum hoc synodale decretum, per quod dispositio Tridentina in singulis Parœciis promulgabatur, haberet effectus legis irritantis matrimonia.

45. In Congr. diei 2. Dec. 1628 responsum est *'Negative'*; quare decretum hujusmodi habitum est ceu lex correctiva juris communis juxta quod matrimonia clandestina valent in locis ubi Tridentinum Concilium promulgatum non est. Jamvero Episcopus, vel Syno-

dus diœcesana, aut provincialis non possunt in suis constitutionibus aliquid inserere, quod juri communi adversetur et illud corrigat.

46. Hinc potius decisum est ut per literas Romani Pontificis in forma *'Brevis'* fieret intimatio dispositionis Tridentinæ, ita nempe ut integra ipsisque verbis dispositio Concilii intimaretur, retineretur tamen et mentio concilii Tridentini, ad evitandum quodcumque scandali periculum.

In eandem sententiam eadem S. Congregatio post novum examen concessit die 20. Martii 1629, et ejus resolutio confirmata est ab Urbano VIII.

Ex qua resolutione sequitur posse utique fieri promulgationem decreti irritantis matrimonia, eam tamen faciendam esse sub nomine Concilii Tridentini, vel per Pontificium decretum, nec valere eandem promulgationem, si decretum proponatur ceu Synodi Diœcesanæ, vel Provincialis decretum.

47. Quæritur utrum in locis in quibus promulgatum est decretum Tridentinum possit matrimonium *aliquando* valide celebrari, quin forma decreti servetur.

Quæstio hæc resoluta fuit a S. Congregatione Concilii, et a Pio VI°. per literas Apostolicas diei 22. Aprilis ann. 1793. occasione civilis perturbationis in Gallia, et responsum est valere hæc matrimonia, contracta coram testibus, sed absque præsentia Parochi, quando communis et publica impossibilitas impediat, quominus contrahentes Parochum adire possint.

Faciunt etiam ad rem Literæ Apostolicæ in forma *Brevis* ejusdem Pontificis, ad Episcopum Genevensem datæ die 5. Sept. a. 1795.

Hoc enim in casu periculo generali, cui innixum est Tridentinum decretum, opponi potest bonum publicum, cui adversaretur lex irritans Tridentina, si valeret et obligaret.

Quare si impotentia adeundi Parochum non afficiat unum vel alterum casum particularem sed ipsam societatem, ex. gr. ob publicam rerum perturbationem, et præsertim ob religiosam persecutionem communem, dicendum est valere matrimonium contractum absque plena formæ Tridentinæ observantia.

48. Quod si impotentia adeundi Parochum sit personalis non valet matrimonium absque ejus præsentia contractum, quia lex irritans contractum non cessat ob incommodum privatum. Idest ratio personalis incommodi vel periculi non potest habilem facere

illum quem ipsa lex inhabilem reddidit. Lex enim ceu norma generalis præscindit a peculiaribus singularium personarum adjunctis.

49. Quæritur quid sit dicendum de matrimonio contracto juxta formam legum civilium.

Inter christianos non datur matrimonium legitimum et verum, quod non sit eodem tempore sacramentum. Potestas igitur civilis auctoritate propria nequit formam substantialem contractus conjugalis decernere. Ipsa enim neque potest materiam aptam sacramento præparare neque potest legitimum reddere contractum præscindendo a ratione sacramenti.

50. Verum Ecclesia antiquitus ratam habuit formam clandestinam contractus matrimonialis. Hinc absolute loquendo posset agnoscere uti validam formam civilem, coram officiali civili, quare forma civilis matrimonii posset legitima fieri, si ab Ecclesia recognosceretur. Ecclesia autem nondum ratam habuit formam civilem contrahendi matrimonium.

51. Ratio autem præcipua est duplex; 1°. quia potestas civilis constituit impedimenta dirimentia, quæ ab Ecclesia recognita non fuerunt, et e contra nonnulla non admisit impedimenta, quæ ab Ecclesia statuta sunt. Quare nonnullæ personæ habitæ sunt habiles juxta leges civiles, quæ inhabiles erant juxta leges Ecclesiasticas et viceversa. Unde Ecclesia non potest recipere matrimonia civilia.

2°. Quia leges civiles propriæ formæ solummodo sollicitæ fuerunt, ita ut negligentes prorsus formam Ecclesiasticam statuerint, nullius esse valoris matrimonium, quod contraheretur non servata forma civili: Quare concludendum est, matrimonium civile, utpote ab Ecclesia non recognitum, non esse verum inter Christianos matrimonium, sed esse meram cæremoniam civilem.

52. Quæritur quomodo sese gerere debeat fidelis in locis ubi legislatio civilis matrimonia mere civilia præcipiat.

Tractatur hæc quæstio a Ben. XIV. in Epistola scripta Paulo Simoni a S. Josepho, Carmelitæ, Missionario in regionibus fœderatis Belgii et Hollandiæ, die 17. Septembris 1746 quæque incipit *'Redditæ sunt'*. In hac Epistola declarat Benedictus in locis in quibus promulgatum est concilium Tridentinum, posse tolerari, ut fideles consensum mutuum exprimant coram magistratu, seu officiali civili, dummodo tamen iidem fideles considerent matrimonium civile, ceu meram civilem cærimoniam, seu actum mere politicum,

quo suum obsequium ostendant erga leges et instituta Principum, nec verum legitimumque contrahere matrimonium credant. Quare consuetudo conjugalis si quæ sequatur, gravi culpa non caret, et si proles enascatur, ea est coram Deo illegitima, nisi conjuges in facie Ecclesiæ consensum renovaverint. Hinc inculcat Pontifex, ut quo fieri possit, post civilem cæremoniam, evitetur nimia familiaritas inter conjuges ante celebrationem matrimonii Ecclesiastici.

53. Ut vero periculum concubinatus absit, vel saltem suspectæ conversationis, proponit Pontifex ceu optimum factu, ut Catholici non accedant ad civilem cæremoniam explendam, nisi antea jam celebraverint matrimonium in facie Ecclesiæ. Quod si lex civilis prohiberet, quominus prius Ecclesiasticum seu verum matrimonium celebraretur, quam civile, licet hæc lex civilis nimis dura esset, tamen ad vitanda mala majora posset tolerari. Verum inculcandum esset fidelibus, ne diu differrent celebrationem matrimonii sacri in facie Ecclesiæ, et interim ne se invicem tractarent, tamquam virum et uxorem.

54. Quid vero dicendum de officialibus qui matrimonio civili ex officio assistunt?

Præmitto de officialibus non agi in literis Ben. XIV. '*Redditæ sunt Nobis*'.

Profecto cum ipsi officiales repræsentent ipsum Legislatorem, et tueantur facto suo legem, juxta quam unice validum est matrimonium civiliter contractum, et per consequens nonnulla matrimonia vera uti invalida habentur et viceversa; viderentur officiales a gravi culpa excusari non posse. Verum ob longanimitatem S. Sedis ad vitanda majora mala tolerat ut isti officiales assistentiam suam præstent civilibus matrimoniis; nam si passa est celebrari matrimonia civilia, eo ipso debet permittere ut officiales actui civili assisterent. Ut vero culpam evitent, officiales hujusmodi debent etiam ipsi considerare matrimonium civile ceu nudam cæremoniam civilem, non vero ceu verum et legitimum matrimonium, et nihil peragant aut suadeant contra sanctitatem matrimonii, et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia. Et hoc in sensu S. Pœnitentiaria respondit die 15. Decembris ann. 1865 Episcopis Provinciarum Taurinensis, Vercellensis et Januensis.

55. Quid vero si fideles non possint ob impedimentum contrahere matrimonium christianum in forma Tridentini, habiles vero

sunt ad contrahendum matrimonium civile, vel ex mala animi dispositione, prævideantur matrimonium coram Ecclesia contracturos non fore? Poteritne officialis operam suam præstare in matrimonii civili celebratione?

Omittimus hypothesim publici scandali, quod ex assistentia officialis posset in populo derivare, quo in casu solutio quæstionis penderet a qualitate scandali, quod vitandum esset.

56. Restringimus hypothesim et cooperationem quam secluso etiam scandalo habere potest officialis in illicita celebratione contractus civilis, et in effectibus malis, qui inde sequuntur. Hæc cooperatio per se mala est et reprehensibilis; ex lege enim charitatis nemo potest facto suo concurrere in malum proximi sui.

Verum ex natura legis charitatis, quæ in genere non obligat cum gravi præjudicio proprio, malitia cooperationis potest attenuari, imo etiam tolli, si officiali præsto sint validæ rationes, ad assistentiam et operam suam exhibendam simulque pro parte sua studeat, evitare malum proximi sui. Gravis autem ratio ad præstandam assistentiam esset debitum officii sui, et periculum amittendi officium ipsum, quoties renueret cæremoniæ matrimoniali adesse.

57. Satis autem officialis studebit evitare peccatum contrahentium si eosdem prudenter et caute admoneat, eorum matrimonium esse solum cæremoniam civilem, et nihil prorsus valere, coram Ecclesia, immo ab eadem interdici, ob impedimentum, quo ipsi contrahentes ligantur.

58. Porro circa onus admonendi contrahentes, animadvertunt, distinguendum esse inter impedimentum notorium quod facile cognosci et demonstrari possit, et occultum vel dubium impedimentum, quod illico non cognoscitur. Officialis enim civilis non tenetur inquirere utrum contrahentes ligentur impedimento Ecclesiastico, sed solum pro ratione sui officii debet videre utrum verificetur habilitas civilis. Hinc non tenetur inquirere ex. gr. utrum contrahentes sint in tertio vel quarto gradu affinitatis.

Quare merito tradunt doctores, onus admonendi contrahentes urgere officiales solummodo in casu impedimenti notorii, quod facile dignosci et facile ipsis contrahentibus posset declarari, non autem in casu impedimenti occulti, quod specialem exposcit inquisitionem ut cognoscatur nec facile contrahentibus demonstrari potest.

59. Quæritur an lex Tridentina inducens impedimentum clandestinitatis, obliget etiam acatholicos.

Plures auctores negativam sententiam propugnant:

1°. Quia Ecclesia non præsumitur voluisse tot matrimonia esse invalida. 2°. Quia ipsum Concilium Tridentinum, requirens publicationem decreti sui, in qualibet Parœcia perficiendam, satis indicavit se nolle sub lege comprehendere acatholicos, qui certe non essent publicaturi decretum Concilii.

60. Verum contraria sententia tenenda esse videtur. Nam Concilium Tridentinum legem generalem tulit, qua abolevit matrimonia clandestina nec ullam distinctionem fecit inter catholicos et hæreticos, sed absolute edixit, 'qui aliter quam præsente Paroecho' etc.

Cui rationi accedit etiam alia, quæ infertur ex periculo generali malorum effectuum matrimonii clandestini, quod commune est catholicis et acatholicis.

61. Rationes autem contrariæ sententiæ non valent. Non prima quia præsumptio non datur contra legem latam, absque ulla limitatione, et claris verbis expressam.

Non valet secunda ratio quia specialis modus publicationis solummodo indicat, Patres Tridentinos voluisse ut quo fieri possit removeretur periculum ignorantiæ, ne aliquis posset sese excusare, et eximere ab observantia decreti ex prætextu ignorantiæ dispositionis concilii.

62. In rei autem confirmationem adduci potest declaratio seu Instructio, super dubiis respicientibus matrimonia hæreticorum vel mixta in Hollandia et Belgio contracta, vel contrahenda quæ declaratio seu instructio data est a Bened. XIV. die 4. Novembris 1741. Cum enim incerta esset disciplina in statibus fœderatis Hollandiæ et Belgii, proposita est quæstio Clementi XII. et quæsitum est quid esset sentiendum de matrimoniis hæreticorum, et de matrimoniis mixtis contractis, vel contrahendis in illis regionibus, non servata forma Tridentini Concilii.

Clemens viam universæ carnis ingressus est antequam quæstio resolveretur.

Benedictus XIV. successor ejus, longo prælabito examine, declaravit et statuit matrimonia sive contracta sive contrahenda, in dominio ordinum fœderatorum Belgii valida esse, dummodo aliquod impedimentum canonicum non obstaret. At hæc declaratio seu melius hæc constitutio Benedicti, veluti *ex motu proprio* lata

innititur singularibus et exclusivis rationibus, quæ communes non sunt hæreticis aliorum locorum.

63. Rationes hujusmodi describuntur in relatione cardinalis de Alsatia Archiepiscopi Mechliniensis. Præcipua autem est ratio, quia dubitari poterat utrum revera publicatum fuisset Concilium Tridentinum, in illis regionibus. Nam dum graves doctores referebant fuisse factam publicationem decreti, alii autem denegabant. Qui autem affirmabant factum publicationis decreti, omnes extranei erant a natione Belgica, et videbantur ita sentire, quia constabat Philippum II^m. Regem Hispaniarum, sæpius jussisse ut publicatio Concilii Tridentini fieret. Pariter constabat ter aut quater revera locum habuisse conatus promulgationis.

At e converso notum erat, quodammodo impossibilem fuisse generalem publicationem decreti Tridentini, in singulis Parœciis, quia eo tempore magna exarsit perturbatio religiosa ex facto insurgentium hæreticorum qui furore omnia implebant, et plures asseclas ad se pertrahebant. Insuper eo tempore quo facta asserebatur publicatio, hæretici non vagabantur inter catholicos, sed jam in sectas proprie dictas coaluerant, et proinde dubitari poterat, utrum publicatio decreti in Parœciis catholicis obligaret etiam societates hæreticorum.

Præsumptioni autem non factæ generalis publicationis decreti, etiam relate ad hæreticos accedebat inobservantia decreti, quia constabat etiam ab initio non fuisse usu receptum decretum Tridentinum quoad hæreticos. Nam matrimonia hæreticorum contracta absque observantia formæ Tridentinæ, habita fuerant ceu rata et valida, ita ut conjuges ad fidem conversi, non solerent obligari ad novum consensum præstandum coram Ecclesia.

Quibus omnibus perpensis, merito Benedictus XIV. ad vitanda mala, quæ ex conditione regionis illius derivabant ex matrimoniis dubiis et incertis, in decretali Epistola, quæ incipit *'Matrimonia'* data die 4. Novembris 1741 declaravit et constituit matrimonia hæreticorum et matrimonia mixta, uti valida habenda esse.

64. Hæc autem declaratio seu instructio facta ob singulares rationes statuum fœderatorum Hollandiæ et Belgii, ad illas regiones solummodo coarctata est. Quemadmodum adnotatur in fine instructionis ipsius. Ex qua speciali indole et limitatione Benedictinæ dispositionis infertur argumentum pro nostra sententia. Si enim dictum est a Benedicto XIV. legem Tridentinam non urgere hæ-

reticos Hollandiæ et Belgii ob singulares rationes et si hæc declaratio ad illas solum regiones coarctata est, implicite dictum est in genere hæreticos obligari a lege Tridentina, quando ea fuerit publicata.

Ex quibus omnibus eruitur potiora esse argumenta, quæ militant pro nullitate matrimoniorum ab hæreticis contractorum, non observata Tridentina forma, quam ea quæ valorem eorundem adstruunt.

Et proinde dici potest in genere hæreticos teneri lege Tridentina in locis in quibus ejus publicatio facta fuerit, nisi ex Apostolica concessione, ad hæc eadem loca extensa fuerit Benedictina declaratio.

65. Doctores instituunt specialem quæstionem de hæreticis coalescentibus in societatem publicam et recognitam a civili Gubernio, quæ in aliquo loco vel coëxistat cum societate catholica vel subintraverit in locum præexistentis catholicæ societatis.

66. Profecto in utraque hypothesi valida adsunt argumenta, quæ videntur eximere hæreticos ab observantia legis Tridentinæ. Nam aliud est loqui de individuis in aliena societate commorantibus, aliud est loqui de aliqua societate separata et distincta, quæ habet suas leges, suas consuetudines, et propriam vivendi agendique rationem. Etenim leges licet dicantur territoriales idest loca directe respiciant, et non individua, tamen revera ipsam societatem respiciunt, in aliquo loco existentem. Hinc si in aliquo nova societas inducatur, et vetus destruatur vel recedat, nova societas regitur legibus propriis, nec tenetur legibus societatis quæ cessavit.

67. Unde cum Tridentinum Concilium voluit, ut suum decretum publicaretur in singulis Parœciis catholicis, per hanc dispositionem satis indicavit legem suam obligare societatem fidelium, in qua publicatio fieret, non obligare autem alias societates, in quibus non publicaretur decretum; scilicet insinuavit Tridentinum non valere suum decretum nisi reciperetur in particularibus societatibus fidelium prout sunt Parœciæ. Hinc quoniam societas hæreticorum constituta et recognita non recepit nec publicavit decretum Tridentinum, satis validum videtur argumentum adesse ut hæretici coalescentes in publicam societatem, eximantur a lege Tridentina quoad formam substantialem contractus conjugalis.

Ceterum hæc obiter dicta sint, nec intendimus positive opinionem expositam propugnare, sed potius prudens consilium arbitra-

mur esse, de hac quæstione expectare, si quod fuerit, ipsius Ecclesiæ judicium.

Hæc dicta sint de extensione decreti Tridentini. Nunc ut sensus decreti determinetur, videndum est quinam sit Parochus proprius.

De Parocho proprio in matrimonio.

68. Parochus proprius alicujus fidelis potest esse 1°. ille in cujus Parœcia quis baptizatus est, et dicitur *Parochus originis;* 2°. ille in cujus Parœcia quis habet domicilium vel quasi domicilium; 3°. ille in cujus parochia quis forte commoratur vel simpliciter reperitur ob causam prorsus accidentalem et precariam ex. gr. ob causam rusticandi, vel ob rei familiaris negotium gerendum.

Quinam horum erit proprius Parochus ad valide contrahendum matrimonium?

Hanc quæstionem præ aliis pertractat Benedictus XIV. *in Institut. Ecclesiast. 33. nn. 6. seqq.* et principii loco statuit; non attendi originem ad determinandum Parochum proprium, ratione matrimonii contrahendi. Nam Concilium Tridentinum in matrimoniali contractu induxit formam substantialem ut a Parocho cognoscerentur contrahentes et evitaretur periculum contrahendi novas nuptias, prioribus adhuc existentibus.

69. Jam vero Parochus proprius ratione solius *originis* non præsumitur cognoscere personas fidelium, qui licet nati in ejus Parœcia, modo tamen alibi commorantur.

Accedit ratio: nam in jure origo personæ in relatione ad auctoritatem Ecclesiasticam non attenditur, nisi expresse in hac re caveatur, quemadmodum verificatur quoad sacram ordinationem.

70. Hinc in contractu matrimonii, ut habeatur Parochus proprius, attendi debet *Parochus domicilii.* Nam Parochus proprius in jure ille est, a quo quis recipit sacramenta, in cujus jurisdictione quis jura habet parochialia, et cui quis solvit onera.

Hinc Parochus proprius simpliciter appellatus, ille in jure dicitur, in cujus Parœcia quis commoratur. Et ita declarasse sacram Congr. Concilii refert Benedictus XIV. in cit. Institut. 33.

71. Quoniam vero duo sunt contrahentes qui possunt pertinere ad diversas Parœcias, quæritur coram quo Parocho contractus matrimonialis perfici debeat.

Placuit vero posse matrimonium celebrari coram Parocho alterutrius sponsi. Licet ergo soleat matrimonium celebrari coram Parocho sponsæ, quæ in domum viri traducitur, tamen et validum et licitum est matrimonium contractum coram Parocho viri.

72. Et quidem quoniam Trident. Concilium absolute dicit matrimonium celebrandum esse coram Parocho, matrimonium validum erit, si in Parochia sponsi contrahatur coram Parocho sponsæ, vel viceversa, licet Parœciæ ad diversam Diœcesim pertineant; ad validitatem enim matrimonii sufficit præsentia Parochi proprii. Atque ita respondisse S. Congr. Concilii in Aquilana refert Giraldi. *Jur. Pont. Parte 2ª. Sect. 115.* Præsentia enim Parochi in matrimonio proprie non exhibet exercitium jurisdictionis, quia Parochus juxta Concilium Tridentinum solummodo præstat assistentiam ceu *testis qualificatus* aut ad summum præsentia Parochi considerari potest, ceu actus jurisdictionis *voluntariæ,* quæ semper exerceri potest, etiam extra proprium territorium sine pompa et apparatu functionis publicæ pastoralis.

73. Hinc in aliena Parœcia, inaudito vel etiam invito Parocho loci, poterit Parochus assistere licite matrimonio sui vel suorum Parochianorum, dummodo celebratio fiat in privato loco, seu clam et absque benedictione nuptiali. *Cf. Reiffenst. h. t. n. 65.*

74. Præter domicilium, in matrimonio consideratur etiam *quasi domicilium.* Domicilium enim importat animum seu intentionem in perpetuum alicubi commorandi; quasi domicilium autem importat animum seu intentionem alicubi diuturnam moram habendi. Quoad domicilium enasci non potest difficultas. Nam eo ipso quod quis in aliquo loco domicilium figat seu resideat de facto, et intendat et declaret se velle in perpetuum ibidem commorari, eo ipso subditur Parocho loci, idest domicilium contrahitur statim ac quis incipiat habitare in loco, ubi intendit stabiliter seu in perpetuum remanere. *L. Cives 'cod. de Incolis'.* Hinc statim sortitur Parochum proprium ad contrahendum matrimonium. Nec attenditur dispositio Innocentii XII. *'Speculatores'* quæ decennium requirit ad sortiendum proprium Episcopum domicilii; nam hæc dispositio data est pro Ordinum susceptione. Quare qui se transtulit in alium locum et acquisivit ibi domicilium, poterit contrahere matrimonium, si tanto tempore commoratus fuerit, quantum requiritur ut a Parocho sufficienter cognoscatur.

75. Quoad vero *quasi domicilium* in genere dici potest illud constitui per diuturnam moram. Quare contrahit aliquis quasi domicilium, quando se transfert in aliquem locum, cum intentione in eodem diu commorandi. Intentio autem eruitur ex fine commorationis. Si enim finis est precarius, qui nempe indeterminatam importet moram, quæque esse potest etiam brevissima, et prorsus remissa voluntati commorantis, non acquiritur quasi domicilium. Unde qui in aliquo loco reperitur rusticandi gratia, vel ad explendum negotium rei familiaris, vel ut valetudini suæ consulat, non acquirit in loco quasi domicilium, et per consequens non sortitur Parochum proprium ad contrahendum matrimonium. Quare Bened. XIV. *Inst. 33. n. 7.* refert S. Congreg. Concilii hæc tamquam principium statuisse: 'Sacra Congregatio inhærendo declarationibus, alias factis respondit: Parochum *ruralem non esse* verum et proprium Parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonia valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse'. Plures deinde alias decisiones S. Congreg. refert Benedictus in eodem loco.

76. Ratio est quia natura rei et finis objectivus, importat indeterminatam et vere precariam habitationem, etiam brevissimam unius diei. Quando autem finis secumfert diuturnam commorationem in aliquo loco, acquiritur ibi quasi domicilium. Hinc discipuli et magistri in civitate ubi est Universitas studiorum, quasi domicilium sortiuntur. Idem dicendum de judicibus et in genere de publicis officialibus, qui in aliquem locum mittuntur, ut ibi officium aliquod permanens exerceant. Isti omnes in loco quasi domicilii sortiuntur Parochum proprium ad valide matrimonium contrahendum, quia revera Parochus loci administrat eis sacramenta, et relate ad eos exercet jura parochialia.

Hinc proposito dubio 'Quid si contrahens in aliquo loco commoretur, tamquam Prætor, Judex, seu medicus temporalis, valetne matrimonium contractum coram Parocho ejusdem loci?' S. Congregatio respondit valere. Ita penes Benedictum XIV. *l. c. n. 11.*

77. Et quidem quoniam qui ratione alicujus causæ ex supradictis, vel similibus, statim acquirit in loco commorationis novæ quasi domicilium, uti communis fert sententia Doctorum, hinc illi qui se conferunt ad aliquem locum ob unam ex præfatis causis,

valide ibidem matrimonium contrahunt, statim ac commorari incipiunt; idest etiam prima die; eo quia a prima die sortiuntur parochum proprium ad Sacramenta recipienda in loco quasi domicilii. Ad honestatem vero actus, Doctores tradunt, matrimonium celebrandum esse postquam novi incolæ per illud tempus in loco habitaverint, quo a Parocho sufficienter cogniti fuerint. Cf. Epist. Bened. XIV. *Paucis abhinc hebdomadis diei 19. Martii 1758,* ad Archiepiscopum Goanum, quæ legitur in Appendice tom. III. Bullarii ejusdem Pontificis.

78. Sed quoad matrimonii validitatem est aliquid amplius. Quasi domicilium enim arguitur etiam ex facto longæ commorationis, idest quando ad matrimonium ineundum, contrahentes in aliquem locum se transtulerint, ibique diu commorati fuerint, ipsum factum diuturnæ moræ inducit præsumptionem intentionis quasi domicilium acquirendi præcise ad matrimonium contrahendum. Cf. hac in re cit. Epist. Bened. XIV. ad Goanum archiepiscopum.

79. Refert in ea Pontifex, resolutionem S. Congreg. Concilii excerptam ex Fagnano in cap. *5. De parochis n. 39.* cujus species hæc erat: Vir et mulier trajectenses, cum timerent ne obstacula a parentibus interponerentur ad contrahendum in patria sua matrimonium, vicinam urbem Aquisgranam petierunt, atque ibi post aliquod tempus contraxerunt matrimonium. S. Congregatio consulta de hac re censuit expendendum esse tempus quo contrahentes Aquisgranæ commorati erant. Quod si fuisset saltem unius mensis, respondit dandam esse decisionem pro validitate matrimonii. Huic decisioni adhæret Bened. XIV. in loc. cit. §. *'Post hæc'.*

Unde concludi potest quasi domicilium contrahi per moram unius mensis in aliquo loco dummodo commoratio facta non fuerit rusticationis causa, vel ob alium præcarium finem juxta dicta superius, sed cum intentione contrahendi quasi domicilium ad ineundum matrimonium. Immo commoratio unius mensis haberi potest ceu sufficiens ad præsumendam intentionem contrahendi quasi domicilium, et sortiendi proprium Parochum quasi domicilii ad matrimonium contrahendum. Ratio est quia hæc commoratio censetur talis qua Parochus loci possit cognoscere contrahentes, et quoniam satis longa est, jure præsumere facit intentionem eorundem, manendi in loco per majorem partem anni.

Hanc tractationem de quasi domicilio in ordine ad matrimonii valorem enucleamus verbis clarissimi Feye in altera editione sui operis: *'De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus n. 227.'* Hic clarissimus auctor testatur, se Romæ ex authentico documento didicisse 'S. Sedis mentem esse, ad quasi domicilium duo hæc simul requiri, habitationem nempe in loco ubi matrimonium contrahitur, atque animum ibi permanendi per majorem anni partem; ex primo autem die, quo hæc duo simul concurrunt, acquisitum esse quasi domicilium; quod si de prædicto animo non constet, ad indicia recurrendum esse, quæ moralem certitudinem pariant; inter hæc autem unum ex præcipuis esse, quod Benedictus XIV. const. *Paucis abhinc,* indicat, menstruam nempe habitationem; ex hoc enim haberi præsumptionem juris pro intentione manendi, per majorem anni partem; contrarium tamen ferri debere judicium, si aliunde certo constet animum illum non extitisse.'

80. Nunc quæritur, quid dicendum, si locus mutetur in *fraudem legis,* ne contractus matrimonii celebretur coram Parocho veri et proprii domicilii?

Profecto si duo domicilium proprium non relinquentes, sed illud conservantes, ad alium locum se transferant, et ibi ineant matrimonium, quin antea contraxerint saltem quasi domicilium, matrimonium irritum est. Hæc conclusio infertur ex resolutione Sacræ Congregationis Concilii diei 5. Sept. 1626 confirmata ab Urbano VIII. per Litteras Apostolicas in forma Brevis die 14. Augusti 1627. Et ratio est, quia matrimonium in præfata hypothesi censetur contractum in fraudem legis; qui vero contra legem et in fraudem legis agit, nihil agit. Et hæc conclusio valet etsi duo se conferant in locum ubi promulgatum non est Tridentinum, et ibi matrimonium contrahant absque Parocho et testibus.

81. Quod si vero duo ad contrahendum matrimonium se conferant in alium locum cum intentione ibidem tanto tempore manendi, quantum requiritur ad acquirendum quasi domicilium, matrimonium valet, quia quasi domicilium adepti sunt. Cf. Ben. XIV. cit. Epist. Hinc non contrahunt matrimonium in fraudem legis, sed contrahunt quasi domicilium a lege non prohibitum, quod a jure requiritur ad matrimonium ineundum. Conferri potest resolutio S. Congr. Concilii in 'Coloniensi' approbata ab Urbano VIII. die 14. Augusti 1627, quam refert Benedict. XIV. in cit. constit. 33. n. 9. Conferri etiam potest resolutio ejusdem S. Congreg. die

22. Febr. 1631 relata a Giraldi l. c. 4. Cf. Fagnanus comm. in cap. 5. *'Significavit, de Parochiis nn. 19. seqq.*

De matrimonio vagorum.

82. Vagi distinguuntur a peregrinis. *Vagus* est, qui relicto prorsus suo domicilio, sedem quærit alibi; seu melius vagi sunt, qui nullam sedem stabilem habentes, neque domicilium, neque quasi domicilium, alicubi figunt. *Peregrinus* est ille, qui iter facit eo consilio, ut aliquando ad pristinum domicilium revertatur.

Porro peregrini tenentur, ut quisque videt, lege Tridentina, et non possunt contrahere in locis ubi versantur, nisi saltem quasi domicilium ibi fuerint adepti.

83. Vagi autem valide contrahunt coram Parocho loci ubi versantur. Ita sententia communis doctorum et Bened. XIV. cit. const. n. 10. Vagi enim in loco ubi promulgatum est Concilium Tridentinum, proprium Parochum habere debent, ut verificetur lex Tridentina, quæ generaliter cavet matrimonium non aliter valere, quam si coram proprio Parocho contrahatur. Jam vero nullus alius potest esse Parochus personæ vagantis, quam Parochus loci illius ubi actu ipse vagus versatur.

84. Dixi ubi promulgatum est Concilium Tridentinum; nam ubi promulgatum non est, vagi valide contrahunt matrimonium absque ulla præsentia Parochi et testium. Nam vagi carentes domicilio proprio, sequuntur mores loci in quo versantur.

85. Et quidem matrimonium valet, licet unus tantum ex contrahentibus sit vagus, quia Concilium Tridentinum, ob favorem matrimonii, in constituendo impedimento clandestinitatis, unius tantum ex contrahentibus conditionem et habilitatem attendere visum est.

86. Matrimonium autem vagorum valet, etiam, si contrahentes suam stabilem sedem deseruerint, eo fine ut in conditione vagorum, facilius matrimonium inire possent. Nam tunc solum non valet matrimonium, quando contrahitur in fraudem legis, non autem quando nova conditio seu status quæritur, in quo lex, quæ in pristino domicilio obligabat, vel non amplius obliget vel obliget modo diverso. Hinc contrahentes qui deserunt domicilium et vagi fiunt ad contrahendum matrimonium, non offendunt directe legem, sed

assumunt conditionem, in qua eis a lege matrimonium contrahere permittitur, et per consequens, vagis in casu optime applicatur principium legis 55 ff. De Reg. Jur. *'Nullus autem videtur dolo facere, qui utitur jure suo.'*

87. Ad valide autem contrahendum requiritur ut vagi reliquerint *serio* et non *ficto animo* proprium domicilium, secus enim legibus domicilii sui adhuc obligantur.

88. Quoniam vero homines vagi non raro poligamiæ simultaneæ vitio maculantur, hinc Concilium Tridentinum sess. 24. c. 7. *De Ref. matrim.* præcipit Parochis, ne intersint matrimoniis eorundem vagorum, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, circa status libertatem, et nisi re Ordinario delata, ab eodem obtinuerint licentiam assistentiam præstandi.

Ex expositis principiis possunt resolvi quæstiones, quæ circa Parochum proprium ad valide contrahendum matrimonium enascuntur.

Ut enim matrimonium valide contrahatur requiritur 1°. Parochus proprius; 2°. ad proprium parochum sortiendum requiritur domicilium vel quasi domicilium, exceptis hominibus vagis. Hinc *capellanus* in carceribus, in hospitio et in aliis locis publicis, non est proprius Parochus ad contrahendum matrimonium. Si vero quæstio occurrat, conferri potest Bened. XIV. cit. Instit. 33. necnon Giraldi in citata sectione 118 parte II[a]. Quædam dicenda sunt:

De qualitate proprii Parochi.

89. Tridentinum absolute edicit, matrimonium contrahendum esse coram proprio Parocho. Hinc valet matrimonium contractum coram Parocho *non sacerdote,* etiam prima tonsura solummodo initiato, et licet non fuerit intra annum ad sacerdotium promotus. Ita respondit S. Congreg. in 'Abalensi' Decembr. 1593; et in 'Marianensi' 29. Martii 1653.

90. Valet etiam matrimonium coram Parocho notorie *fornicario* et *suspenso.* Etenim Tridentinum Concilium solam qualitatem Parochi attendit. Ita S. Congr. in 'Dramon.' lib. 3. Decret. pag. 31.

Tandem valet etiam matrimonium si contrahatur coram Parocho, *cui prohibitum est ab Episcopo ne assistat matrimonio.*

91. Nam nisi ab Episcopo Parochus officio suo privetur, semper remanet Parochus, et proinde matrimonium coram eo contractum, merito censetur celebratum esse juxta Tridentinam formam. Matrimonium enim valet coram Parocho contractum, quoties Parochus titulum sui Beneficii retinet. Immo merito tradunt Doctores sufficere titulum coloratum seu putativum, qui nempe ex errore communi verus reputatur. Error enim communis tribuit et prorogat jurisdictionem in personis juxta celebrem legem *'Barbarius'* receptam etiam in Jure nostro. Cf. Responsa S. Congreg. Concilii data Episcopo Giennensi a. 1584 penes Giraldi loc. cit.

92. Notandum insuper est, non esse solum Parochum, qui matrimonii celebrationi assistat, sed validum est etiam matrimonium contractum coram Ordinario loci. Nam qualitas et potestas parochi continetur *eminenter* in potestate Ordinarii. Nomine autem Ordinarii venit *Episcopus Diœcesanus, vel Abbas nullius*, cujus jurisdictioni subsunt contrahentes, et *Vicarius Generalis* arg. tit. 29. lib. 1. Ita etiam sensit S. Congr. Conc. in 'Carpen' matrim. 21. Jan. 1680 lib. Decret. 31. pag. 1.

93. Tandem Conc. Tridentinum cavit posse fieri matrimonium coram alio sacerdote, de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia. Hæc licentia seu deputatio fieri potest non solum ab Episcopo sed etiam a Vicario Generali, quia et ipse in communibus negotiis venit nomine Ordinarii.

94. Licentia autem hæc vel deputatio fieri potest personæ alicui ut assistat matrimonio cuidam determinato, vel etiam in genere ut assistat matrimoniis in Parœcia celebrandis. Tridentinum enim qualitatem et modum licentiæ non definivit. Hinc S. Congreg. in 'Aquinaten' 10. Junii 1591 et in *'Nullius'* 16. Martii 1630 decrevit valere matrimonium coram coadjutore Parochi deputato *in genere* ad sacramenta administranda, sicut et coram capellano habente *in genere* facultatem ab Episcopo eadem sacramenta administrandi. Hinc etiam Vicarius qui locum tenet Parochi, vel defuncti vel absentis, valide matrimoniis assistit; nam censetur delegatus ad universitatem causarum, idest ad omnia negotia Parochi implenda. Hic vero Vicarius prout delegatus ad universitatem causarum potest alium subdelegare ad assistentiam præstandam matrimonio.

Ex præscripto autem Concilii Tridentini qui Parochus non est, sed assistit matrimoniali contractui, ex licentia seu ex dele-

gatione Parochi ipsius, vel Ordinarii debet esse sacerdos. Hinc non sufficit si sit Diaconus vel inferior minister.

95. Præter Parochum vel sacerdotem de Parochi vel Ordinarii licentia, in matrimonio debent adesse duo vel tres *Testes*. Cum Tridentinum nullam in eis requirat specialem qualitatem, hinc 1°. sufficit ut juxta naturale jus tantum idonei sint ad fidem faciendam de aliquo facto. Hinc etiam fœminæ, etiam ætate minores possunt testes esse in matrimonio 2°. solemnitas quoad ipsos non requiritur, seu necesse non est ut sint *rogati*, sed sufficit ut percipiant, et referre possint factum contractus matrimonialis. Nec pariter obstat censura, si qua forte testis sit ligatus.

96. Quæritur ultimo loco, qualis debeat esse præsentia parochi in matrimonio. (Quæ de parocho dicuntur, etiam de testibus requisitis ad validum matrimonium contrahendum, ob æqualitatem rationis dicenda sunt.)

Sola *physica* præsentia Parochi non sufficit ad contrahendum matrimonium. S. Congr. in *'Romana'* 6. Martii 1700.

Pariter valide non contrahitur matrimonium si Parochus quidem adfuerit, nihil tamen vidit aut audivit eorum quæ agebantur. Hinc præsentia Parochi debet esse *moralis vel formalis*.

97. Verum si Parochus dum matrimonium contrahitur, casu, et aliud agens, vidit et audivit duos coram se matrimonium contrahere, matrimonium valet, licet suam auctoritatem non interponat.

Immo valet matrimonium quamvis Parochus effectet ignorantiam, vel sit invitus et compulsus per vim, studeatque sese retrahere a quavis comparticipatione actus; dummodo Parochus intelligat coram se fieri matrimonium inter duas determinatas personas, ejus assistentia sufficiens reputatur pro validitate ejusdem.

98. Quare Parochus merito dicitur testis *auctorabilis*, seu *qualificatus*, cujus præsentia moralis necessaria est ad valide matrimonium contrahendum. *Cfr. Responsa S. Congr. data Episcopo Giennensi 1581, lib. Decret. p. 59, relata a Giraldi loc. cit. circa finem.*

Titulus IV.

De sponsa duorum.

1. Ut aliqua mulier dici possit vere *sponsa duorum*, debet concurrere matrimonium mulieris ipsius cum duobus viris. Triplex casus fingi potest, 1°. de matrimonio quod concurrat cum alio matrimonio, 2°. de matrimonio quod concurrat cum sponsalibus, 3°. de sponsalibus, quæ cum sponsalibus concurrant.

2. Relate ad primum casum, certum est post legem Evangelicam, matrimonium considerari ceu contractum *unius cum una*. In conjugibus enim fit plena traditio mutua juris in corpora, juxta illud Apostoli *'non habet vir potestatem corporis sui, sed mulier,'* et viceversa. Hinc condemnatur tum simultanea polygamia, tum polyandria.

3. Et quidem simultanea polyandria qua mulier simul retinet plures viros, legi naturali adversari videtur; opponitur enim præcipuis finibus matrimonii. Experientia siquidem docet, polyandriam opponi procreationi filiorum, quatenus difficilior saltem sit completa et physice ordinata generatio prolis. Absque autem dubio opponitur legitimitati et adsignationi prolis et destruit vel maxime imminuit obligationes parentum circa educationem filiorum. Incertum enim est cujus patris sit nata proles. Hinc penes cultas omnes nationes, ex instinctu naturali, reprobatur et excluditur effrenata cupiditas mulierum, simul habendi plures viros, et solum hoc nequitiæ monstrum aliquando viguit penes barbaram aliquam gentem.

4. Simultanea polygamia verificatur quando vir plures simul habet uxores.

Si ad fidem attendamus, habemus dogmaticum decretum Tridentini, in sess. 24. *De Ref. matrim. c. 2.* 'Si quis dixerit licere christianis plures habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.'

5. Quærunt doctores qua lege divina interdicatur polygamia.

Adsunt aliqui doctores, qui dicunt, lege ipsa naturali polygamiam prohiberi, quia ex lege ipsa naturali scimus jus uni traditum, alteri concedi non posse.

6. Verum contra hanc opinionem objici potest factum veterum Patriarcharum inter quos erant etiam sanctissimi viri, quique tamen plures retinebant uxores. Et quidem ita loquitur S. Scri-

ptura, ut non solum videatur tolerata inter Hebræos polygamia, sed etiam fuerit plene permissa. Præsertim afferri potest factum David, cui Natan Propheta visus est asserere Deum ipsum plures Davidi dedisse uxores. Huic animadversioni hujus sententiæ patroni respondent, Deum dispensasse in lege naturæ, quæ polygamiam prohibet. Cum vero objiciatur immutabilitas legum naturalium, respondent, Deum quidem non posse dispensare in legibus naturalibus primariis et fundamentalibus, dispensare vero posse, in præceptis secundariis. In quæ præcepta venit etiam illud prohibens polygamiam.

7. Alia sententia tenet 'polygamiam non interdici jure naturali, sed jure positivo Dei intimato ipsis protoparentibus, statim ab ipso exordio societatis conjugalis'.

Hæc sententia probabilior esse videtur. 1°. Enim Polygamia non videtur absolute et essentialiter opponi finibus principalibus matrimonii. 2°. Cum certum sit factum permissionis, seu dispensationis datæ Patriarchis, plures simul retinendi uxores, hæc dispensatio non bene componitur cum jure naturæ. Nam in proprie dicto jure naturali non datur dispensatio. Jus enim naturale fundatur in essentiis rerum, quæ, cum dicant relationem immediatam cum æterna Dei ratione, immutabiles sunt.

8. Quare potius dicendum polygamiam vetitam non esse jure naturali, sed prohiberi ex positiva Dei voluntate, qui inter homines instituit matrimonium ita ut duo essent *una caro, Gen. II.* Quæ lex intimata Adamo omnes ligavit. Hinc in Patriarchis et in populo Judaico necessaria fuit dispensatio Dei, ut licita esset polygamia.

9. Hanc vero dispensationem sustulit Christus Dominus, cum revocavit matrimonium ad pristinam institutionem, *Mth. XIX.*, et illud assumpsit ad significandam Incarnationem suam, idest conjunctionem spiritualem cum Ecclesia, *Eph. V.* Hinc posito matrimonio, positaque consummatione per quam vir et mulier fiunt una caro, novum matrimonium neuter ex conjugibus sive licite, sive valide, altero vivente contrahere potest, ob impedimentum dirimens quod *ligaminis* appellatur.

10. Quid vero dicendum si prius matrimonium fuerit solummodo *ratum*, et deinde novum matrimonium celebretur et *consummetur?*

Hanc quæstionem resolvit Alexander III. in c. 3. h. t., ubi quærenti Archiepiscopo Salernitano respondit, primum matrimonium valere, et matrimonium secundum nullius esse valoris, sive prius matrimonium fuerit juramento firmatum, sive non. Ratio est quia nuptias facit *consensus*, non vero *concubitus*. Consonat cap. 31. *De sponsalib. et matrim.* Ex qua doctrina sequitur, impedimentum ligaminis oriri etiam ex solo matrimonio rato, et non consummato. Quia per matrimonium ratum traditur jus mutuum in corpora, et per contractum perficitur sacramentum, quod ipsi contractui legitimo addit robur indissolubilitatis. Quamvis enim plena ratio significationis unionis Christi cum Ecclesia verificetur in consummatione matrimonii rati, tamen in ipso contractu matrimonii, quoniam traditur verum et integrum jus in corpora, idest jus ad consummationem matrimonii, vera et realis ratio significationis unionis Christi cum Ecclesia, idest ratio sacramenti, merito agnoscenda est.

11. Verum Alexander ingerit dubium in postremis verbis capitis, cum insinuat aliquos prædecessores suos aliter aliquando judicasse, quasi nempe diceret, ab aliquibus Romanis Pontificibus non fuisse agnitum impedimentum ligaminis, ortum ex matrimonio tantummodo rato.

12. In explicatione hujus pericopes in varias abeunt Doctores sententias, Covarruvias 2. p. *De matrim. cap. 8. §§ 34.* Barbosa *de Jure Ecclesiastico lib. 1. c. 2. n. 61.* et alii tenent, ante Alexandri III. Pontificatum, et ipsius Pontificatus tempore visum fuisse aliquibus, posterius matrimonium consummatum præferri debere priori matrimonio dumtaxat rato. Invocabatur enim principium *'Vinculum fortius destruit vinculum minus forte'*. Unde in Anglia in diœcesi Matinensi, prout eruitur ex cap. ult. h. t. et in aliis etiam regionibus inoleverat consuetudo ut matrimonium ratum dissolveretur, per matrimonium posterius consummatum. Hinc in Tribunalibus ob variam opinionem, etiam diversitas sententiarum quandoque apparuit. Nondum enim per definitionem Concilii, vel Romani Pontificis quæstio *abstracte* et *dogmatice* soluta fuerat. Quare nil mirum si in re dubia et arbitrali, aliqui forsan Romani Pontifices, non quidem condentes legem generalem, aut solemniter ferendo sententiam, sed *in casu aliquo speciali, juxta privatam opinionem, et potius tanquam privati Doctores in facto*, tenuerint prius matrimonium ratum cedere

alteri consummato per copulam. Merito igitur Alexander potuit dicere ab aliquibus suis prædecessoribus aliter judicatum fuisse. Hanc sententiam communiorem appellat Gonzalez in notis isti capiti appositis.

13. Sed contra hanc opinionem observari potest. Utique aliqui Doctores et aliqua consuetudo tenebat matrimonium consummatum posterius solvere vinculum matrimonii solummodo rati anterioris. Attamen non constat hanc sententiam tenuisse ipsos Romanos Pontifices. Nam in antiquis collectionibus Canonum, nulla reperitur Epistola Decretalis, ex qua pateat Romanum Pontificem in judicandis quæstionibus propositis huic opinioni adhæsisse. Id confitetur in cit. loco ipse Gonzalez ejusdem sententiæ patronus.

14. Immo vera indissolubilitas agnita fuerat in Ecclesia Romana in matrimonio rato et non consummato. Nam invaluerat hoc principium *'Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas'*, quod traditur in *can. 8. causæ 27. q. 2.;* cui consonat can. 2. ejusdem q. et causæ, qui desumptus est ex cap. 3. Responsionum Nicolai I. ad consulta Bulgarorum.

Insuper Innocentius III. in c. ult. h. t. reprobans consuetudinem, qua matrimonium posterius consummatum, præferebatur anteriori solummodo rato, eam rationem affert, ne turpis sit pars, quæ suo universo non congruit, simulque inculcat ut Ecclesia Mutinensis debeat sequi quod Sedes Petri docet et tenet. Ergo Romana Ecclesia docebat matrimonium ratum antecedens prævalere posteriori etiam consummato.

15. Insuper decisio quæstionis licet attingat factum speciale, facienda tamen est juxta principia theoretica doctrinæ; hinc naturaliter relationem dicit ad dogma, atque proinde non adeo facile præsumi debet error Romanorum Pontificum in eadem decisione edenda.

16. Altera opinio est eorum qui dicunt, Romanos Pontifices ante Alexandrum III. non definivisse quæstionem *in abstracto, sed de facto* in aliquibus quæstionibus propositis solvisse vinculum matrimonii antecedentis et per dispensationem *in radice* sanasse defectus secundi matrimonii consummati. Siquidem certum est Romanos Pontifices utrumque facere posse. Quoad enim primum, certum est, vinculum matrimonii dumtaxat rati debilius esse præ illo matrimonii consummati, quia absoluta indissolubilitas propria est matrimonii rati et consummati, in quo verificatur completatio

signi seu sacramenti, cui proinde merito applicatur sententia Christi Domini *'quod Deus conjunxit, homo non separet'*. Hinc Romani Pontifices prædecessores Alexandri III. potuerunt solvere vinculum matrimonii rati et ad id faciendum sufficientes rationes habuerunt, tum ut repararetur damnum illatum alteri conjugi ex consummatione matrimonii, et proli fortasse inde enatæ, tum ut scandalum evitaretur, quod ex separatione conjugum ortum fuisset. Quod vero possit matrimonium in radice sanari a Rom. Pontifice, patet ex eo quod nihil impedit, quominus per fictionem juris, dispensatio retrotrahatur ad tempus usque contracti matrimonii.

17. Verum hæc etiam opinio admittenda non videtur; quamvis enim non repugnet, ita peragere potuisse Romanos Pontifices prædecessores Alexandri III. quemadmodum in hac sententia supponitur, tamen præsumi nequit rem reapse taliter se habuisse. Nam 1°. illis temporibus penes Doctores clara et recepta non erat persuasio de potestate Romani Pontificis solvendi vinculum matrimonii rati, et non consummati, forsitan quia rarissimi erant casus hujus dispensationis. Quando autem potestate Romani Pontificis matrimonium ratum solvebatur, non dicebant Doctores Romanum Pontificem dispensasse, sed potius declarasse nullum fuisse matrimonium celebratum. Hinc quoniam quæstio nondum plene resoluta fuerat, quomodo contingere potuit, ut a quibusdam Rom. Pontificibus aliter judicatum fuerit, idest dispensatum fuerit in priore matrimonio solummodo rato? Deinde 2°. admitti nequit solutio relate ad posterius matrimonium. Nam sanatio in radice quæ datur a Rom. Pontificibus non conceditur quando impedimentum dirimens est juris divini, sed solummodo quando est juris Ecclesiastici. Jam vero impedimentum ortum ex priore matrimonio rato est juris divini, procedens nempe ex divina institutione. Ergo sanari non poterat in radice secundum matrimonium. Quare dici nequit prædecessores Alex. III. aliter judicasse de duobus matrimoniis in sensu sententiæ expositæ.

18. Tertia sententia ita se habet. Non alia fuit Alexandri III. et suorum prædecessorum opinio de matrimonio dumtaxat rato in concursu cum matrimonio posteriore consummato; dixit vero Alexander aliter judicasse suos prædecessores quia ipsa difficultas proposita ab Archiepiscopo Salernitano hanc responsionem exigebat. Et sane, quando quæstio de concursu matrimonii consummati cum matrimonio solummodo rato præcedenti proposita simpliciter est,

Romani Pontifices invocarunt principium '*Matrimonium facit consensus, non concubitus*', quin aliquid adderent. Ita in 1ª. collect. Canonum capp. 4. et 6. Sed cur dixit Alexander III. aliter judicatum fuisse a suis prædecessoribus? Quia ita exposcebat difficultas proposita ab Archiepiscopo Salernitano. Videlicet Archiepiscopus videns, aliquando Romanos Pontifices prætulisse secundum matrimonium consummatum, priori solummodo rato, interrogavit quid esset sentiendum. Alexander cathegorice respondit, primum matrimonium præferendum esse posteriori, quamvis aliqui Romani Pontifices aliter judicavissent ob peculiarem rationem facti.

Quænam vero fuit hæc ratio? Respondemus aliquando ista quæstio eisdem Rom. Pontificibus proposita fuit, ut plene constaret de celebratione secundi matrimonii, non vero constaret eodem modo de celebratione primi, et proinde admiserunt secundum matrimonium consummatum, excluserunt prius quod asserebatur solummodo ratum fuisse. Hæc hypothesis præsertim verificari poterat temporibus Alexandri III., cum nempe inter fideles contraheretur matrimonium clandestinum, quod difficilis erat probationis. Hæc explicatio non habet positivum fulcrum in Decretali Alexandri III., sed tamen nihil contra se habet; apte autem et sufficienter explicat loquendi modum Pontificis.

Ex quibus omnibus patet impedimentum ligaminis oriri ex præcedente matrimonio, sive illud fuerit ratum et consummatum, sive fuerit solummodo ratum.

19. Quæritur quænam pœna ab eo incurratur qui post initum matrimonium, eo. existente aliud attentat, idest quænam pœna statuta sit contra polygamos.

Pœna quæ antiquitus vigebat exhibetur in cap. 2. h. t. et reducitur ad congruam pœnitentiam duraturam per septennium. Sed pœna hæc cessavit. Publicata autem est constitutio Urbani VIII. '*Magnum*' 20. Junii 1637. In hac constit. statuit Pontifex, fidelem, qui constante primo matrimonio aliud contrahere attentaverit, denunciandum esse S. Inquisitioni ceu suspectum de hæresi, et damnandum esse ad triremes, tradendumque esse Curiæ sæculari, ut pro gravitate delicti pœnis etiam gravioribus subjiciatur.

Hæc autem constitutio quasi ad terrorem incutiendum edita, non videtur in usu recepta fuisse in Ecclesia. Sane vix decennio post editam eandem Constitutionem Congr. S. Inquisitionis interrogata ab Archiepiscopo Beneventano, qua pœna puniendi essent

polygami, a. 1647 respondit *'Polygamorum pœna, si falsos testes ad suum liberum statum comprobandum non induxissent, post abjurationem de vehementi solet esse damnatio ad triremes per quinquennium, si vero induxissent, per septennium. Falsi testes ipsi quoque damnantur ad triremes per quinquennium, aut brevius tempus pro delicti sui gravitate'*. Cf. Ben. XIV. De Syn. Diœc. lib. 9. c. 6. n. 8. Hæc dicta sint de concursu matrimonii posterioris cum matrimonio anteriori.

20. Secundus casus considerandus in titulo est de concursu sponsalium cum matrimonio, qui concursus dupliciter verificari potest. Scilicet agendum est 1°. de concursu antecedentium sponsalium cum matrimonio subsequenti, 2°. de concursu sponsalium cum præcedenti matrimonio.

In hoc secundo casu, ut quisque videt, nulla occurrit difficultas. Nam procul dubio matrimonium præexistens dirimit sponsalia subsequentia.

21. Consideremus igitur primum casum.

Quæstio quæ ex isto casu potest oriri, solvitur a Gregorio IX. in c. 31. *De sponsalib. et matrim.*, in quo traditur matrimonium contractum post sponsalia validum esse, non obstantibus sponsalibus. Sponsalia igitur quamvis *illicitum* posterius matrimonium efficiant, illud tamen non dirimunt. In Jure enim distinguitur promissio a traditione. Quando jus alicui est promissum, et deinde alteri traditur, jus cedit ei cui traditum est. A pari in re nostra, plus valet traditio juris in corpus, quam promissio juris ipsius, idest matrimonium prævalet sponsalibus.

Neque dicant non posse alteri tradi, quod est jam alicui tertiæ personæ obligatum, nam obligatio hujusmodi est obligatio justitiæ, quæ proinde actum contrarium illicitum quidem reddit, non autem elidit, præsertim cum justitiæ læsio proprie nihil aliud exigit quam congruam reparationem, quæ reparatio potest etiam aliquo modo sufficienter componi cum statu conjugali. Qui enim frangens fidem datam in sponsalibus, matrimonium cum tertia persona contraxit, non repugnat posse reparare conveniente satisfactione injuriam irrogatam personæ cum qua contraxit sponsalia ex. gr. solutione dotis convenientis.

22. Igitur valet matrimonium posterius in concursu cum sponsalibus præcedentibus. At exceptio principium hujusmodi limitat: nisi ex sponsalibus oriatur *impedimentum publicæ honestatis.*

Quid est impedimentum publicæ honestatis? Quamvis solummodo per matrimonium consummatum fiat una caro inter virum et mulierem et per consequens gignatur proximitas sanguinis, inter unum conjugem et consanguineos alterius, tamen quædam propinquitas inter easdem personas oritur etiam, quando tractatus fit matrimonii, vel per contractum matrimonii de præsenti, vel per promissionem de futuro. Hinc ex publica morum honestate visum est indecens esse matrimonium, quod contraheretur ab una ex partibus, quæ tractatum matrimonii inter se habuerunt, cum consanguineis alterius partis. Quia licet non vera affinitas ex tractatu matrimonii oriatur, tamen aliqua animorum conjunctio, et proximitas personarum inducitur.

23. Quare a Jure civili Romanorum *legg. 6. et 8. §§ De gradib. et affinit., et leg. 8. cod. De incest. nuptiis* inductum est, et a legislatione Ecclesiastica recognitum, impedimentum quod vocatum est *'publicæ honestatis'* quasi nempe requisitum, ab honestis populi Christiani moribus. — De hoc impedimento agitur *in cann. 11. 14. caus. 27. q. 2. in Decret. In capp. 4. et 8. De spons. et matrim., in cap. un. eodem tit. in VI., necnon in cap. 3. sess. 24. De Reform. matrim. Trident.*

Hoc impedimentum in eo consistit, ut positis inter duos sponsalibus, vel matrimonio simpliciter rato, vir contrahere nequeat matrimonium cum consanguineis mulieris, mulier nequeat contrahere matrimonium cum consanguineis viri.

24. Impedimentum hujusmodi est dirimens, et quidem jure antiquo matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum, sive ortum habuisset ex sponsalibus, sive ex matrimonio rato, oriebatur etiam impedimentum ex sponsalibus et matrimonio invalidis, dummodo invalida non fuissent ex defectu consensus, quia posito consensu locum habuerat conjunctio animorum, et proximitas personarum, ex qua procedit ratio impedimenti.

25. Et quoniam in constituendo hoc impedimento Ecclesia respexit ad propinquitatem personarum inductam tempore positi tractatus matrimonialis, impedimentum hujusmodi persistit et viget, quamvis tractu temporis, sponsalia quomodocumque solvantur, ex. gr. per mortem, per fornicationem, et etiam si solvantur mutuo consensu. Scilicet publica honestas constituit impedimentum perpetuum. Ita innuitur in cann. 11. et 14. citatis necnon *cap. 8. De spons. et matrim.* ubi dicitur absolute 'sponsam alterius nullus

consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare' sed magis manifestum fit ex declaratione S. Congreg. Concilii approbata ab Alex. VII. 6. Junii 1658.

26. Binas vero mutationes invexit Synodus Tridentina circa hoc impedimentum in loc. citato. 1°. Animadvertens Tridentinum Concilium dispositionem juris antiqui non posse observari absque incommodis, impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus, restrinxit ad primum gradum, sive linea recta sit sive obliqua. Hinc vir contrahere matrimonium non potest: cum matre, sorore, vel filia sponsæ suæ, sponsa autem nubere nequit patri vel fratri, aut filio sponsi sui.

27. 2°. Statuit Tridentinum impedimentum hujusmodi induci solummodo ex sponsalibus validis. Quare sponsalia invalida sive ex defectu consensus, sive ex quocumque alio titulo non gignunt impedimentum.

28. Ut determinetur quænam sint sponsalia valida, et quænam invalida in sensu Tridentini Concilii, sciendum est a Doctoribus distingui sponsalia ita ut alia appellentur *Ecclesiastica*, alia *civilia*, alia *clandestina*. *Ecclesiastica* sunt in quibus promissio futuri matrimonii exprimitur solemni aliquo modo coram Parocho et testibus; *civilia* ea sunt quæ celebrantur per publicum instrumentum, coram notario et testibus, ut legitima contractus probatio habeatur; *clandestina* sponsalia contrahuntur cum promissio futuri matrimonii exprimitur a partibus absque ulla solemnitate, et quandoque nullo adstante teste.

Ante Tridentinum Concilium, tum sponsalia, tum matrimonia mere clandestina valebant. Tridentinum vero in *cap. 1. sess. 24. De Ref. matrim.* correxit jus antiquum quoad matrimonium, nihil vero statuit relate ad sponsalia; ergo sponsalia remanserunt sub dispositione veteris juris, et proinde quacumque forma et quibuscumque verbis contrahantur, valent et per consequens sponsalia etiam civilia et clandestina, dummodo vitio aliquo non inficiantur, impedimentum publicæ honestatis producunt.

29. Et in specie quoad sponsalia clandestina seu occulta, habemus explicitam responsionem S. Pœnitentiariæ diei 10. Sept. a. 1834 in qua dictum est hæc sponsalia valere. Hinc eadem S. Pœnitentiaria juxta oraculum vivæ vocis prima vice datum a summo Pontifice Pio VI., mense Martio 1793, dispensat ab impedimento occulto publicæ honestatis, proveniente ex sponsalibus clandestinis

pro foro conscientiæ quamvis sponsalia fuerint mutuo sponsorum consensu rescissa. Quapropter si in foro externo sponsalia probari non possunt, impedimentum tamen subsistit in foro conscientiæ, illudque debent observare sponsus et sponsa.

30. Nec posset ex adverso objici ignorantia legum, quæ impedimentum dirimens oriri facit etiam ex clandestinis sponsalibus. Nam lex hæc est irritans, quæ omnes tangit dummodo in communitate sit sufficienter promulgata: ignorantia autem legis poterit excusare a culpa in legibus *præcipientibus* vel *vetantibus*, non potest arcere et impedire effectus legis *irritantis*, quæ inducta ob rationem generalem et in bonum societatis, si sufficienter communitati intimata fuerit, urget singulos de universitate, quamvis aliquis legem ignorat, vel quamvis pro eo non verificetur ratio aut periculum cui innititur lex.

31. Diximus secundo loco impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriri etiam ex matrimonio simpliciter rato.

Quæritur utrum dispositio Tridentina, quæ impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum coarctat, etiam applicari possit matrimonio rato.

Ex const. S. Pii V. *'ad Romanum' 1. Julii 1568 § sane*, deducitur tenendam esse sententiam negativam. Nam S. Pontifex adnotat Concilium Tridentinum adhibuisse vocabulum *sponsalium*, quod nonnisi improprie significare potest matrimonium ratum. Hinc in re odiosa, prout est correctio juris antiqui, sub nomine sponsalium intelligi nequit matrimonium ratum. Quare declarat et ab omnibus retineri jubet, impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato ortum, remanere sub dispositione antiqui juris, et valere in omnibus gradibus, et in omnibus casibus in quibus valebat ante Tridentinum Concilium. Et per consequens dicendum est, hoc impedimentum adhuc urgere, usque ad quartum gradum, illudque enasci etiam ex matrimonio nullo, dummodo nullitas non procedat ex defectu consensus, quemadmodum etiam declarasse Sacr. Congregat. Concilii refert Secretarius Lambertini in voto oblato eidem sacræ congregationi die 21. Nov. 1722.

32. Quibus positis, quæritur quid dicendum de matrimonio contracto ante annos pubertatis, in casu quo malitia non supplerit ætatem. Juxta dispositionem Innocent. III. in *c. 14. De despons. Impuber.*, contractus hujusmodi non valet tanquam matrimonium sed a Jure consideratur habere virtutem sponsalium, idest

consideratur ceu promissio de futuro matrimonio contrahendo. Igitur ex tali matrimonio oritur quidem impedimentum publicæ honestatis, sed illud coarctandum est ad primum gradum. Jus enim ipsum prævidit et explicavit intentionem contrahentium, qui cum non possent se invicem in præsenti tempore obligare, præsumuntur sese obligare voluisse pro tempore futuro.

33. Quæritur utrum et in qua extensione oriatur impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio nullo, ob *defectum formæ Tridentinæ* in locis ubi promulgatum est decretum *cap. 1. sess. 24. De Ref. matrim.*

Matrimonium clandestinum in locis ubi promulgatum est Concilium Tridentinum nullum certe est, immo neque tenet sub ratione sponsalium; et revera in casu invocari potest principium 'Qui agit contra legem nihil agit'. Atque ad ita sentiendum adducit etiam authentica interpretatio Tridentinæ dispositionis. Nam in causa 'Messanensi' et in alia 'Geracensi' cum quæsitum esset, utrum matrimonium contractum per puberes, absque præsentia Parochi, post publicatum Tridentinum decretum, resolveretur in sponsalia de futuro, ita ut pars reluctans cogi posset ad contrahendum solemniter matrimonium, responsum est *'negative'*. Refert istas resolutiones Bened. XIV. *in Inst. Eccles. 46. n. 23.* Quibus et alia conformis ejusdem S. Congreg. responsio addi posset data mense Martio 1587. Ex quibus conformibus responsionibus aperte infertur, in dubium revocari non posse principium superius expositum.

34. Ex quo principio inferunt aliqui cum Sanchez *De matrim. lib. 7. disp. 7. n. 13.;* ex matrimonio nullo ob impedimentum clandestinitatis non oriri ullo modo, neque ad primum gradum impedimentum publicæ honestatis, quia hoc matrimonium est sub omni respectu nullum. Idest consensus expressus in hoc matrimonio haberi debet ceu non positus, quia positus non est in forma juridica, et per consequens matrimonium dici debet nullum ex defectu consensus, ex quo etiam juxta jus antiquum, impedimentum publicæ honestatis non oriebatur.

35. Sed si res intimius consideretur videtur melior contraria sententia. Nam absque dubio partes in hoc contractu clandestino intendunt libere consensum ponere matrimonialem. Ergo consensus, revera adest ac proinde matrimonium si nullum est, non est nullum ex defectu consensus, sed ex defectu formæ substantialis.

36. Neque dici debet consensum in forma illegitima elicitum, nullum esse; nam nullus est utique ad obtinendum effectum ad quem dirigitur, scilicet ad ineundum valide matrimonium; non est autem nullus ad contrahendum impedimentum publicæ honestatis. Matrimonium nullum est enim ex defectu consensus, et proinde incapax ad producendum impedimentum publicæ honestatis, quando revera defuit consensus, vel ex vi et metu, vel ex errore. Hisce enim in casibus proprie dicitur nullum matrimonium ex defectu consensus. Atqui in matrimonio clandestino non deest consensus hoc modo. Ergo matrimonium clandestinum inducit impedimentum publicæ honestatis, ceu matrimonium simpliciter nullum.

37. Quæritur utrum *ex matrimonio civili* oriatur impedimentum publicæ honestatis.

Hæc quæstio incepit tractari a Doctoribus, postquam Legislatio civilis, Ecclesiæ vigilantiam et sapientiam spernens, in aliquibus regionibus propriam formam conjugalis contractus invexit. Quare quæstio hujusmodi proprie respicit loca in quibus Tridentinum Concilium publicatum est et servanda est forma Ecclesiastica in matrimoniis celebrandis. Procul dubio rationes non aspernabiles militare videbantur pro affirmativa sententia, sane sequentes fiebant animadversiones.

38. 1°. Habemus ex una parte civilem auctoritatem, quæ imponit suam formam in eum præcise scopum, ut subditi contrahant matrimonium; habemus ex alia parte ipsos contrahentes consensum exterius promere in ordine ad suscipiendas obligationes, et assequenda jura status conjugalis. Quare actus civilis sese offert sub specie contractus matrimonialis invalidi quia celebratur extra formam substantialem Tridentinam.

39. 2°. Ecclesia illum considerare videtur sub hoc respectu. Nam si post civilem contractum conjuges simul vivant ceu vir et uxor, nec alteruter eorum induci possit ad ineundum matrimonium coram Ecclesia, altera pars potest petere et assequi a S. Sede dispensationem *in radice*, qua nempe dispensatur circa impedimentum clandestinitatis, et effectus dispensationis retrotrahitur ad tempus initi civilis contractus. Igitur consensus positus coram officiali civili, consideratur saltem ceu consensus naturalis illegitime positus; scilicet civile matrimonium habetur, ceu matrimonium nullum, non quidem ex defectu consensus, sed ex defectu formæ Tridentinæ, idest ob impedimentum clandestinitatis. Unde dici

posse videbatur ex actu civili oriri impedimentum publicæ honestatis, tanquam ex matrimonio nullo.

40. At ex adverso animadvertebatur 1°. præsumendum esse fideles consensum suum coram magistratu civili, præstare juxta mentem Ecclesiæ, quæ est ut intentionem habeant conficiendi meram cæremoniam civilem. *(Bened. XIV. in Epistola ad Simonem Carmelitam.)*

2°. Matrimonium civile producere merum concubinatum, adeoque excludere omnem ideam conjugalis vitæ. Unde nullus effectus Ecclesiasticus oriri posse dicebatur ex actu civilis matrimonii.

41. Rebus sic stantibus S. Congregatio Concilii die 13. Martii 1879 quæstionem resolvit pro negativa sententia, quare prodiit sequens formale decretum, approbatum a summo Pontifice Leone XIII. in audientia diei 7. Aprilis ejusdem anni.

Decretum.

'Postquam laici legum latores, præter civiles et politicos effe-'ctus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari præsumpsere matri-'moniale fœdus, quod a Deo auctore naturæ ante omnem civilis 'societatis existentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem sacra-'menti dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum, quamlibet 'politicam et civilem jurisdictionem penitus excedit, pluries Epi-'scopi aliique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postu-'larunt, an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii 'nomen, impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriatur. Quæ 'postulationes cum iteratæ postremis hisce temporibus fuissent, 'Summus Pontifex mandavit ut hujusmodi negotium a S. Congre-'gatione Eminentissimorum ac Romanorum Cardinalium Concilii 'Tridentini interpretum, rite ac sedulo expenderetur. Sacra autem 'congregatio, exquisitis virorum in theologicis et canonicis discipli-'nis peritorum consultationibus, ac re matura discussa in generali 'comitio diei 13. Martii 1879 propositæ dubii formulæ *'An actus 'qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiæ 'publicæ honestatis'* rescripsit *'Negative, et consulendum Sanctissimo 'ut id declarare ac statuere dignetur'*.

'Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII., 'audita universa rei relatione, in audientia diei 17. ejusdem mensis 'in voto S. C. concedens per præsens decretum declarat ac statuit, 'præmemoratum actum, qui vulgo dicitur *matrimonium civile*, in

'locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1. 'De Reform. matrim.* sive fideles actum ipsum explentes intendant 'uti par est, (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum 'animo illud quantotius celebrandi) meram cæremoniam civilem 'peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem 'ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant 'matrimonium de præsenti contrahere, impedimentum justitiæ pu- 'blicæ honestatis non producere.

'Atque ita etc.'

42. Animadvertimus vero, præfati decreti virtutem coarctari ad solum effectum publicæ honestatis impedimenti. Hinc quoad reliqua nihil est innovatum. Unde ex. gr. S. Sedes etiam hodie concedere solet sanationem *in radice* matrimonii civilis, quemadmodum consueverat ante decretum.

43. Quæritur: Quid si quis post contracta sponsalia cum puella, matrimonium de præsenti contrahat cum sorore ejusdem?

Matrimonium hujusmodi est invalidum ob impedimentum publicæ honestatis. At ex hoc matrimonio nullo non oritur impedimentum in præjudicium præcedentium sponsalium, quæ adhuc valida remanent, quia impedimentum publicæ honestatis non operatur retrorsum. Ita in *cap. un. De spons. et matrim. in VI.* Hinc pars quæ matrimonium celebrare ausa est, poterit matrimonium contrahere cum altera parte, cum qua sponsalia contraxerat.

44. Tertius casus considerandus in titulo, juxta ea, quæ in principio tituli innuimus, respicit concursum sponsalium posteriorum cum prioribus sponsalibus.

45. Breviter de hac re dicimus, priora sponsalia servanda esse, et posteriora non valere *cap. 22. De spons. et matrim.* Nam argumento cap. 31. eod. tit. obligatio posterior in eodem ordine, ab alia contraria et æquivalenti obligatione priori prorsus excluditur, et proinde id quod uni promissum est, alteri promitti nequit.

46. Nec aliquid facit si secundis sponsalibus adjectum fuerit juramentum, nam juramentum obligationem non inducit in præjudicium tertii.

47. Pariter idem dicendum in casu, quo novis sponsalibus accesserit carnalis copula; scilicet priora adhuc valent sponsalia. Nam injuria quæ forte illata est per copulam, non mutat naturam obligationis sponsalium, et per consequens adhuc verificatur conflictus inter binas obligationes contrarias, et æquipollentes, in quo

conflictu prior tempore vincit. Supposita enim existentia cerfæ obligationis, non potest introduci alia obligatio ejusdem generis et ponderis contraria priori.

Titulus V.

De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus.

1. Consensus, per quem contractus perficitur, potest exprimi *pure* et *simpliciter, vel aliquid eidem adjici potest.*

Prima et præcipua adjectio, quæ contractibus accedit, est conditio, cujus notio est ut definiatur *'Adjectio quædam contractui apposita, obligationem suspendens in tempus vel in eventum futurum'*. Hinc *proprie* conditio non est quæ de præsenti, vel de præterito est, ex. gr. contraho tecum si es filia ducis. Hæc enim adjectio non suspendit obligationem, sed obligatio statim urget vel non urget, prout verificatur vel non id quod supponitur.

2. *Improprie* autem hæc adjectio dicitur conditio, quia tempore contractus ignoratur, seu dubia est veritas cujusdam qualitatis, quæ principaliter intenditur in contractu.

Impropriis conditionibus accensetur etiam *conditio necessaria de futuro.* Quod enim certe eveniet, haberi potest uti præsens. Hinc in l. 9 ff. *'De novationibus'* dicitur *'Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, pure videtur stipulari'*.

3. Indoles vero proprie dictæ conditionis est, ut referat obligationem, in aliquem futurum eventum, ita ut voluntas non sit voluntas quoadusque eventus futurus non fiat præsens, sive ille sit *fortuitus,* seu *casualis,* sive sit *potestativus,* scilicet nostro arbitrio remissus.

Hinc in æstimanda conditione, eaque distinguenda ab aliis adjectionibus, constare debet contrahentes noluisse ratam habere obligationem, priusquam adjectio expleatur.

4. Conditiones dividuntur in *possibiles* et *impossibiles.* Possibilis est, quæ rerum naturalium ordinem non superat, secus dicitur impossibilis; quemadmodum esset quæ in legibus Romanis adducitur *'Si digito cœlum tetigeris'* quia vires nostras superat. Hinc in conditionibus potestativis possibilitas ex viribus agentis æstimatur.

5. Conditiones possunt esse *honestæ* vel *turpes.* Honestæ sunt illæ, quæ nulli legi, sive naturali, sive divino-positivæ, sive etiam

humanæ adversantur. Inhonestæ vel turpes illæ dicuntur, quæ sunt contra bonos mores vel leges.

6. Inter inhonestas conditiones nonnullæ sunt contra substantiam conjugii, quia bonis substantialibus ejusdem adversantur. Tria autem sunt bona conjugii substantialia, scilicet bonum prolis, bonum fidei, bonum sacramenti. Quare 1°. contra substantiam conjugii sunt conditiones, quæ adversantur bono prolis, ad cujus honestam procreationem ordinatur matrimonium, ex. gr. contraho tecum si prolem evites, si prolem occidas; 2°. contra substantiam conjugii sunt conditiones positæ contra bonum fidei seu fidelitatis observandæ a conjugibus. Nam cum matrimonium ordinatum sit ad individuam societatem unius cum una, ita ut vir non habeat potestatem corporis sui sed mulier et viceversa *(1. Cor. VII.)*, ex ipsa natura matrimonii fluit necessitas mutuæ fidei inter conjuges servandæ. Hinc esset contra substantiam matrimonii hæc conditio 'contraho tecum, dummodo te adulterandam quæstus causa tradas'. 3°. Substantiales turpes sunt conditiones, quæ bono sacramenti opponuntur. Ex ratione siquidem sacramenti exurgit vera indissolubilitas matrimonii christiani. Hinc si consensus alligaretur eventui futuro, ex quo dissolveretur matrimonium, conditio hæc esset contra substantiam ejusdem matrimonii ex. gr. contraho tecum donec inveniam aliam te ditiorem.

7. Quæritur utrum matrimonio adjici possint conditiones.

De matrimonio habemus cap. 5. h. t. Urbanus III. in hoc capite respondens in specie proposita de juvene, qui contraxerat sub conditione 'si pater consensisset', videtur hanc conditionem admittere, quamvis hæc conditio durior præ aliis sit. Est enim potestativa, arbitrio tertiæ personæ remittens exitum obligationis conjugalis contractus.

8. Verum ob incommoda, quæ inde advenerant, et advenire possunt ob suspensam obligationem, necnon ob incertam determinationem implementi conditionis, ex quo oriri possunt non paucæ dubietates et quæstiones, inductum est saltem in praxi, ut non admittatur celebratio matrimonii, in forma conditionata, nisi gravis ratio suadeat conditionalem consensum ponendum esse.

9. Quid vero dicendum si de facto matrimonium sub conditione celebratum fuerit?

Quoniam conditiones possunt esse honestæ et inhonestæ, possibiles et impossibiles, sermo sit, primo loco:

De conditionibus honestis et possibilibus.

Cum ea sit natura conditionis, ut in quolibet contractu obligationem suspendat, dicendum est matrimonium etiam sub honesta et possibili conditione initum non valere nec obligare, donec non adimpleatur conditio apposita. Ita communis Doctorum sententia, quæ evidenter infertur ex cap. 5. h. t. ubi Urbanus III. ait, juvenem qui sub conditione consenserat, non teneri ad matrimonium consummandum antequam verificaretur conditio, quia consensus non est de præsenti habendus, licet verbis de præsenti sit expressus.

Et revera. Consensus conditionatus duplicem dubitationem implicite secum trahit 1°. utrum matrimonium aliquando futurum erit; 2°. quandonam futurum erit matrimonium. Igitur illico post celebrationem matrimonium conditionatum obligare non potest.

10. Ex modo autem loquendi Urbani III. enascitur quæstio *'Utrum necne purificata conditione, eo ipso censeatur purificatus consensus, ita ut statim valeat matrimonium vel renovandus sit consensus.'* Et quidem Urbanus III. ait, conditionalem consensum non esse de præsenti habendum. Igitur ex sensu contrario videtur esse consensus de futuro, idest matrimonium conditionatum videtur æquiparandum esse sponsalibus; nec proinde obligare post completam conditionem, nisi novus accedat consensus.

In hac quæstione diversa est sentiendi ratio Theologorum et Canonistarum.

Theologi enim duce S. Thoma *Dist. XXIX. q. unic. art. 3. q. 3.*, tenent matrimonium conditionatum reduci ad contractum sponsalium de futuro.

11. Canonistæ autem adhærentes conceptui juridico contractus conditionati, tenent matrimonium conditionatum esse verum matrimonium, eo ipso quod conditio impleatur. Dispositio enim conditionata, adveniente conditione, pura redditur, et ex eo tempore perficitur perinde ac si ab initio pure facta fuisset. *Leg. II. § 1 ff. Qui potiores in pignoribus habeantur.*

Accedit ratio ex cap. 5. h. t. Nam Urbanus III. ait juvenem non teneri ad matrimonium consummandum, ante eventum conditionis; ergo, ex sensu contrario tenetur post eumdem eventum.

Verum hac in re quid theoretice sit tenendum, quidve in praxi servandum, deprehenditur ex resolutione S. Congreg. Concilii, quam fuse exponit Fagnanus in comm. ad cap. 5. h. t. numm. 4. et seqq.

12. Duo, Parocho adstante, et testibus contraxerunt matrimonium de præsenti sub honesta et possibili conditione. Purificata conditione quæsitum est an eo ipso matrimonium consisteret, vel renovandus esset consensus coram Parocho et testibus. Plerique Patres in congregatione dixerunt, renovandum esse consensum coram Parocho et testibus, quia Concilium Tridentinum videtur locutum fuisse de matrimonio perfecto per verba de præsenti, cum requisivit præsentiam Parochi in matrimonio. Ergo cum in matrimonio sub forma conditionata non de præsenti, sed potius de futuro agatur, præsentia Parochi et testium iterum requiritur quando consensus de futuro fit de præsenti per ratihabitionem primi contractus.

Res delata est S. Pio V., qui visus est probare sententiam canonistarum, quæ tenet purificata conditione, non esse renovandum consensum coram Parocho, nec difficultatem ex Concilio Tridentino ad rem facere.

13. Quæstio iterum proposita est in S. Congr. Concilii, et Patres omnes, præter unum, canonistarum sententiæ adhæserunt.

Resolutio relata est Clementi VIII., qui visus est dubitare, quia licet ante Tridentinum Concilium matrimonium contractum absque ulla solemnitate valuisset, et proinde contractus conditionatus adveniente conditione natura sua transiisset in contractum purum et simplicem idest in verum matrimonium, tamen aliter tenendum esse videbatur, post inductam formam contractus conjugalis per Tridentinum Concilium. Nam ex una parte certum est requiri formam Tridentinam in matrimonio, ex altera parte non videtur posse attendi forma solemnis adhibita ab initio. Sane quando receditur a conditione, nulla solemnitas adhibetur; aliqua autem adhibenda esset solemnitas in resolutione contractus, si partes obligatæ censerentur solemnitate adhibita in celebratione matrimonii conditionati. Ex hac animadversione videbatur non esse sufficiens, prior consensus, sed novus necessarius videbatur iterum coram Parocho, et testibus exprimendus, respectu habito, ad id quod circa matrimonii formam Conc. Tridentinum statuerat.

14. Sacra autem Congregatio advertit, non verificari paritatem, inter casum quo receditur a conditione posita, et casum quo conditio expletur. In hoc enim secundo casu solummodo, juxta naturam contractus, prior solemnitas præsentiæ Parochi, et testium in celebratione matrimonii censetur virtute sua perseverare, usque ad

tempus adimpletæ conditionis. Ex hoc autem fit, ut consensus conditionatus fiat purus, et unicus defectus, qui in matrimonio existebat, idest suspensio obligationis, tollatur per adventum conditionis, idest suspensio obligationis disparet.

15. Summus Pontifex probavit decisionem S. Congregationis, in proposita causa, at noluit hanc decisionem omnibus casibus inservire posse, sed voluit omnes casus, qui forte accidissent in futurum, esse specialiter considerandos cum suis circumstantiis. En igitur norma.

16. Quæritur quid dicendum si matrimonio adjiciantur conditiones turpes simpliciter, vel impossibiles?

Huic quæstioni respondet cap. ult. h. t. ubi Gregorius IX. distinguens inter conditiones contra substantiam matrimonii, et alias licet turpes vel impossibiles, ait, matrimonium contractum sub aliqua conditione simpliciter turpi aut impossibili statim valere, et conditionem pro non adjecta haberi. Unde Doctores dicunt conditiones simpliciter turpes aut impossibiles *vitiare seipsas*, non autem vitiare matrimonium cui adjiciuntur. Sapiens quidem conclusio hæc est. Nam ex una parte salva est contractus substantia, cui non adversatur conditio apposita, ex altera parte favor matrimonii 1°. exigit ut pro sua sanctitate non alligetur turpi alicui eventui, a quo pendeat, et 2°. pro sua gravitate exigit ut non referat imaginem illusoriæ et ridiculæ negotiationis, prout est contractus alligatus conditioni impossibili. Hinc merito jus præsumit contrahentes, qui substantiam matrimonii lædere non intendunt, serio non posuisse conditiones simpliciter turpes vel impossibiles.

17. Hæc præsumptio juris, ut diximus, procedit ex favore matrimonii. Nam cum conditiones turpes vel impossibiles, aliis contractibus adjectæ, vitient ipsum contractum, e contra in matrimonio eædem conditiones vitiant seipsas. Favor hujusmodi inductus est in similitudinem causæ testamenti, et causæ libertatis, quæ causæ favorabiles esse in jure censentur, favor autem præcipue in eo consistit, ut jus præsumat in favorem causæ, quoadusque contrarium non demonstratur. Qui favor relate ad matrimonium expresse exhibetur, in cap. ult. *De sentent. et re judicata*, quod tradit, in dubio ad evitanda pericula animarum, quæ orirentur ex dissolutione matrimonii forsitan validi, semper præsumendum esse pro valore matrimonii.

Hinc in re nostra, quoniam qui ponit conditionem turpem vel impossibilem in matrimonio, incertum est utrum serio eas posuerit vel non, lex ipsa interpretatur voluntatem contrahentium, et statuit hanc fuisse sinceram quidem, et determinatam ad contrahendum matrimonium, non autem seriam fuisse relate ad conditionem.

Animadvertendum vero est hæc omnia procedere ex præsumptione legis ita interpretantis voluntatem contrahentium. Hanc autem præsumptionem haud esse juris et de jure, sed esse solum juris, quæ proinde probationem in contrario sensu non excludit. Id est si pateat consensum fuisse alligatum turpi conditioni aut impossibili, ob non verificatam conditionem, matrimonium, quod in consensu consistit, non sustinetur.

18. Quid vero si conditiones adjiciantur matrimonio contra substantiam ejusdem?

In eodem cap. ult. h. t. Gregorius IX. tradit matrimonium esse nullum. Hinc Doctores dicunt, conditiones contra substantiam matrimonii vitiare matrimonium et non vitiare seipsas. Quamvis enim causa matrimonii sit maxime favorabilis, adeo ut in dubio ipsum jus interpretetur dubium pro valore matrimonii, tamen ipse favor efficere nequit, ut supponatur existere contractum ubi revera et certo non existit. Idest lex potest interpretari voluntatem, ubi adsit dubitatio, non potest autem voluntatem ex integro fingere et creare, ubi non adest prorsus.

Jamvero quando contractui matrimonii adjicitur conditio contra substantiam ejus, contractus non existit, nam non existit voluntas contrahendi. Qui enim vult aliquid contra substantiam contractus, non vult contrahere: censetur enim in mente habere objectum toto cœlo diversum ab eo circa quod consensum exterius exprimit. Ergo in hypothesi, deest reapse consensus, ac proinde matrimonium non valet.

19. Quæritur an conditio illa *'Si prolem evites'*, sit semper contra substantiam matrimonii, et illud reddat nullum.

Hæc conditio in duplicem aliam conditionem resolvi potest; 1°. si prolem evites per nefas ex. gr. per procurationem abortus, vel per crimen onanismi; 2°. si prolem evites servando castitatem. Prior conditio est semper turpis et adversa substantiæ matrimonii, et per consequens matrimonium nullum reddit.

20. Secunda conditio honesta est. Verum, estne conditio hæc contra substantiam matrimonii?

Doctores nonnulli tenent non adversari substantiæ matrimonii. Nam 1°. distingui potest ipsum *jus et dominium in corpora, ab usu juris ipsius.* Per matrimonium traditur jus, per conditionem contrahitur obligatio non utendi jure, vel juxta aliquos, in matrimonio sufficit si tradatur *jus remotum et radicale* ad prolem gignendam, non autem requiritur ut tradatur jus *proximum* et *expeditum.* Exemplum adducunt de pupillo, qui utique dominium verum acquirit, illud autem non obtinet expeditum.

2°. Adsunt exempla piarum personarum, quæ ligatæ erant voto perpetuæ virginitatis servandæ, quæ proinde vel contraxerunt cum conditione servandæ virginitatis, vel sese exposuerunt periculo votum violandi. Cum hoc alterum nequeat supponi, primum tenendum est.

Ergo valet tale matrimonium.

21. Aliorum sententia est, conditionem servandæ castitatis, si deducatur in pactum contractus conjugalis, adversari substantiæ matrimonii. Nam per hanc conditionem vir abdicat a se potestatem in corpus mulieris, et vicissim mulier abdicat a se potestatem in corpus viri, et formula contractus hæc esset: Trado tibi jus quod non recipias, quæ formula certe contractum destruit. Hinc renunciatio expressa et absoluta *usus* potest utique fieri *post acceptum jus,* quin contractus destruatur, quia contractus jam est celebratus, si autem fiat in ipsa contractus celebratione, contractus non perficitur. Nec valet exemplum pupilli, quia interdictio exercitii juris non est absoluta et perpetua, sed est temporanea, nec repugnat aliquem posse recipere jus, quod illico non exerceat.

22. Quoad vero matrimonia celebrata a piis personis obstrictis voto perpetuæ castitatis (non loquimur de voto solemni in sensu juris, quod matrimonium dirimit), adverti potest, propositum seu promissionem, servandi castitatem, antecedens matrimonium, non officere valori contractus, dummodo expresse non deducatur in pactum. Nam contractus celebratus absque adjecta conditione habetur uti absolute celebratus, et constans omnibus suis essentialibus elementis. Hinc revera locum habet plena traditio juris. Solummodo pars quæ castitatis voto ligatur, sese exponit aut saltem sese exponere potest periculo violandi votum, et ex hoc capite matrimonium est *illicitum.*

23. Sed si conjux qui voto ligatur ex divina revelatione sciat alium conjugem non esse usurum jure, quod recipit, poterit non

solum *valide* sed etiam *licite* matrimonium contrahere, atque ita explicatur quomodo inter Beatissimam Virginem, et S. Josephum extitit verum et licitum matrimonium non obstante voto virginitatis præexistente ipsius Sanctissimæ Virginis Mariæ. Ita S. Thomas *in 4. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. et Bened. XIV. De Syn. lib. 13. c. 22. præsertim num. 9. et seqq.*

24. In hoc capite 22. fuse pertractat Pontifex quæstionem circa valorem matrimonii Calvinistarum cum illa conditione: 'Accipio te et juro quod non deseram, donec in honestate permanseris' et docet matrimonium valere si conditio hæc expressa non fuerit in contractu; non valere autem, si fuerit expressa. Ratio secundæ partis apparet ex eo quod dissolubilitas in casu adulterii est contraria substantiæ matrimonii quod est perpetuus contractus. Hinc deducta in pactum, matrimonium irritat. Ratio autem primæ partis est quia quicumque contractum vult, et simpliciter exprimit consensum, vult necessario substantiam contractus ipsius et quamvis contrahentes versentur in errore dissolubilitatis ex capite adulterii, tamen cum intendant contrahere matrimonium quod Christus instituit, præsumuntur implicite voluisse completam perpetuitatem contractus.

Animadvertit vero Pontifex in Ritualibus Calvinianis ita formam matrimonii exprimi, ut dissolubilitas ex capite adulterii procul dubio ceu conditio ingrediatur ipsam celebrationem contractus.

Quare ceu principium statui potest, intentionem contrariam substantiæ matrimonii deductam in pactum, matrimonium ipsum nullum reddere prout etiam Congregatio S. Officii pluries declaravit, cujus resolutiones legi possunt penes Benedictum XIV. loc. cit. n. 8.

25. Non autem intentione ista matrimonium invalidari si solummodo in mente extiterit, nec deducta fuerit in pactum contractui adjectum.

De conditionibus appositis in sponsalibus.

26. Communis sententia est, conditiones adjici posse sponsalibus. Nullibi enim in jure interdicitur sponsalium conditionatus contractus. Hinc invocari potest adagium glossæ *in cap. 2. De transl. Episcopi v. 'Non invenitur'* 'Concessum intelligitur quod expresse non prohibetur'. Effectus conditionis in sponsalibus idem erit, ac est in aliis contractibus, ut scilicet obligatio non enascatur ante completam conditionem.

27. In specie autem de sponsalibus conditionatis dicendum est ex ipsis non oriri impedimentum publicæ honestatis, antequam conditio implementum suum habuerit. Ita expresse docet Bonifacius VIII. *in cap. un. De spons. et matrim. § 'Ille vero'*. Notat enim Pontifex conditionatum consensum ante purificatam conditionem non esse verum consensum. Quare jus pendente conditione non agnoscit illam conjunctionem animorum inter sponsos, ex qua exurgit justitia publicæ honestatis.

Quæ dicta sunt de sponsalibus conditionatis intelligenda sunt in hypothesi, quod apponantur conditiones honestæ et possibiles. Istæ enim revera suspendunt obligationem.

28. Quid vero si apponantur conditiones inhonestæ vel impossibiles?

Procul dubio conditiones contra substantiam matrimonii reddunt nulla sponsalia. Nam qui non vult contrahere matrimonium, aliquid intendens contra substantiam ejus, nec præsumitur se velle obligare ad illud contrahendum de futuro.

Eadem porro conclusio tenenda est si sponsalibus accesserint conditiones vel simpliciter turpes vel impossibiles, ita scilicet ut contractum ipsum vitient, nullumque reddant. Nam sponsalia veniunt sub censu aliorum contractuum, qui a conditionibus turpibus vel impossibilibus nullius roboris fiunt. Quod enim de futuro est, non potest sub hisce conditionibus promitti.

29. Neque obstat ratio deducta ex matrimonio, nam favor juris concessus matrimonio non legitur concessus sponsalibus. Quæ proinde remanent sub dispositione juris communis contractuum cæterorum.

30. Quæritur utrum valeant sponsalia contracta inter personas impedimento Ecclesiastico ligatas sub conditione *'Si Pontifex dispensaverit'*; ita ut illico post datam dispensationem, transeant in absoluta sponsalia.

31. Scinduntur Doctores in duas sententias. Qui dicunt sponsalia in hypothesi esse valida duo requirunt; 1°. ut impedimentum sit juris Ecclesiastici; 2°. ut hoc impedimentum tale sit, de quo soleat Pontifex dispensare, si enim dispensatio non soleat concedi, conditio induit indolem conditionis impossibilis, cui consensus alligari nequit.

Porro datur impedimentum, in quo dispensatio non conceditur uti est impedimentum affinitatis ex copula licita, in primo gradu

lineæ rectæ. Quibus positis sponsalia sub conditione: *si Pontifex dispensaverit,* censentur esse inita sub conditione honesta et possibili. Ergo purificata conditione obligant.

32. Alii autem tenent sponsalia hujusmodi esse invalida, et tunc solum valorem adipisci, cum post obtentam dispensationem, iterum consensu præstito firmentur.

Nos huic sententiæ assentimur. Ratio autem quæ ejus probat veritatem multiplex affertur.

1°. Quia conditio, *si Papa dispensaverit,* ceu aliena a jure communi et dependens a voluntate principis, habenda est juridice impossibilis, juxta *legg. 83. et 173. ff. De v. ob.* Hæc autem ratio quæ a fautoribus hujus sententiæ affertur, mihi non videtur probare; potius valet 2ª. et 3ª. ratio.

33. 2°. Quia contractus sponsalitius debet celebrari inter personas de jure habiles. Jam vero posita inhabilitate, quidquid a personis inhabilibus agatur, coram lege perinde habetur, ac si actum non esset. Sumatur exemplum contractus mulieris absque decreto judicis, ubi decretum judicis, habilitans requiritur. Hinc existente impedimento, consensus non potest esse ullo modo legitimus sub forma conditionata, nec ullam parere potest obligationem ad contrahendum matrimonium. Quare ut valeant sponsalia, consensus sponsalitius renovandus est tempore habili, idest post obtentam dispensationem ab impedimento. Dispensatio enim quæ supervenit, reddit quidem personas habiles ad contrahendum matrimonium, sed non dirigitur ad sanandum defectum sponsalium jam contractorum. Idest respicit ad futurum non vero ad præteritum tempus, et ab epocha acceptæ dispensationis, personæ possunt sese obligare ad contrahendum matrimonium de futuro.

34. 3°. Si attendantur resolutiones S. Congregat. Concilii hoc idem probare videntur. Sane in causa 'Melutana' sponsalium die 22. Febr. 1862, species proponebatur duorum qui in secundo consanguinitatis gradu constituti, sponsalia inierant, et dispensatione expetita cognoverant Pontificem eorum precibus adhæsisse, onere tamen imposito oratoribus, sese ab invicem per mensem separandi, et bis pœnitentiæ tribunal adeundi; separatio facta est in obsequium Pontificiæ auctoritatis. Viro autem inde renuente, datam sponsalitiam fidem observare, proposita est quæstio de impedimento sponsalium, et responsum est sponsalia illa valorem juridicum non habuisse.

35. Insuper præter alias adduci potest resolutio in causa 'Januensi' sponsalium diei 12. Decemb. 1733 in qua cum ageretur de sponsalibus initis inter personas quarto gradu consanguinitatis conjunctas, et juramento firmatis, animo et spe obtinendi dispensationem a Romano Pontifice, et quamvis a Pontifice obsignata jam fuisset dispensatio, tamen Sacra Congregat. respondit, sponsalia esse nulla, nec mulieri pro valore sponsalium pugnanti profuit dicere, virum non ignorasse dispensationem fuisse obsignatam a Pontifice die 15. Julii, et sponsalia confirmasse subsequenti die 20. Julii; nam satis fuit, viro opponere, exceptionem qua dixit literas Apostolicas exhibuisse, non gratiam factam, sed mandatum ad indulgendam dispensationem. Unde quando die 20. Julii vir rata habuit sponsalia, dici nondum poterat, dispensationem fuisse concessam.

Hæ sane resolutiones satis ostendunt mentem S. Congregationis fuisse, non retinendi ceu valida sponsalia inter personas inhabiles etiam contracta cum conditione, *Si Papa dispensaverit,* nisi post obtentam dispensationem consensus fuerit renovatus. Nam omnia parata fuerant, et partes dubitare amplius non poterant de exitu felici conditionis contractui adjectæ. Igitur pro ipsis uti purificata conditio censeri poterat. Et tamen uti nullius valoris declaratus est ipse contractus. Ergo non sufficit eventus conditionis ad confirmanda sponsalia hujusmodi, sed requiritur aliquid amplius, idest novus partium consensus post acceptam dispensationem emissus.

36. Scio ex adverso opponi, in nulla ex allatis causis fuisse propositum casum dispensationis jam expeditæ et executioni mandatæ, sed causas allatas exhibere ad summum dispensationem concessam per rescriptum in forma *commissoria* ab Ordinario executioni mandanda; sed tamen animadvertimus cum non agatur de executione facienda in via contentiosa post Pontificiam concessionem, executionem procedere *de plano,* et reduci potius ad negotium formæ, quam ad negotium juris.

Hinc post datas resolutiones eo res devenerant, ut si proponeretur S. Congregationi casus dispensationis jam plenæ expeditæ, et ab alterutra parte non fuisset renovatus consensus post acceptam et expeditam dispensationem, arbitramur S. Congregationem fore responsuram contra valorem sponsalium, et pro libertate contrahentium.

37. Hæc porro esse videtur œconomia S. Congreg. ut eliminet si fieri posset mores minus honestos, et periculis plenos, inter propinquas personas, etiam sub conditione futuræ dispensationis inceptos. Ea insuper videtur esse œconomia hodierna S. Congregat. ut ad evitandos malos exitus coactionis in materia conjugii, quo fieri possit, restringat legitimos contractus sponsalitios, nec tribuat valorem juridicum, non nisi illis sponsalibus de quibus nullum dubium oriri potest.

Hæc dicta sint de conditionibus. Præter conditiones contractibus adjici potest:

Modus, Demonstratio, Causa.

38. *Modus* est *'adjectio oneris, ad quod post contractum volumus obligare alterum contrahentem'*. Regulariter exprimitur per conjunctionem *Ut;* ex. gr. contraho tecum *ut* mihi utile opus procures.

Modus proprie distinguitur a conditione. Nam licet conditio possit etiam ipsa importare onus, quemadmodum est conditio potestativa, tamen conditio supponit contractum non perfectum, sed suspensum et imperfectum usque ad conditionis ipsius complementum; modus contra supponit contractum perfectum in suo esse. Hinc ajunt, modum gignere obligationem principalem, distinctam ab obligatione contractus, pro qua exigi poterit congrua cautio.

39. Quid si modus adjiciatur matrimonio?

Modus hic vel est contra substantiam matrimonii, vel est turpis simpliciter, vel est impossibilis, vel est honestus et possibilis.

Modus contra substantiam matrimonii nullum reddit ipsum matrimonium. Nam significat partes non bene sentire de substantia matrimonii, et unus censetur imponere, alter vero acceptare obligationem, quæ destruit ipsum contractum matrimonii, quare contrahentes merito præsumuntur, noluisse celebrare verum et genuinum contractum matrimonii. Exemplum adduci potest ex cap. ult. h. t. Illa enim conditio *'Contraho tecum donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem'* non est proprie dicta *conditio* sed potius *modus* contra substantiam matrimonii.

Modus simpliciter turpis aut impossibilis nullius est valoris, ac proinde matrimonium valet, nec obligatio inde exurgit, ad observandum adjectum pactum. Præsumuntur enim contrahentes non

serio modum contractui adjecisse. Modus honestus et possibilis observandus est.

40. *Causa* est *ratio ob quam quis contractum conficit,* et solet exprimi, per particulam causalem *quia.*

41. *Demonstratio* est affinis *causæ* et nihil aliud est quam *'expressio alicujus qualitatis, quæ supponitur in persona cum qua contrahitur'* ex. gr. contraho tecum *quæ* es filia Ducis.

Specificum discrimen inter causam et demonstrationem est, ut causa exprimat motivum quod impellit ad contrahendum, demonstratio vero indicit quænam sit intentio contrahentis, vel circa personam, vel circa qualitatem, quæ in mente versatur.

42. Ex qua notione patet falsam causam, vel falsam demonstrationem matrimonium irritare in duplici hypothesi, 1°. si error causæ vel demonstrationis sit substantialis, idest si sit error in personam vel si afficiat qualitatem, quæ in personam redundat; 2°. si falsa causa vel falsa demonstratio in conditionem transeant, idest si appareat consensum causæ vel demonstrationi fuisse alligatum tanquam conditio sine qua non.

Titulus VI.

Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.

I.

De Clericis.

1. Clerici in *sacris* ordinibus constituti, nec licite nec valide matrimonium contrahunt; eos enim Ecclesia inhabiles reddit ad contrahendum. Ita *in cap. 1. et 2. h. t. in cap. un. de voto in VI. et in can. 9. sess. 24. De Reform. matrim. Conc. Trident.* Hinc ordo major est impedimentum dirimens matrimonium ab Ecclesia inductum.

2. Quod si clericus in majori ordine constitutus, matrimonium attentaverit, juxta *cap. 1. De clericis conjug.* compelli potest per suspensionis et excommunicationis censuram, ad dimittendam mulierem et ad agendam pœnitentiam.

3. Ex dispositione capp. 1. et 2. h. t. nec non 4. *'De clericis conjug.'* clerici majores attentantes matrimonium fiunt irregulares. Quin immo juxta Clem. un. *'De consang. et affin'.* ipso facto incurrunt excommunicationem.

Ab hac excommunicatione et irregularitate inspecto jure communi potest Episcopus absolvere, si clericus vere resipuerit, et pœnitentiam egerit, dummodo non contraxerit cum vidua. *Capp. 1. et 2. h. t.; cap. 4. De clericis conjug., cap. ult. de Bigam. non ordin.*

Verum accessit praxis Sacræ Inquisitionis, quæ clericos majores matrimonium attentantes considerat et punit veluti suspectos de hæresi vel de *vehementi* vel *levi* juxta facti circumstantias. Hinc hodie non potest Episcopus dispensare, circa irregularitatem prædictam post peractam pœnitentiam.

4. Quid vero dicendum de excommunicatione?

Notamus in constitutione *'Apostolicæ Sedis'* inter excommunicationes latæ sententiæ Episcopo sive ordinario reservatas sub num. 1. decerni hanc pœnam contra clericos in sacris constitutos, matrimonium contrahere præsumentes, nec non contra omnes, cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes. Quare quoad excommunicationem absolutio potest ab Episcopo seu ab ordinario concedi.

5. Clerici in *minoribus* ordinibus constituti, licite et valide contrahunt matrimonium, at eo ipso privantur Ecclesiasticis beneficiis, si quæ habent. Factum enim ipsum consideratur ceu renunciatio clerici ipsius, qui amplectitur statum ab Ecclesia Latina, ceu incompatibilem consideratum cum divinis officiis et obsequiis, quibus clericus mancipatus esse debet. Unde nec requiritur declaratoria sententia judicis. Unde clericus illico decidit a jure percipiendi fructus beneficii sui. Deducitur hæc conclusio ex cap. 5. *De cler. conjugatis.*

Reliqua in tit. *De convers. conjug. De clericis conjug. De tempore ordination. et qualit. ordinandorum.*

II. De Voto.

6. Votum *solemne* irritat matrimonium quod post votum emissum contrahitur.

Votum autem *simplex* solummodo *illicitum* reddit matrimonium, *cap. 3. 4. et ult. h. t.; cap. un. 'De voto' in VI°. et can. 9. sess. 24. De Ref. matrim. Conc. Trid.*

7. Verum votum simplex duplici in casu matrimonium irritat, 1°. Votum castitatis emissum a muliere quæ consentit virum suum

fieri sacerdotem. Mulier enim hujusmodi, nec viro e vivis erepto matrimonium contrahere potest. *Can. Servatim. 13. Dist. 32. in Decreto,* quæ canonis dispositio ceu jus ab omnibus recipienda est, quemadmodum probat Sanchez *De matrim. Lib. 7. disp. 40. per totum.*

2°. Votum simplex ab Alumnis societatis Jesu emissum quoadusque ipsi in societate vivant, nec fuerint a Superiore Generali dimissi, const. Greg. XIII. *'Ascendente Domino'.*

8. Votum autem simplex semper irrita reddit sponsalia, quæ postea contrahantur, nam promitti nequit, quod non potest impleri absque culpa cap. 6. h. t.

Quod autem sit votum solemne, et quod simplex, nec non reliquæ quæstiones circa materiam voti, tractantur in titulis 31. et 34. libri 3.

9. In constitutione *'Apostolicæ Sedis'* inter excommunicationes latæ sententiæ Episcopo ordinario reservatas, sub n. 1°. decernitur excommunicatio latæ sententiæ contra clericos in sacris constitutos, vel Regulares, aut moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere præsumentes, nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

Quæritur utrum ejusmodi censura percellat personas de quibus sermo est in citato numero, quæ contraherent matrimonium appellatum *civile.*

Præmitto nondum prodiisse authenticam interpretationem hujus canonicæ dispositionis, qua proposita quæstio dirimatur. Verum arbitror, doctrinaliter, seu theoretice sustineri posse, matrimonium dictum *civile* comprehendi sub censura latæ sententiæ, de qua in cit. paragrapho Pontificiæ constitutionis.

10. Et sane 1°. Quoniam personæ de quibus sermo est in citato paragrapho non possunt contrahere verum matrimonium, sub appellatione matrimonii, in eo paragrapho venire debet solummodo attentatum matrimonium. Jam vero illi in sensu juris præsumunt attentare matrimonium, qui celebrant contractum habentem figuram et speciem matrimonii. Jam vero contractus dictus civilis revera exhibet figuram seu speciem matrimonii; etenim eo dirigitur contractus hic, ut collocet personas contrahentes in conditione matrimoniali legali coram societate civili, et ideo in hypo-

thesi nostra a clerico majore vel a Regulari, aut a moniali contractus perficitur civiliter, ut eorum status habeat saltem umbram status conjugalis; videlicet duo contrahentes in hypothesi nostra ideo civiliter contractum celebrant coram populo, ne videantur esse fornicarii aut concubinarii, sed ut habeantur tanquam vir et uxor. Quapropter in ista celebratione contractus verificatur proprie dictum attentatum matrimonium, cujus attentati matrimonii solummodo est capax clericus in majoribus ordinibus constitutus, et Regularis vel monialis post votum solemne.

11. 2°. Inspicientes dispositionem citati paragraphi 1ⁱ. eamque comparantes cum *Clement. unic. De consang. et affinit.* deprehendimus intimam relationem intercedere inter utramque legem ita ut videatur Pius IX., voluisse confirmare et in usum revocare legem latam a Clemente V. scilicet uterque legislator videtur voluisse censura excommunicationis latæ sententiæ percutere clericos majores, quoties audeant simulatum matrimonium inire, simulque curæ et studio Episcoporum committere, ut clerico delinquenti assistant, curentque emendationem ejusdem. En verba Clementinæ dispositionis: 'Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes . . . . ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere; præcipientes Ecclesiarum Prælatis, ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuncient, seu a suis subditis nunciari faciant, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur.'

12. Differentia inter Clementinam et Pianam constitutionem in eo solum est, ut Pius IX. extenderit ad personas contrahentes cum Clericis vel Regularibus sanctionem a Clemente V. latam, contra ipsos clericos in sacris ordinibus constitutos vel Regulares. Jam vero sub sanctione Clementinæ constitutionis veniebant clerici, qui attentassent formam, speciem, figuram contractus matrimonialis. Ergo a pari sub Piana constitutione venient personæ sacris vinculis obligatæ, quæ simulatum contractum conjugalem i. e. non vero matrimonium, sed solum umbram et figuram legalem contractus conjugalis celebrare audeant. Talis autem est contractus dictus civile matrimonium.

13. 3°. Constitutiones generales, quæ promulgantur, hunc finem habent, ut introducant uniformitatem in disciplina Ecclesiastica.

Hinc constitutio generalis eo dirigitur, ut evitet vel corrigat abusus qui vel generales jam existunt vel prævidentur fieri posse generales. Jam vero spiritus seu intentio legislationum civilium nostris temporibus est ut ubique instituatur et observetur matrimonium civile. Quo posito abusus qui prævideri possunt in hac materia, et revera contingere cœperunt ex parte personarum, vinculis spiritualibus ligatarum, sunt ut personæ istæ per contractum civilem studeant, sub umbra legalitatis, et protectione legum civilium tegere propriam turpitudinem.

Sane in locis in quibus adest lex de contractu civili, nullus Clericus major, nullus Regularis post votum solemne castitatis contrahit vel contrahere præsumit matrimonium Ecclesiasticum, sed unicus abusus, qui prævideri potest, est ex parte matrimonii civilis. Ergo legislator qui aptat legem suam temporum circumstantiis, præsumitur voluisse salutari pœna percellere abusum hujusmodi, ut personæ ecclesiasticæ quo fieri possit ab eo deterreantur.

14. 4°. Constitutio '*Apostolicæ Sedis*' est generalis; quare valet pro omnibus locis, sive in ipsis promulgatum fuerit Tridentinum sive non. Jam vero nemo negare potest pœnam statutam in citato paragrapho afficere personas vinculis religionis obligatas civilem contractum matrimonii celebrantes in illis locis, in quibus promulgatum non est Tridentinum. Si ergo sanctio nostra non valeret in locis in quibus promulgatum est Tridentinum, melior esset conditio iniquorum Clericorum et Regularium ubi promulgatum est Tridentinum, quam aliorum qui versantur in locis, ubi Tridentinum publicatum non est, cum e contra culpa major priorum est præ secundis; si quidem priores audent contrahere non solum contra obligationem proprii status, sed etiam audent amplecti formam ab Ecclesia reprobatam; forma enim civilis prout statuta est legibus ecclesiasticis adversatur. Jam vero anticanonicum est majorem culpam minori pœna plectere et viceversa. Ergo dicendum est matrimonium civile in omnibus locis venire sub sanctione citati paragraphi.

15. Difficultas ex eo deducitur, quod Ecclesia non soleat contractum civilem appellare matrimonium et per consequens si in paragrapho nostro sub nomine matrimonii intelligendus esset civilis contractus, iste nobilitaretur.

Huic difficultati sic respondemus: constitutio '*Apostolicæ Sedis*' *positive* non approbat contractum civilem, sed per appositam censuram solummodo conatur ab eodem arcere personas vinculis sacris obligatas. Hinc modus loquendi constitutionis dici potest *negativus,* seu totus sistit in prohibitione et Pontifex nec implicite nec explicite dicit, *alias esset matrimonium.*

Ceterum vocabulo *matrimonii* uti potest Romanus Pontifex, eo quod vulgatus est communis modus loquendi, seu appellandi civilem contractum nomine matrimonii.

16. Nec obstat postremum decretum S. Congregationis Concilii diei 7. Aprilis 1879, supra relatum, nam dispositio hujusmodi respicit unice impedimentum publicæ honestatis, nec excludit pœnam, qua plectantur quædam personæ, quæ contractum civilem matrimonii audeant perficere.

17. Pro temporum nostrorum opportunitate quæri potest, quænam via tenenda sit in hypothesi qua persona aliqua, vinculis sacris ligata, contractum civilem qui matrimonium dicitur, celebrare præsumpserit. Expeditne pronunciare sententiam declaratoriam excommunicationis contra istam personam?

Præ oculis haberi debet, quod persona ista, post sententiam declaratoriam Episcopi, eo ipso reddatur vitanda juxta Constitutionem Martini V. '*Ad evitanda*'. Persona enim ista fit nominatim excommunicata; quapropter ex locorum præsertim et personarum circumstantiis videndum est, utrum expediat nec ne hanc viam experiri.

Potius alia via proponenda esse videtur. Quoniam nondum authentica declaratio prædicti paragraphi prodiit, opportunum esse videtur, ut ordinarius quando casus in propria diœcesi contigerit, rem totam Apostolicæ Sedi referat, ab eaque expostulet instructionem. Equidem scimus quendam Episcopum Regni utriusque Siciliæ ita sese gessisse, et S. Congregationem Concilii respondisse eidem, ut clerico in majoribus constituto, qui contractum civilem matrimonii celebraverat, et cum scandalo publico mulieri adhærebat, trinas faceret monitiones, quæ si in irritum cessissent, procederet contra illum etiam Apostolica auctoritate, ad sententiam excommunicationis promulgandam.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

1. Tituli objectum est impedimentum *criminis*.

Non quodlibet crimen dirimit matrimonium, sed crimen *adulterii* et *homicidii*. Siquidem canones voluere impedire turpes amores, alterutrius conjugis cum extranea persona, et simul avertere votum captandæ mortis conjugis innocentis.

Impedimentum criminis in eo consistit, ut etiam resoluto matrimonio, conjux superstes nec licite nec valide novum matrimonium contrahere possit cum illa extranea, quam constante primo matrimonio, sibi conjunctam habuit turpi dilectione.

Ut ordini et perspicuitati consulamus in speciales casus materiam tituli dispescimus. Præmittimus vero ex solo adulterio non enasci impedimentum criminis. Scilicet si quis absque ullo intuitu futuri matrimonii, adulterium committat cum conjuge alterius, valide cum eodem conjuge matrimonium contrahit, post resolutum primum matrimonium. Ita in c. 6. h. t. Idem dicendum de homicidio.

2. Hisce positis impedimentum criminis contrahitur 1°. *per adulterium formale, cum promissione acceptata futuri matrimonii.* Cap. 6. 7. et fin. h. t.

Requiritur autem a) ut adulterium sit *utrinque* formale; formale autem habetur adulterium, quando *perfecta* copula carnalis inter personas intercedat, quarum vel utraque vel alterutra sit vinculo conjugali tertiæ personæ ligata et simul utraque pars cognoscat hoc ligamen.

Requiritur nempe ut tum vir, cum mulier cognoscat malitiam carnalis commixtionis, inferentem injuriam fidei conjugali c. 1. h. t.

b) Requiritur ut intercedat inter adulteros promissio acceptata futuri matrimonii capp. 6., 7. et cap. ult. h. t. Etenim per hanc promissionem criminosam revera incipit esse tractatus pravus, quo foventur iniqui amores, incipiuntque desiderari damnabiles nuptiæ, et insinuatur sponte sua votum captandæ mortis conjugis innocentis, quare malitia specifica hujus criminis in eo consistit, ut duplex injuria irrogetur legitimo matrimonio, idest fides conjugalis rumpitur per adulterium, et matrimonii ipsius solutio procuratur per promissionem novarum nuptiarum.

Porro indifferens est utrum hæc promissio facta fuerit ante vel post adulterium, dummodo facta fuerit vivente adhuc conjuge innocente, idest constante adhuc matrimonio.

3. 2°. Secundus casus traditur in cap. 1. h. t., et est casus *adulterii cum attentato matrimonio.* Videlicet: Si duo quorum uterque vel alteruter ligatur vinculo conjugali cum tertia persona, attentent inter se et consumment matrimonium, contrahunt vicissim impedimentum dirimens. Ad contrahendum vero impedimentum criminis in casu requiritur ut utraque pars conscia fuerit de existentia matrimonii adhuc constantis cum tertia persona, idest requiritur adulterium utrinque formale. Species quidem hæc videtur proposita fuisse Alexandro III. Quidam uxorem legitimam habens, sibi aliam hujus rei insciam copulavit. Mortua priore muliere, secundam retinuit et tractavit affectu maritali, adeo ut perdurante consensu alias præstito per signa, dici potuerit contractum matrimonium clandestinum. Vir deinde volebat recedere ab hac secunda muliere, allegans nullitatem matrimonii cum eadem ob impedimentum criminis, sed respondit Pontifex impedimentum non fuisse contractum, quia secunda mulier ignoraverat matrimonium viri cum alia muliere adhuc vivente. Ergo ex sensu contrario canonis quoties cognoscitur ab utraque parte, inducitur impedimentum; confirmatur ex cap. 5. h. t.

Quoniam in utroque exposito casu non intervenit homicidium, impedimentum solet dici oriri *neutro patrante* idest neutro ex adulteris procurante mortem conjugis innocentis.

4. 3°. Tertius casus impedimenti criminis est *occisio conjugis patrata ex machinatione utriusque* ad matrimonium contrahendum. Ita satis clare concluditur *ex c. 1. De convers. Infidel.* ubi dicitur Saracenos, qui quarumdam christianarum mulierum viros harum mulierum insidiis et machinationibus occiderunt, eas non posse ducere in uxores.

Requiritur ergo, ut uterque conspiratione, auxilio, vel consensu, concurrerit in occisionem conjugis innocentis. Hæc autem machinatio dirigi debet ad finem contrahendi nuptias. Est enim specifica indoles impedimenti criminis, ut legitimum matrimonium impetat et novas subroget nuptias in locum priorum legitimarum nuptiarum. Requiritur insuper ut mors innocentis conjugis revera secuta fuerit, quia caput cit. loquitur de occisione peracta.

Quoniam in casu præsente concurrit conspiratio viri et mulieris contra vitam conjugis innocentis, impedimentum dicitur ex crimine *'utroque patrante'*.

5. Antiquitus hoc impedimentum adeo urgebatur, ut non solum redderet nullum matrimonium inter eos, qui procuraverant mortem conjugis innocentis, sed etiam iisdem machinantibus interdictum esset matrimonium contrahere cum aliis extraneis personis. Hæc vero interdictio disparuit, sed solum ceu conditio dispensationi a Dataria Apostolica apponi solet, quando dispensatio hæc de impedimento criminis conceditur.

6. 4°. Quartus casus impedimenti criminis verificatur, quando cum *adulterio* utrinque formali, conjungitur *homicidium* conjugis. Patet conclusio ex cap. 7. h. t.

Conditiones autem sunt a) ut unus saltem contrahentium vel physice vel moraliter, idest per mandatum, consilium, vel preces concurrat in mortem conjugis innocentis. Hinc ratihabitio cædis factæ non sufficit (arg. ex cap. 6. h. t.). Non autem requiritur ut uterque concurrat in mortem conjugis, sed sufficit ut unus concurrat. Et ex hac conditione casus præsens a superiori casu specifice differt, quia casus superior procedit, *utroque patrante*, præsens vero procedit alterutro *patrante*.

Quid vero si altera pars nesciat machinationem mortis?

Licet non omnes Doctores conveniant, tamen videtur melior sententia eorum, qui tenent non requiri, ut alter etiam contrahens cognoverit machinationem. Arg. ex capp. 5. et 6. h. t. ubi mentio fit de machinatione unius saltem contrahentis in mortem conjugis.

b) Requiritur ut occisio conjugis facta fuerit animo contrahendi matrimonium. Nam si fiat ob alium finem, ex. gr. ut liberius possent in illicito commercio vivere, non contrahitur impedimentum criminis. Deducitur conclusio ex can. 5. caus. 91. q. 1. ubi dicitur *'occidisse notatur ut conjungeretur'*.

7. Quæritur utrum impedimentum criminis contrahatur ab eis, qui nesciunt ex facto criminoso impedimentum oriri.

Profecto impedimentum hujusmodi positum est ab Ecclesia tanquam pœna, ac proinde videretur ab ignorantibus non contrahi juxta cap. 2. de Const. in VI°. ubi traditur censuram excommunicationis non incurri absque notitia. Accedit etiam in hypothesi ignorantiæ impedimenti non verificari rationem seu finem legis, qui est deterrendi conjugem ab inferenda morte conjugi innocenti.

Verumtamen communis sententia Doctorum, et praxis tam Curiæ Romanæ, quam Curiæ Episcoporum tenent etiam ab ignorantibus contrahi hoc impedimentum.

8. Sane in curiis non distinguitur inter scientes vel ignorantes impedimentum, sed indiscriminatim matrimonium, posito criminis impedimento, uti nullum habetur, nisi obtineatur dispensatio.

Si ex praxi transeamus ad theoriam, habemus, impedimentum criminis esse utique inductum per modum pœnæ ecclesiasticæ, sed illud inducere indolem irregularitatis, non autem censuræ. Sane scopus proprius et immediatus impedimenti criminis est ut personas inhabiles reddat ad contrahendum.

Inhabilitas autem idem est ac irregularitas.

9. Jam vero in eo præcipue differt irregularitas a censura, ut censura non liget ignorantes, nam pœna censuræ infligitur contra spernentes auctoritatem Ecclesiæ, hinc censura supponit contumaciam quam ipsa frangere intendit. Irregularitas autem etiam orta ex crimine inducitur proprie et directe ex defectu, qui in persona existere a lege præsumitur ob patratum crimen.

Ergo eo ipso quod aliquis defectum patitur, et in nostra hypothesi eo ipso quod quis crimen admiserit, licet ignoraverit crimen illud constituere impedimentum dirimens matrimonium, dummodo compos sui fuerit, et cognoverit in genere malitiam delicti commissi, contrahit inhabilitatem ad contrahendum matrimonium.

Atque ita soluta est etiam difficultas sumpta ex *cap. 2. De const. in VI°*.

10. Animadverti ex adverso potest, impedimentum ex crimine fuisse ab Ecclesia statutum, ut deterrerentur fideles a concipiendo voto captandæ mortis conjugis innocentis. At horror ex hoc impedimento concipi nequit, nisi cognoscatur impedimentum ipsum criminis adnexum.

Errantis enim et ignorantis nulla voluntas.

Ergo ubi ignoratur impedimentum criminis, non contrahi illud videtur.

Sed responderi potest finem legis non semper cadere sub lege, idest quandoque legem obligare, quamvis non verificetur scopus ob quem lex edita est.

Lex enim considerat quod plerumque solet contingere.

Hæc vero hypothesis præsertim locum habet, cum lex lata est propter periculum seu finem generalem, quæ proinde urget et obligat, licet in specie non verificetur periculum seu finis legis.

Titulus VIII.

De conjugio leprosorum.

1. Ex capite 1°. hujus tituli patet ob lepram, vel alium morbum contagiosum supervenientem non solvi vinculum matrimonii, sive illud sit solummodo ratum sive etiam consummatum. Quoad matrimonium ratum et consummatum, ratio est quia agitur de contractu jam completo et perpetuo, idest undequaque indissolubili. Quoad ratum tantummodo, ratio est, quod, licet non sit indissolubile absolute, canones etenim præviderunt casum solutionis ob professionem religiosam, tamen nihil statutum est de incommodo aliquo notabili corporeo superveniente.

2. Nec obstat cap. ult. h. t. in quo dicitur superveniente lepra conjugem cogi non posse ad copulam, quia matrimonium non adhuc fuerat consummatum. Nam illud 'consummatum' non sese refert ad consummationem matrimonii, sed ad consummationem consensus. Agebatur enim de meris sponsalibus in quibus consensus est solummodo de futuro, et non de præsenti et proinde dici potest consensus non consummatus.

3. Quod de lepra vel morbo contagioso superveniente diximus relate ad vinculum, dicendum esse etiam tenent Doctores de lepra vel morbo præexistentibus et ignoratis, idest non exinde irritum reddi vinculum matrimonii. Nam error in hac materia respicit solummodo qualitatem personæ et per consequens non est substantialis.

4. Quæritur utrum lepra vel alius morbus contagiosus inducere possit divortium *semiplenum,* idest relate ad thorum et cohabitationem.

In genere divortium hujusmodi nequit induci a) quia matrimonium importat de se contractum et obligationem perpetuam, b) quia causæ divortii minus pleni, procedunt ex culpa unius conjugis, quæ culpa per se non verificatur in casu, c) quia licet non possit haberi commercium carnale ob morbum contagiosum, tamen adhuc verificari potest societas mutui adjutorii; quæ est unus ex finibus matrimonii.

5. Verum ubi conjunctio maritalis sine periculo haberi nequeat, præstatio debiti conjugalis urgeri non potest. Nam nemo tenetur ad id præstandum, per quod timeatur destructio proprii individui. Hinc continentia servari debet a conjugibus. Cf. c. 1. h. t.

6. Si lepra vel alius morbus contagiosus superveniat post contracta sponsalia, sponsalia hæc dissolvuntur. Nam implicita conditio censetur inesse contractui *'dummodo res ita permaneant sicut sunt'* et alia *'dummodo res sint sicut apparent'*. Conf. cap. ult. h. t.

Prima præsertim conditio in sponsalibus locum habet, nam sponsalia non constituunt contractum absolute perpetuum et irrescindibilem sed possunt resolvi ob mutationem notabilem superinductam, sponsalia enim consistunt in promissione, et non exhibent contractum *completum* quemadmodum exhibet contractum completum matrimonium simpliciter ratum.

Titulus IX.

De conjugio servorum.

1. Sermo est in titulo præsenti de impedimento *conditionis*. Servorum nomine in jure non veniunt *famuli*, qui pacta mercede conduci solent, sed illi, qui ex jure gentium, vel civili, dominio alieno contra naturalem libertatem subjiciuntur, ita ut considerari possint ceu pars dominii domestici, et vendi, vel alio modo alienari possint.

Tales erant qui in bello capiebantur, quique *mancipia*, idest manucapti dicebantur; tales etiam erant, qui ex matrimonio ancillarum, quæ sub dominio erant, nascebantur, nam filius sequitur conditionem matris.

2. Si de matrimonio servorum sermo fit, habemus leges Romanas inter servos non agnovisse verum matrimonium, sed contubernium *l. 3. De Incest. Nupt.*

3. At aliter sentiendum est jure canonico.

Primis quidem Ecclesiæ temporibus, conjugia servorum licet fuissent inita, insciis vel invitis eorum dominis, ab Ecclesia uti valida habebantur. Nam proclamata est Lex Evangelica, qua coram Ecclesia servus non distinguebatur a libero, sed omnes erant æquales in fide. Ita ex *can. 1. q. 2. caus. 29.*, qui canon tribuitur Julio I. Romano Pontifici.

4. At a sæculo VIII. videtur fuisse mutata disciplina, ita ut invalidum ab Ecclesia haberetur conjugium, quod a servis initum esset absque dominorum consensu. Hæc disciplina eruitur ex *can. 8. caus. 29. q. 2.*, qui canon depromptus est ex Concilio Cabilonensi.

5. Hæc vero disciplina non constat directe an fuerit generalis necne. Profecto judicium, quod insinuat universitatem ejusdem, infertur ex dispositione contraria cap. 1. h. t., in quo disciplina hujusmodi abrogatur.

6. Decretalis autem hæc est Adriani IV., qui Pontificatum gessit ineunte secunda medietate sæculi XII. In hac vero decretali Pontifex invocat principia æqualitatis conditionis fidelium, invocata a veteribus canonibus, et decernit matrimonium contractum a servis invitis, vel insciis dominis, valere.

7. Sed ne jura dominorum lædantur, statuit servos etiam post conjugium præstare debere dominis suis consueta servitia.

8. Quid vero dicendum de matrimonio contracto inter personam liberam et aliam servili jugo obligatam?

Profecto si libera persona sciverit conditionem servilem alterius, matrimonium valet. Ita expresse in *can. 5. caus. 29. q. 2.*

9. At si persona libera contraxerit cum alia, quam credebat liberam, sed revera in servili conditione versabatur, sive error aut ignorantia sit antecedens, sive sit concomitans, matrimonium nullum est. Ita in *cap. 2. h. t. et in can. 4. caus. 29. q. 2.*

10. Si quæratur autem ratio hujus impedimenti, illud videtur posse ad impedimentum erroris reduci. Nam ideo matrimonium nullum in casu retinetur, quia præsumitur intercessisse errorem substantialem. Qualitas si quidem libertatis vel servitutis ab Ecclesia considerata est, ceu qualitas, quæ statum personæ afficiens, et ob jura maxime diversa personam aliam saltem juridice exhibere videtur. Hinc error circa qualitatem servilem, resolvitur in errorem personæ. Nec proinde ex parte libera censetur adfuisse consensus. Nemo enim liber homo præsumitur contrahere velle matrimonium cum persona dominio alieno subjecta, quæque proinde non potest corporis sui plenam et absolutam potestatem tradere alteri conjugi, sed solum quatenus servitia domino debita permittant.

Si attendamus ad modum loquendi canonum videtur matrimonium contractum cum errore conditionis servilis esse invalidum

pro parte libera, quæ conditionem servilem alterius ignoravit, adeoque posse rescindi ad petitionem alterius. Certe in matrimonio vera rescindibilitas admitti nequit, sed matrimonium aut illico valet, aut illico nullum esse debet.

11. Igitur loca juris ita accipienda sunt, ut dari posset purgatio hujus impedimenti, quæ purgatio ante Tridentinum Concilium fieri poterat per verbum vel per factum, et proinde præsumebatur a lege per liberam cohabitationem conjugum, post agnitam conditionem servilem. Post vero Concil. Tridentinum, hæc purgatio fieri debet diverso modo prout impedimentum est occultum vel publicum. Nam si est publicum ratihabitio et purgatio defectus fieri debet in forma Tridentina.

Titulus X.

De natis ex libero ventre.

1. Principium est Juris Romani, a Jure nostro recognitum, quod 'partus sequatur ventrem'. Hinc prout mater est serva vel libera, filius servus est vel liber absque ulla relatione ad patrem.

2. Quoniam vero libertas est in jure causa favorabilis, hinc filius liber nascitur, et uti liber habetur, si mater libera fuerit saltem uno ex tribus temporibus, quæ relationem habent ad partum, idest vel conceptionis, vel nativitatis filii vel intermedio tempore, seu gestationis filii in utero. Qui enim conceptus est in utero pro nato habetur, quoties de ejus favore agitur *l. 5. et 7. ff. 'de statu hominis'* quibus satis aperte consonat cap. un. h. t.

Hæc verificantur relate ad conditionem servilem.

3. Nam posito legitimo conjugio inter homines liberos, filii quoad dignitatem, et honores sequuntur conditionem patris.

4. Ita etiam uxor viri sui conditionem sequitur, quamvis inferioris gradus. *l. 5 ff. De senatorib. et c. 13. c. De dignitat.*

Titulus XI.

De cognatione spirituali.

1. Matrimonium quod in vinculo amoris conjugalis fundatur, non bene conciliatur cum naturali verecundia, et amore isto reverentiali, qui oritur ex præexistente propinquitate personarum. Propinquitas personarum principaliter procedit ex cognatione.

2. Porro primaria cognatio est *naturalis,* quæ oritur ex communi et non remota personarum origine, ab uno eodemque stipite, quæque dicitur *consanguinitas.*

3. In similitudinem cognationis hujus, inductæ etiam sunt intellectu juris binæ cognationes, idest *spiritualis* et *civilis.* Spiritualis quidem ortum habet ex regeneratione in fide Christi, quæ regeneratio fit in Baptismate, et Confirmationis sacramentum eam perficit.

4. Legalis vero seu civilis cognatio procedit ex adoptione, quæ in jure civili imitatur cognationem naturalem.

I°. De cognatione spirituali.

5. Cognatio spiritualis oritur ex Baptismate, vel Confirmatione, quia Ecclesia in horum sacramentorum administratione, vel susceptione, consideravit intervenire quamdam compaternitatem, commaternitatem, et filiationem spiritualem respondentem, ideoque censuit per hujusmodi sacramenta induci propinquitatem et vinculum quoddam personarum.

6. Penes antiquos canones et etiam jure Decretalium, cognatio spiritualis imitatur ipsam cognationem naturalem, et eo usque matrimonium dirimebat, quousque illud dirimebat consanguinitas et affinitas. Capp. 4. et 8. h. t.

7. At post Tridentinum *cap. 2. sess. 24. De Ref. matrim.* coarctatum est hoc impedimentum, scilicet cognatio spiritualis dirimit matrimonium: 1°. Inter suscipientes et baptizatum vel confirmatum, ejusque patrem et matrem, 2°. inter ministrum sacramenti et ipsum baptizatum vel confirmatum ejusque parentes.

Memoriæ adjuvandæ causa circa eos, qui cognationem spiritualem contrahunt in Baptismatis vel Confirmationis administratione, vel susceptione, inducti sunt sequentes versiculi:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes,
Suscipiens, susceptus, susceptique parentes.

Hinc cognationem spiritualem inter se non contrahunt suscipientes, idest patrinus et matrina, nec ipsi suscipientes cum ministro conferente sacramentum Baptismi, vel Confirmationis.

8. Quæritur an impedimentum hujusmodi contrahatur per baptismum invalide collatum. Responsio negativa est; quia ex

baptismate nullo nulla perficitur regeneratio, ac proinde nulla compaternitas inducitur, vel filiatio spiritualis.

9. Quid si baptismus privatim collatus fuerit etiam in casu necessitatis?

Doctores tenent ex hoc baptismo oriri impedimentum; quia 1°. canones non distinguunt inter administrationem solennem et privatam; 2°. quia ex baptismo privatim etiam in casu necessitatis collato, dummodo sit validus, gignitur regeneratio, ac proinde locum habet compaternitas et filiatio spiritualis.

10. Quid vero si pater vel mater proprium filium baptizaverint?

In genere inducitur impedimentum cognationis spiritualis. Hoc impedimentum quidem si filius natus est ex commercio fornicario ante contractum matrimonium efficit, ut absque dispensatione, nec licite, nec valide possit matrimonium contrahi.

11. Quod si autem matrimonium est contractum, impedimentum superveniens ex cognatione, juxta antiquos canones separationem viri ab uxore inducebat, ita ut non posset amplius servari individua vitæ consuetudo. *Cann. 2. et 3. caus. 30. q. 1.*

Deinde autem factum est ut per hoc impedimentum solummodo conjux baptizans amitteret jus petendi debitum conjugale, teneretur autem reddere.

12. Tandem vero correctum jus est ita ut conjugi baptizanti neque jus petendi debitum conjugale adimeretur, quando baptizavit filium suum in casu necessitatis. Ita *in can. 7. caus. 30. q. 1.* Invocatum enim est principium illud: necessitas non habet legem.

13. Quid vero dicendum, si pater vel mater levaverint proprium filium in solemni baptismo?

Huic quæstioni respondet Alexander III. in cap. 2. h. t., ubi statuit non contrahi impedimentum cognationis, sive levaverit filium suum ex ignorantia, sive ex malitia. Ex malitia quidem pater levaret filium suum, ut exinde eximeretur aliquo modo ab onere debiti conjugalis. Quo in casu plena remanent jura et onera conjugalia, quia fraus et dolus nemini patrocinare debet. Si autem conjux filium levaverit ex ignorantia, pariter non contrahitur impedimentum cognationis, quia ignorantia eum excusare videtur.

Nec valet objicere impedimenta procedere ad instar irregularitatis, quæ incurritur etiam ab ignorantibus, nam in hypothesi matrimonii jam contracti inhabilitas ex cognatione importaret

privationem juris acquisiti, et aliqualem solutionem matrimonii, quæ profecto facile admitti nequit absque ulla culpa. Igitur ignorantia ubi adsit merito excusat ab impedimento cognationis. Quare in sensu capitis non contrahitur impedimentum cognationis, sive sciens sive ignorans, parens filium suum ex sacro fonte susceperit.

14. Quæritur quinam patrini esse possint in Baptismate et in Confirmatione.

Tridentinum voluit ut unus esset patrinus, vel vir, vel mulier, aut ad summum unus et una suscipientium officio fungerentur. Unus vero vel bini contrahunt impedimentum, dummodo 1°. dum ipsum sacramentum confertur, non autem dum supplentur cæremoniæ, cum animo obeundi officium susceptoris, assistant, et physice teneant parvulum baptizandum, vel confirmandum, aut saltem immediate illum recipiant e manibus sacerdotis. *S. Congreg. in 'Bobiensi' 20. Decemb. 1653. Giraldi ad cap. 3. h. t.* Unde ad contrahendam cognationem requiritur animus et tactus. Hinc qui servitii causa vel commoditatis tenent vel tangunt parvulum non contrahunt cognationem spiritualem: ex. gr. obstetrix.

15. 2°. Ut a parentibus vel in eorum defectu a parocho patrini fuerint designati. Hinc si plures susceperint puerum, illi soli contrahunt impedimentum, qui ut supra designati fuerint, qui autem designati non fuerint, nullatenus contrahunt impedimentum.

Concilium Tridentinum in loco cit. ait: 'Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt'. Unde non amplius dantur patrini catechismi, id est qui instruebant catechumenum in fide.

16. Quod si contra dispositionem Concilii Tridentini, plures quam duos susceptores parentes proponant, et Parochus admittat, omnes cognationem contrahunt. Nam Trid. hanc cognationem non excludit. *Giraldi ad c. 3. h. t.*

17. Ut autem quis patrinus esse possit, requiritur ut in baptismate suscipiens sit baptizatus, in confirmatione vero ut sit ipse confirmatus. Hanc conditionem Doctores deducunt ex *can. 102. Distinct. 4. De consecr.*, in quo statuitur: 'In baptismate vel chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus.' Huic canoni adhæret Pontificale Romanum *p. 1. t. 1. de confirm.* nec non resolutio S. Congreg. Con-

cilii relata a Giraldi, *Jus Pontificium p. 1. sect. 710;* in qua resolutione expresse traditur dicta conditio.

18. In officio susceptorum consuetudo est, ut per procuratorem officium illud compleatur.

Quæritur utrum in casu, et a quo contrahatur cognatio spiritualis.

Sunt qui dicunt contrahi a procuratore, quia ipse revera tangit et levat puerulum.

Sunt qui dicunt a mandante contrahi, quia procurator nomine mandantis agit.

Sunt qui dicunt ab utroque quia uterque partem agit in susceptione.

Sunt qui dicunt a nemine contrahi, quia lex est odiosa ob impedimentum quod inducit, nec revera sive in mandante, sive in procuratore verificantur plene conditiones legis.

Probabilior sententia est quæ tenet a mandante solummodo contrahi impedimentum.

19. Nam quod a procuratore non contrahatur patet ex pluribus decisionibus S. Congreg. relatis a Giraldi ad c. 3. h. t. n. 7. Quoad vero mandantem animadvertimus, quando adsunt unus vel bini susceptores adsignati, ut supra, certum est induci cognationem spiritualem. Instituta autem comparatione inter mandantem et procuratorem, prævalet ratio quæ pro mandante militat. Nam ipse revera tangere per alium et suscipere puerum dicendus est, quemadmodum non procurator sed mandans contrahit matrimonium, quando mandans procuratori commisit negotium contrahendi. Hinc in praxi saltem ad cautelam, mandans si velit matrimonium contrahere, cum baptizato aut confirmato ejusve parentibus, dispensationem expetere debet.

Titulus XII.

De cognatione legali.

1. *Adoptio* inducta est in solamen illorum, qui filiis orbantur, *l. 1. ff. De Adoptionibus.* Adoptio definiri solet 'Actus legitimus, quo qui filius non est, aut nepos, in filium proprium vel nepotem assumitur'.

2. Adoptio in Jure Romano distinguitur in *perfectam,* quæ etiam *arrogatio* dicitur, et in *imperfectam,* quæ simpliciter *aroptio* appellatur.

Arrogatio ea est, qua persona *extranea* et *sui juris* assumitur in filium aut nepotem, ita ut transeat in familiam et potestatem adoptantis, perinde ac si fuisset filius aut nepos legitimus et naturalis. § *3. Instit. De Adop.* Adoptio hujusmodi dispositione legum Romanarum fieri debebat per *rescriptum Principis.*

3. Imperfecta, idest simplex adoptio, ea est, qua persona extranea et nondum sui juris, idest constituta sub sui patris naturalis vel avi potestate, assumitur in filium aut nepotem adoptantis, ita ut non transeat in potestatem et familiam adoptantis, sed perseveret sub potestate patris, vel avi sui.

Filius vel nepos ita adoptatus, non fit *necessarius* hæres adoptantis, quare in testamento *præteriri* potest. Succedit tamen ab intestato. § *2. 'Sed et hodie' Inst. De Adopt.* Adoptio hujusmodi, jure romano fiebat per *officium judicis competentis.*

4. Ecclesia leges civiles commendavit in hac re, easque fecit canonicas, et recognovit *cognationem legalem* ex adoptione, tamquam impedimentum dirimens matrimonium. *Can. 1. caus. 30. quæst. 3.* qui canon exceptus est ex Epistola Nicolai I. ad consulta Bulgarorum. Jure autem meritoque Ecclesia canonizavit dispositionem legis civilis, qua per adoptionem fictione juris censetur inducta propinquitas personarum.

5. Nam auctoritas adoptantis, relativa dependentia adoptati in novam familiam sponte sua secumferunt conjunctionem animorum, et reverentiam quasi filialem quæ non bene cum matrimonio conciliantur. Quoadusque enim inter aliquas personas dominatur amor exsurgens ex relatione propinquitatis, vel mutuæ observantiæ, amor concupiscentiæ excluditur. Quare status conjugalis rationabiliter componi non potest cum relatione, quæ inter personas, vinculo cognationis legalis obstrictas, viget.

6. Accedit ratio cujusdam publicæ honestatis, quæ exigit ut matrimonium prohibeatur inter personas cognatione legali conjunctas. Publica enim honestas exigit ut relatio proximitatis, per imitationem naturæ inducta rite custodiatur, et removeatur spes matrimonii, ne amor concupiscentiæ excitetur et foveatur inter easdem personas, et ne boni mores publicum detrimentum patiantur.

7. Quærunt Doctores, utrum adoptio perfecta tantum, idest arrogatio, vel etiam simplex adoptio dirimat matrimonium.

Glossa finalis in cap. un. h. t., et Panormitanus in idem cap. n. 5., et Pontius *de matrimonio lib. 7. cap. 42.*, aliique docent impedimentum oriri ex *utraque* adoptione.

Verum Innocentius in idem cap. un. h. t., Sanchez *De matrimonio disput. 69. n. 9.* aliique Doctores tradunt ex *sola* arrogatione impedimentum oriri. Benedictus XIV. *De Syn. lib. 9. c. 10. n. 5.* insolutam quæstionem reliquit, et in praxi quæstiones resolvendas esse tradit, juxta leges romanas. Verum videtur sola arrogatio gignere impedimentum dirimens. Nam per adoptionem simplicem filius adoptatus sub potestate patris naturalis remanet, nec transit in familiam adoptantis. Ideoque ex adoptione simplici non gignitur necessitudo et dependentia inter personas, neque enascitur respectus honestatis et reverentiæ.

8. Quæritur quid dicendum de adoptionibus quæ juxta recentiores legislationes perficiuntur.

Profecto si agatur de aliqua legislatione, quæ jus romanum quoad adoptionem retineat, dubitari nequit per adoptionem contrahi cognationem legalem.

At communiter in novis codicibus non omnia servantur, quæ a jure romano statuta sunt, ad arrogationem perficiendam. Ita ex. gr. in codice Gallico artic. 348. decernitur *'Adoptatus manebit in familia naturali, et conservabit omnia sua jura'*. Verum aliquid amplius in adoptione a novis legibus inductum est, quod a romanis legibus in adoptione imperfecta non exigebatur. Quare dici potest, quodammodo novas formas adoptionis fuisse in hodiernis legislationibus receptas.

9. Quibus positis Doctores in duas abeunt sententias. Canonistæ Gallici, André in opere: *Cours alphabetique de droit canon.* et Cobriere in opere *Droit privé, administratif et public,* negativam sententiam quoad adoptionem in gallica legislatione recognitam, propugnarunt, eo quia adoptio hæc non refert omnia arrogationis antiquæ elementa.

10. Alii autem cum Carrier et Bouvier affirmant. Inter hos adnumeratur clarissimus De Angelis. Affirmativæ sententiæ nos quoque ob duas rationes subscribimus, 1°. quia Ecclesia legem non tulit qua impedimentum cognationis legalis aboleretur; non obstante imo immutatione in adoptione a novis legibus inducta, impedimentum hoc recensetur adhuc inter quatuordecim impedimenta diri-

mentia matrimonium. 2°. Quia responsiones authenticæ prodierunt S. Sedis, quæ nostram quæstionem in sensu affirmativo resolvit.

11. Sane S. Congregatio Universalis Inquisitionis interrogata 'An adoptio celebrata in forma præscripta a codice civili Regni Neapolitani producat necne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium?' die 23. Februarii 1853 respondit 'Affirmative'. Sacra autem Pœnitentiaria interrogata a P. Lasserre Vicario Generali Petrocorensi per sequens dubium 'Cum in Regno Galliæ adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quæritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat' respondit 'Affirmative si res sit de adoptione legitime inita' *(Tomo XII. n. 20. Actorum S. Pœnitentiariæ.)*

Igitur dummodo lex civilis constituat formam adoptionis, ac juxta eam adoptio fiat, cognatio legalis contrahitur. Legitimitas enim adoptionis a lege civili determinatur. Hinc nil mirum si S. Congregatio Supremæ Inquisitionis die 16. Aprilis 1761 edixerit, non oriri impedimentum cognationis legalis ex more in Bulgaria recepto, juxta quem citra dispositionem legis civilis paterfamilias aliquando filios sibi adoptat absque ulla juris solemnitate.

12. Accedit praxis S. Pœnitentiariæ, quæ, uti patet ex Actis, quæ in distinctis voluminibus asservantur, de facto impedimenti cognationis legalis existentiam in Galliis aliisque nationibus admittit, et super illa si causæ canonicæ adsint dispensat.

Ratio autem cur Ecclesia recipiat formas actuales adoptionis hæc esse videtur. Quia videlicet quemadmodum ob temporum mutatas circumstantias imminutus est rigor patriæ potestatis et relativæ dependentiæ, ita etiam rigor antiquæ arrogationis, quæ imitabatur patriæ potestatis effectus, imminui debuit. Posita autem hujusmodi imminutione a novis legibus peracta, nihilominus per adoptionem inducitur conditio personarum et relatio inter ipsas, ex qua proximitas et conjunctio animorum enascitur, temporum exigentiis accommodata, vi cujus maritalis unio inter personas has non videtur publicæ honestati et bonis moribus conformis.

13. Cognatio legalis, ubi enascitur, imitatur 1°. paternitatem et filiationem, 2°. fraternitatem, 3°. affinitatem.

Ex primo capite habetur linea recta cognationis legalis, si consideretur adoptans in ordine ad adoptatum ejusque filios, nepotes etc. § *1. Institut. De Nupt. et l. 55 ff. de ritu Nupt.* Fraternitas locum habet in adoptione inter adoptatum filium, vel filiam adop-

tatam liberosque naturales et legitimos patris adoptantis, sub patria potestate patris adoptantis adhuc manentes. Unde fraternitas legalis non enascitur inter ipsos adoptivos, si non unus vel una, sed plures ab eodem adoptentur. Pariter eadem fraternitas legalis non enascitur inter filium vel filiam adoptivam, et liberos illegitimos naturales. Illegitimi enim juridice non subsunt patriæ potestati. Affinitas autem verificatur inter adoptatum et uxorem adoptantis, et inter adoptantem et uxorem adoptati.

Inter istas omnes personas, quæ ligantur vinculo paternitatis et filiationis, fraternitatis et affinitatis, consistere non potest matrimonium ob impedimentum dirimens cognationis legalis, a jure civili propositum, et ab Ecclesia recognitum.

14. Dixi inter omnes istas personas. Nam quamvis in *can. 1. caus. 30. q. 3. et cap. un. h. t.* prohibitio matrimonii solum reperiatur inter adoptantem et adoptatam, et inter filiam vel filium legitimum naturalem adoptantis, et filium vel filiam adoptatam tamen sequimur in jure canonico extensionem cognationis legalis supra expositam, a jure civili retentam. Nam leges civiles in hac materia generaliter a sacris canonibus approbantur. Unde tuto cum Panormitano in rubr. h. t. n. 1. invocari potest principium juridicum ecclesiasticæ legislationis expressum in cap. 1. *'De novi operis nunciatione'* scilicet 'quod deest in jure canonico suppletur per dispositionem juris civilis, quando utrumque jus tractet de eadem materia'.

15. Quæritur utrum impedimentum cognationis legalis sit perpetuum nec ne?

Si sermo sit de paternitate et filiatione legali, impedimentum ex eisdem derivans est perpetuum, adeo ut etiam soluta quomodocumque adoptione, non possit adoptans ducere in uxorem, quam uti filiam vel neptem adoptivam sub sua habuit potestate *(l. 55. q. 3. De ritu Nupt., et can. 1. caus. 30. q. 3.)*. Videtur enim primitiva relatio filiationis et paternitatis legalis virtute sua perseverare, etiam post solutionem adoptionis, nec bene componi cum matrimonio.

16. Idem dicendum est de cognatione legali orta ex affinitate. Idest inter adoptantem et uxorem adoptati, et inter adoptatum et uxorem adoptantis impedimentum dirimens est perpetuum, ita ut, etiam soluta adoptione, sive per mortem, sive per emancipationem,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nihilominus impedimentum perseveret. Textus expressus legitur in *l. 14 ff. De ritu Nupt.*, ab omnibus recepta.

17. Quod si vero sermo sit de impedimento orto ex fraternitate legali, idest de cognatione legali in linea *transversa*, hoc impedimentum tamdiu perseverat, quamdiu durat adoptio, ita nempe ut soluta per mortem vel per emancipationem adoptione, cesset impedimentum, et filius qui fuerat adoptivus, possit uxorem ducere filiam naturalem et legitimam adoptantis.

Pariter soluta patria potestate liberorum legitimorum naturalium adoptantis, potest matrimonium consistere inter eos, et filium vel filiam adoptatam. Hæc omnia inferuntur ex § *2. Instit. De Nupt.*, et *l. 12 ff. De Ritu Nupt.*, necnon ex *cap. un. h. t.*, quod sese refert ad dispositiones juris civilis.

18. Ultimo loco animadvertendum est, cognationem legalem exhibere impedimentum præveniens actum celebrationis matrimonii. Nam si post contractum matrimonium superveniat cognatio legalis, hæc non interrumpit jura conjugalia: ex. gr. si quis puellam accipiat in uxorem, et deinde adoptet in filium puta patrem puellæ ipsius, nullam jacturam patiuntur jura conjugalia, quoad redditionem et quoad petitionem debiti conjugalis; quia canones nihil dicunt de cognatione legali superveniente post matrimonii celebrationem.

Titulus XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

1. Postquam B. Raymundus de cognatione spirituali egerit, et de legali, pertractare incipit de cognatione naturali seu carnali, quæ complectitur tum *affinitatem*, tum *consanguinitatem*. Tractationem vero suam ab affinitate aggreditur.

2. Affinitas est '*propinquitas personarum inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa, orta ex copula carnali completa*'.

Affinitas hæc potest oriri ex *legitima* carnali conjunctione in matrimonio, vel ex copula *illicita*.

Rursus copula illicita potest esse vel *adulterina*, vel *incestuosa*, vel simpliciter *fornicaria*, prout locum habet inter personas

vinculo matrimoniali ligatas, vel ligatas impedimento ad contrahendum matrimonium, vel prorsus liberas.

3. Titulus prout inscribitur, proprie agit de affinitate ex copula adulterina vel incestuosa. Ut autem plenior sit tractatio, etiam de tertia affinitate agimus, atque in particulares casus materiam dispescimus. Et 1°. posita copula quocumque titulo illicita inter duas personas, enascitur affinitas inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Commixtio enim sanguinis intercedit, vi cujus propinquitas quædam personarum inducitur.

4. Jure antiquo juxta can. 7. caus. 35. q. 3. correctum ab Innocentio III. in Concilio Later. IV. cujus dispositio legitur in *cap. 8. 'De consang. et affinit.'* hæc affinitas ex illicita copula, quemadmodum affinitas ex copula licita, matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum inclusive.

5. At Concilium Tridentinum in *cap. 4. sess. 24. De reform. matrimonii*, impedimentum affinitatis ex copula illicita coarctavit usque ad secundum gradum inclusive. Hinc posita copula illicita, vir valide contrahit matrimonium cum consanguineis mulieris usque ad secundum gradum exclusive, et viceversa mulier cum consanguineis viri.

A fortiori autem inter designatas personas contrahi valide nequeunt sponsalia de futuro, quia sponsalia vinculum minus forte producunt præ vinculo conjugii; et alia præterea valet ratio, quia valide promitti non potest matrimonium, quod prohibetur contrahi ob impedimentum dirimens.

6. 2°. Secundus casus est de copula, quæ post inita sponsalia habeatur ab alterutro ex sponsis cum consanguineis alterius intra secundum gradum existentibus. Juxta cap. 2. h. t. ob inductum impedimentum affinitatis, sponsalia amplius urgeri nequeunt. Quare qui copulam illicitam habuit cum consanguinea sponsæ suæ in primo gradu ex. gr. cum sorore, matrimonium nequit contrahere cum sponsa, quia obstat affinitas, neque potest cum ejus consanguinea, quam cognovit, quia obstat impedimentum publicæ honestatis.

7. 3°. Tertius casus est copulæ illicitæ habitæ post contractum matrimonium inter unum conjugem et consanguineam personam alterius. Effectus hujus copulæ adulterinæ est, ut pars delinquens contrahat affinitatem cum conjuge sua. Affinitas autem hæc non imminuit jura conjugis innocentis. Hinc conjux innocens potest petere conjugale debitum, et pars delinquens tenetur illud reddere.

Sed pœna adulterini concubitûs tota est contra delinquentem conjugem. Pœna autem hæc juxta canones duplex est. Prima pœna est ut delinquens conjux amittat jus petendi debitum conjugale; cap. 1. h. t.

8. Secunda pœna est ut idem conjux delinquens privetur jure contrahendi matrimonium cum alia qualibet persona, etiam post solutum matrimonium quo actu ligatur.

Quare impedimentum inductum fuit ita, ut delinquenti conjugi absolute interdiceretur novum matrimonium. Capp. 1. 2. et 8. h. t.

Verum ipsa Glossa ad cap. 1. h. t. v. *copulare* notavit: 'Si tamen contraherent matrimonium tenet.' Unde impedimentum erat solummodo impediens. Sed præterea animadvertunt Doctores, hanc secundam pœnam impedimenti prohibentis novum matrimonium in desuetudinem abiisse, nec necesse est petere dispensationem quando post solutum matrimonium ob mortem conjugis innocentis pars, quæ deliquit, novum conjugium inire cupiat cum persona non consanguinea conjugis innocentis præmortui.

9. At cum pœna hæc scripta sit in corpore juris, potest urgeri et injungi tamquam conditio in dispensatione quæ datur ad petendum debitum conjugale. Scilicet in S. Pœnitentiaria et in Dataria Apostolica mos invaluerat, ut quando exposceretur dispensatio ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad petendum debitum conjugale, hæc dispensatio concederetur cum onere non transeundi ad alias nuptias, post solutum actuale matrimonium.

Verum praxis S. Sedis in hac re mutata est, et non amplius præfatum onus imponitur.

Relate autem ad primam pœnam adulterinæ copulæ unius conjugis cum persona consanguinea alterius conjugis, idest relate ad impedimentum superveniens affinitatis, post contractum matrimonium, Doctores referunt resolutionem S. Congregationis Concilii probatam a Gregorio XIII., qua declaratum est, contrahi hoc impedimentum a conjuge delinquente solummodo, quando copulam carnalem habuerit cum persona consanguinea alterius conjugis in primo gradu, vel in secundo gradu consanguinitatis, non autem in ulteriori. Ratio est quia affinitas in hypothesi considerata est, ceu affinitas orta ex copula illicita, in qua Concilium Tridentinum sustulit tertium et quartum gradum.

Tandem hæc fieri potest animadversio. Dispensatio ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad debitum conjugale petendum, rigorose loquendo poscenda esset a S. Pœnitentiaria, si crimen copulæ sit occultum, si crimen sit publicum, ab Apostolica Dataria. Attamen providere solet S. Pœnitentiaria etiam in casibus impedimenti publici.

Titulus XIV.

De consanguinitate et affinitate.

I. De consanguinitate.

1. Consanguinitas in jure nostro cum aliqua differentia accipitur ac sumitur a jure civili. Nam jure civili consanguinitas potius complectitur cognatos, idest masculos descendentes ex masculis, necnon fœminas quæ per masculos nobis conjunguntur vinculo sanguinis. Jus canonicum sub nomine consanguinitatis complectitur cognationem, quæ ex quacumque comparticipatione sanguinis, sive per masculum sive per fœminam derivat.

2. Consanguinitas ergo definiri potest *'Vinculum personarum, quæ ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo per carnalem generationem descendunt.* Additur *'eoque propinquo'*, ut excludatur stipes remotus, secus enim consanguinitas nimium posset extendi, immo omnes homines possent consanguinei appellari, quia ab eodem Noe, vel Adam originem ducunt.

In consanguinitate considerantur *Linea, gradus, stipes.*

3. Stipes est persona, sive masculus sive fœmina, a qua velut a proximiori principio communi descendunt personæ de quarum consanguinitate quæritur.

4. Gradus est distantia unius personæ ab alia in ordine ad consanguinitatem. — Linea est ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes.

Linea alia est *recta*, alia *obliqua seu transversalis.* Linea recta est successio personarum, quarum una ab altera descendit, idest quarum unaquæque est genita relate ad personam immediate superiorem, est vero generans quoad personam immediate inferiorem.

5. Hæc vero linea dicitur *descendentalis*, vel *ascendentalis*, prout considerentur personæ a Titio descendentes, ex. gr. filius, nepos,

pronepos, abnepos etc.; vel considerentur personæ Titio superiores, nempe ejus pater, avus, proavus, abavus etc.

6. *Obliqua* linea continet personas, quæ consanguineæ solummodo sunt quia ab eodem stipite vel mediate vel immediate derivant. Ex. gr. duo fratres, duo nepotes, pronepotes etc. Hæc vero linea obliqua dicitur vel *æqualis* vel *inæqualis*, prout personæ consanguineæ æqualiter vel inæqualiter distant a communi stipite.

7. Quoniam consanguinitas æstimanda est pro diversa distantia a stipite ex quo ortum habet, hinc quæritur quomodo computetur hæc distantia, idest quomodo gradus consanguinitatis computandi sint. In linea recta Jus Canonicum sequitur Jus Civile, et statuit, 'tot esse gradus quot sunt generationes'. Unde 'tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto stipite.' Quare filius a patre suo uno gradu distat, nepos ab avo duplici distat gradu.

8. In linea autem collaterali Jus Canonicum non recipit civilem computationem. Nam Jus Civile etiam in hac linea consideravit generationes, et tot gradus distinxit quot sunt generationes. Hinc duo fratres sunt in secundo gradu, duo consobrini in quarto, quia in primo casu binæ intervenerunt generationes, quatuor autem in secundo casu.

Jus autem Canonicum considerat solummodo unam lineam, et si lineæ non sint æquales, considerat longiorem. Hinc regula est: In linea collaterali seu obliqua tot sunt gradus, quot sunt personæ in linea longiori, idest duo collaterales in linea æquali tot gradibus distant inter se quot gradibus unus ex illis distat a communi stipite. In linea vero inæquali tot gradibus personæ distant inter se, quot remotior distat a stipite. Quare frater et soror sunt in primo gradu lineæ collateralis æqualis; consobrinus et consobrina in secundo; patruus et neptis pariter sunt in secundo gradu lineæ obliquæ inæqualis, quia neptis duobus gradibus distat ab avo, qui est stipes communis.

9. Quæritur quomodo consanguinitas matrimonium dirimat.

Consanguinitas in linea recta matrimonium dirimit in infinitum, quia reverentia parentibus debita impedit quominus matrimonium consistere possit; et quidem si de primo gradu sermo sit, matrimonium dirimit non solum ex jure Ecclesiastico et Civili, sed etiam ex ipso jure naturali. Nam ratio principii præsertim proximi naturalem instinctum inducit, ob quem personæ alio vin-

culo amoris naturaliter colligatæ, conjugalem amorem fovere nequeunt honeste.

10. Quod si sermo sit de linea collaterali, jure antiquo matrimonium dirimebatur inter consanguineos usque ad septimum gradum inclusive. *Cann. 7. et 17. c. 35. q. 1.* Hæc disciplina Ecclesiæ extendendi impedimenta ad gradus valde remotos, sapiens admodum fuit, habita præsertim ratione temporum. Etenim cum bella intestina vexarent finitimas civitates et oppida, opportunum fuit cogere cives unius oppidi ad nuptias ineundas cum civibus alterius oppidi, ut per matrimonium quod est medium dilatandi charitatem, et conciliandi unionem familiarum, pax inter populos foveretur.

Verum tractu temporis cognitum est, non amplius absque præjudicio animarum posse exigi observantiam præfatæ disciplinæ. Quare jus antiquum correctum est ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV., cujus dispositio legitur in cap. 8. h. t.

In hoc decreto Concilii statutum est, in linea obliqua impedimentum consanguinitatis coarctatum esse ad quartum gradum inclusive, ita ut ultra quartum gradum possit matrimonium valide et licite contrahi. Unde patet limitationem impedimenti pendere ex determinatione Juris Ecclesiastici. In qua limitatione facta a septimo ad quartum gradum inclusive vera ratio limitationis fuit dispendium animarum, quod, experientia teste, ex extensione impedimenti ad septimum usque gradum derivabat.

Præter hanc rationem Concilium et aliam adducit deductam ex quatuor humoribus corporis humani.

Hæc autem secunda ratio quæ potius est exornativa quam formalis, pluribus visa est ridicula, et in dedecus legislationis Ecclesiasticæ verti solet.

Nos vero arbitramur optime posse decretum Lateranense a quavis ignorantiæ et levitatis nota ex hac parte purgari.

Et primo quidem animadvertimus, caput 8. hujus tituli non exhibere rescriptum Pontificis cappellani alicujus manu exaratum, bene vero referre decretum solemne Concilii Generalis sub sapientissimo Pontifice Innocentio III. celebrati. Unde macula ignorantiæ et levitatis tam facile admitti non potest.

Cur ergo ad quatuor humores corporis humani appellarunt Patres Lateranenses?

Respondeo: Quia eo tempore hæc de quatuor humoribus corporis humani theoria recepta erat inter physicos Doctores, et invocari potuit a Patribus Concilii, ut fideles facilius reciperent decretum Conciliare, quod videbant communi de corporis humani elementis theoriæ consentaneum. Opportunum autem est leges disciplinares coordinare cum notionibus et principiis communiter receptis.

11. Quæritur quo jure dirimat matrimonium consanguinitas inter collaterales.

Profecto si sermo sit de secundo, tertio et quarto gradu cognationis carnalis, impedimentum consanguinitatis matrimonium dirimit jure Ecclesiastico. In hisce enim gradibus dispensatio Ecclesiæ admittitur. *Cap. 5. sess. 24. Reform. Matr. in Trident.*

12. Certum vero esse videtur, in primo gradu matrimonium non dirimi ex solo jure Ecclesiastico. Nam 1°. fere omnes gentes abhorruerunt a matrimonio inter fratrem et sororem. Si quis autem populus hoc conjugium admisit, ceu populus barbarus fuit reprehensus. Hinc 2°. Pontifex in *Cap. 8. de divortiis*, decrevit infideles conversos ad fidem non esse separandos, si in secundo vel ulterioribus gradibus consanguinitatis conjuncti matrimonium contraxerint; rationemque addit, quia infideles non ligantur legibus Ecclesiæ. A sensu ergo contrario capitis infertur esse separandos infideles conversos ad fidem, si matrimonium contraxerint in primo gradu consanguinitatis, quia impedimento ligantur quod est infidelibus commune, idest quod non procedit ex mera lege Ecclesiastica, quæ infideles non obligat. 3°. Rem confirmat factum negativum in Ecclesia, quæ numquam dispensavit in impedimento primi gradus consanguinitatis lineæ transversalis. Hinc Concilium Tridentinum in cit. cap. 5. dum loquitur de dispensatione in impedimento consanguinitatis, quæ ab Ecclesia concedi potest, absolute incipit a secundo gradu. Ergo impedimentum hujusmodi non est solum juri Ecclesiastico tribuendum, sed est impedimentum juris superioris.

13. Et quidem juxta plures cum Sanchez, impedimentum hoc est juris naturæ; juxta alios est juris positivo-divini. Et quidem videtur esse juris positivo-divini quia ab ipso mundi initio necesse fuit ut matrimonium contraheretur inter fratrem et sororem. Factum igitur ipsum naturalis propagationis humani generis regit hoc matrimonium. Ergo jus naturæ illud non interdicit, secus

enim eadem lex statim ab initio suspendi, aut dispensari debuisset. Quæ suspensio vel dispensatio divina non bene componitur cum lege naturali propriedicta, quæ cum rerum essentiis innitatur est immutabilis. Quare potius dicendum est, impedimentum de quo agitur, procedere ex jure positivo-divino primo homini intimato, cujus vis et obligatio incipere debebat ab Adæ nepotibus, post sublatam rationem contrariam primæ propagationis generis humani.

II. De affinitate.

14. Affinitas definitur *'Propinquitas personarum ex carnali copula, eaque perfecta et consummata proveniens.'*

Licet *affinitatis impedimentum* imitetur indolem publicæ honestatis, tamen affinitas est aliquid amplius quam publica honestas, nam oritur ex aliqua sanguinis commixtione. Quare in jure requiritur copula carnalis *completa,* ea nempe, quæ per se est apta et sufficit ad generationem prolis. Hinc copula inchoata aut alii tactus impudici non pariunt affinitatem; necesse est enim ut mulier et vir fiant una caro. *Arg. can. 1. caus. 35. q. 10.*

15. Copula esse potest vel *licita* vel *illicita.* De affinitate ex copula illicita jam egimus. In præsenti titulo sermo est de affinitate ex copula licita, de ea nempe, quæ in usu matrimonii locum habet. Quod si matrimonium contractum fuit et consummatum, et deinde declaretur nullum et irritum, conjunctio carnalis consideratur ceu copula maritalis, quia censetur posita in bona fide et affectu maritali. Hinc affinitas exinde orta, sequitur legem affinitatis ex copula conjugii legitimi.

16. Affinitas est *'propinquitas inter virum et consanguineos mulieris, et inter mulierem et consanguineos viri'.* Unde affinitas non est inter ipsum virum et mulierem, inter quos intercessit copula carnalis, sed ipsi quodammodo sunt ad invicem origo affinitatis relate ad mutuos consanguineos.

17. In affinitate autem distinguuntur *lineæ* et *gradus,* imitantes lineas et gradus consanguinitatis. Videlicet consanguinei in linea recta viri sunt affines mulieri in linea recta, et viceversa; consanguinei autem viri in linea obliqua sunt affines mulieri in linea collaterali seu obliqua, et viceversa consanguinei mulieris in linea obliqua sunt affines viro in linea obliqua. Pariter consanguinei viri sunt affines mulieri in eo gradu, in quo cum viro conjunguntur vinculo consanguinitatis, et viceversa consanguinei

mulieris in eo gradu sunt affines viro, in quo sunt consanguinei mulieris ipsius. Quare filia et mater mulieris sunt affines viro in primo gradu lineæ rectæ: soror mulieris est affinis viro in primo gradu lineæ obliquæ.

18. Jure antiquo ante Concilium Lateranense IV. triplex genus affinitatis distinguebatur. Primum genus affinitatis erat illud idem, quod exposuimus inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Secundum genus efformabatur ex affinibus in primo genere, ita ut viro essent affines in secundo genere, qui erant affines mulieri in primo genere affinitatis, et viceversa. Scilicet si vir matrimonium contraxisset cum vidua, personæ, quæ erant affines viduæ ex primo matrimonio, affines erant viro in secundo genere affinitatis. Tertium genus affinitatis constituebatur ex personis jam affinibus mulieri in secundo, quæ fiebant affines viro in tertio genere affinitatis, et viceversa. Ex. gr. supponamus primum virum viduæ, et ipsum fuisse viduum ex præmortua uxore sua, consanguinei hujus primæ uxoris erant affines in primo genere primo viro, erant affines in secundo genere novæ uxori, erant affines in tertio genere ultimo viro.

19. En exemplum. Titius contrahit et consummat matrimonium cum Berta. Consanguinei Bertæ fiunt affines in primo genere Titio. Demoritur Berta. Titius contrahit et consummat matrimonium cum Seja. Consanguinei Bertæ, qui erant affines Titio in primo genere, jure antiquo fiebant affines Sejæ in secundo genere. Demoritur Titius. Seja contrahit et consummat matrimonium cum Sempronio. Consanguinei Bertæ qui erant affines in secundo genere cum Seja, fiebant affines in tertio genere Sempronio. Quare invaluerat adagium juridicum 'affinitas gignit affinitatem'.

20. Pariter affinitas jure antiquo etiam oriebatur inter liberos mulieris ex viro præmortuo habitos, et liberos viri habitos ex muliere præmortua; cui innuitur c. 5. h. t. Unde pater et filius non poterant ducere in uxorem matrem et filiam. Insuper nec duo fratres poterant ducere duas sorores. Verum Lateranen. Concilium IV. *in cap. 5. et in cap. 8. h. t.* omnes sustulit affinitates, et solummodo reliquit primum genus affinitatis, eam nempe quæ est inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Unde sublata est antiqua regula, et contraria regula fuit eidem substituta, nempe 'affinitas non parit affinitatem'.

21. Sæculo elapso agitata est quæstio, utrum licite et valide possit consistere matrimonium inter vitricum et uxorem privigni præmortui. Pro sententia negativa adducebatur *lex 15. ff. De ritu Nuptiarum,* in qua expresse traditur vitricum non posse matrimonium contrahere cum uxore privigni sui; nec non afferebatur *lex 'Non facit' § 'Hoc itaque' ff. De gradibus affin.* At contra adductum est cap. 8. h. t. in quo sublatum est secundum et tertium genus affinitatis. Jam vero in casu revera agitur de secundo genere affinitatis. Nam uxor privigni est affinis in primo genere matri privigni ipsius, et proinde est affinis vitrico in secundo genere affinitatis.

Hisce perpensis die 8. Martii 1721 a Sacra Congreg. responsum est, non posse impediri matrimonium inter vitricum et uxorem privigni præmortui. Conferri potest Benedictus XIV. *Quæst. can.*

22. Quæritur quoadusque sese protendat impedimentum affinitatis ex copula licita.

Ante Concilium Lateran. IV. affinitas dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum. At Innocentius III. in eodem Conc. restrinxit hujusmodi impedimentum usque ad quartum gradum inclusive. Cap. 8. h. t. Et hæc dispositio adhuc viget. Licet enim Trid. *in cap. 4. sess. 24. De Reform. Matrim.* correxerit jus antiquum, quoad affinitatem ex copula illicita, et coarctaverit impedimentum inde exortum ad secundum gradum, tamen relate ad affinitatem ex copula honesta jus antiquum in sua integritate reliquit.

23. Quo posito quæritur: 'An copula habita per consummationem matrimonii quod civile dicitur dirimat usque ad quartum gradum, vel potius solummodo usque ad secundum?' Arbitramur, solummodo usque ad secundum gradum. Ratio dubitandi ex adverso allata hæc est, quia contractus civilis habet formam conjugii, licet invalidi, unde copula exinde habita non est confundenda cum copula fornicaria de qua loquitur Concilium Trident. *in sess. 24. De Reform. Matrim. cap. 4. De Angelis, L. 4. t. XIII°. n. 5°.*

24. Verum hæc ratio nobis non arridet. Nam postquam Ecclesia explicite declaravit, per contractum civilem induci turpem et exitialem *concubinatum (Allocutio Consistorialis diei 27. Sept. 1852. Instructio S. Pœnitentiariæ. d. 15. Januarii 1866),* nemo unquam dicere poterit copulam carnalem, quæ in matrimonio civili habetur referre aliquo modo formam seu figuram copulæ honestæ,

et non esse potius vere fornicariam. Igitur cum copula hujusmodi sit vere et proprie fornicaria, affinitas, quæ inde exurgit, dici debet affinitas ex copula illicita, adeoque ea matrimonium dirimit usque ad secundum gradum.

25. Quæritur quo jure affinitas dirimat matrimonium.

In cap. XVIII. Levitici plures gradus affinitatis exhibentur, in quibus interdictum est matrimonium. Verum Synodus Tridentina in *cap. 5. sess. 24. De Reformat. Matrim.* condemnavit eos, qui dicebant Ecclesiam non posse dispensare in aliquo ex impedimentis consanguinitatis et affinitatis in Levitico descriptis. Quare Ecclesia nonnulla impedimenta ex affinitate orta suæ potestati subjecta esse censuit, adeoque censuit esse juris Ecclesiastici.

26. Et revera si sermo sit de affinitate ex linea obliqua, certi esse possumus, impedimentum inde ortum etiam in primo gradu esse juris Ecclesiastici. Nam Ecclesia sæpe dispensavit. Pariter animadverti potest legem Mosaicam jussisse, ut frater sibi assumeret uxorem fratris præmortui, ejusque semen excitaret. Quod præceptum non posset conciliari cum lege naturæ contraria, vel cum lege divino-positiva, quæ universum humanum genus obligaret.

27. Quæstio, quæ agitur maxime inter Doctores, respicit affinitatem in primo gradu lineæ rectæ. Quærunt scilicet Doctores, quo jure nullum sit matrimonium inter vitricum et privignam, et inter novercam et privignum.

Nonnulli Doctores cum Sanchez *(lib. 7. disput. 66)* tenent matrimonium hoc dirimi ex solo jure Ecclesiastico. Alii autem docent dirimi ex jure naturali et divino.

Ratio horum Doctorum triplex est. 1°. quia gentes instinctu naturali talia conjugia reprobarunt. Hinc Paulus in I°. Cor. c. 5. dicere non dubitavit: 'Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat'.

2°. Quia in jure privignus vel privigna, relate ad novercam vel vitricum habentur in loco filiorum. *can. 15. cap. 35. q. 3.*

28. 3°. Quia Ecclesia in primo gradu affinitatis lineæ rectæ nunquam dispensavit.

29. Prima autem sententia suo non caret fundamento. Et sane affinitas originem habet ex copula. En origo juridica impedimenti. Hæc origo communis est tum affinitati ex copula licita, tum affinitati ex copula illicita. Ergo vis intrinseca et juridica

utriusque eadem est. Et si quæ est modificatio et limitatio unius præ alia, hæc procedit ex dispositione positiva Ecclesiæ, quæ respectum habet ad honestos mores et familiarum decus. Atqui Ecclesia dispensavit et dispensare solet in primo gradu lineæ rectæ affinitatis ex copula illicita. Ergo Ecclesia potest rigore juris dispensare in primo gradu affinitatis etiam ex copula licita.

30. At cur non fecit? — Quia ratio decentiæ et publicæ opinionis non consuluit. At aliud est quod non expediat aliquid facere, aliud est quod non habeatur jus ad aliquid faciendum. Quare S. Sedes quando negat dispensationem ab impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ ex copula licita, hanc formulam habet: 'Ecclesia super hoc impedimento non dispensat', non autem dicit non posse dispensare, aut alia hujusmodi.

31. Neque contrarium probat relatio intercedens inter vitricum et privignam, et inter novercam et privignum, nam relatio hæc est fictitia et legalis, non autem naturæ. Sane non raro inter istas personas non excitatur amor paternus, vel maternus, et relativus amor et veneratio filialis.

32. Quoad vero gentium mores, quibus conjugium de quo agitur reprobatur, animadvertunt exinde solummodo probari quamdam indecentiam, non autem veram repugnantiam conjugii cum stricto jure naturæ.

33. Relate autem ad textum Paulinum animadvertunt, Paulum indignatione exarsisse, quia privignus uxorem patris sui *adhuc viventis,* tamquam suam retinebat. Quod inferunt ex cap. 7. Ep. II. ad Cor. v. 12; ubi Paulus alludens ad incestuosum Corinthium, meminit de injuria, quæ certe nonnisi patri viventi proprie irrogari poterat.

Si admittatur hæc secunda sententia, impedimentum affinitatis in tota sua extensione est impedimentum juris Ecclesiastici.

Titulus XV.

De frigidis et maleficiatis, et de impotentia coëundi.

1. Agitur in titulo de *impotentiæ impedimento.* Impotentia est *'inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam'.* Copula autem perfecta ea est quæ per effusionem virilis seminis in vas mulieris de se capax est generationem operandi.

Dixi 'de se capax est'; non enim requiritur, ut de facto generationem operetur. Siquidem impotentia distinguitur a *sterilitate.* Sterilitas autem habetur, cum, posita etiam copula carnali completa, tamen generatio non efficitur.

2. Impotentia alia est *naturalis,* alia *extrinseca.* Naturalis est, quæ procedit ex defectu naturæ: ex. gr. ob ætatem impuberem, et ob nimiam caliditatem vel frigiditatem in viro; in muliere autem præsertim ob aretitudinem et imperfectam conformationem partium genitalium. Extrinseca impotentia dicitur ea, quæ provenit vel ex infortunio, vel ex maleficio, et opera hominis.

3. Impotentia vel est *perpetua* vel *temporanea.* Perpetua ea dicitur, quæ est immedicabilis, sive ea proveniat ex defectu naturali, sive ex facto hominis. Et quidem immedicabilis censetur impotentia, quæ præter divinum miraculum auferri non potest per opus honestum humanum, absque vitæ periculo. Cap. 6. h. t. Impotentia autem, quæ vel ætate vel adhibitis honestis et possibilibus remediis auferri potest, dicitur temporanea.

4. Distinguitur etiam impotentia in *absolutam* et *relativam.* Absoluta impotentia verificatur, quando impossibilis est conjunctio conjugalis cum omnibus alterius sexus individuis. Relativa autem est impotentia, quando persona impotens non potest carnaliter conjungi solummodo cum aliqua, vel aliquibus personis alterius sexus, sive impotentia procedat ex defectu, sive ex quadam mysteriosa aversione et repugnantia.

5. Tandem impotentia alia est *antecedens,* alia *subsequens,* prout vel præexistat matrimoniali contractui, vel inde superveniat.

6. Quæritur quænam impotentia dirimat matrimonium.

Impotentia sive naturalis, sive extrinseca, perpetua et antecedens, sive sit absoluta, sive relativa, dirimit matrimonium. Cap. 6. h. t. et ex tota doctrina tituli.

Diximus 1°. *impotentia.* Nam sterilitas non dirimit matrimonium præsertim quia sanari potest et sæpe experientia docet sterilitatem fuisse sanatam. Hinc in matrimoniis requiritur *potentia* non autem *fœcunditas. Can. 27. caus. 32. q. 7.* Quare senes admittuntur ab Ecclesia ad matrimonium contrahendum, non autem eunuchi, qui ex vitio physico immedicabili verum semen virile effundere nequeunt.

2°. Impotentia debet esse *perpetua:* si enim est temporanea matrimonium non dirimit, quia in matrimonio confertur mutuum

jus in corpora, *usus* vero retardari potest, quin jus ipsum destruatur. Hinc in impubere ætate matrimonium non admittitur ob impedimentum ætatis ab Ecclesia statutum, non autem ob impedimentum impotentiæ.

3°. Impotentia debet esse *præcedens;* subsequens enim non dirimit matrimonium. *Can. 25. caus. 32. q. 7.* Semel etenim contractum matrimonium est natura sua perpetuum, quæ perpetuitas excludit rescindibilitatem. Cæterum etiam superveniente impotentia, matrimonium utile adhuc perseverat ob societatem mutui adjutorii.

4°. Parum refert utrum impotentia sit *naturalis,* vel proveniens ex *maleficio,* vel utrum sit absoluta vel tantummodo relativa, quia semper matrimonium dirimit. Semper enim adversatur primario fini conjugii.

7. Quæritur quo jure impotentia dirimat matrimonium.

Sunt qui repetunt a jure humano impedimentum impotentiæ, sunt vero qui a jure naturali illud repetunt.

Prioris sententiæ Doctores ita ratiocinantur: Quamvis matrimonium sit institutum ceu medium legitimum propagationis generis humani perficiendæ, tamen finis etiam matrimonii est mutuum adjutorium juxta intentionem Dei protoparentibus manifestatam, cujus intentionis expressio habetur in illis verbis Gen. Cap. II. v. 18. 'Faciamus ei adjutorium simile sibi.' Jamvero hic effectus matrimonii optime potest obtineri supposita etiam impotentia coëundi. Ergo matrimonium erit semper honestus contractus, etiam supposita impotentia.

8. 2°. Hanc veritatem agnovit ipsum jus positivum. Nam in cap. 4. h. t. species est de matrimonio, quod impediebatur ex titulo impotentiæ antecedentis et perpetuæ, et pars quæ erat potens volebat ad alias nuptias transire. Lucius vero III. negavit facultatem ad alia vota transeundi, imposuitque partibus ut si non possent uti vir et uxor, viverent simul ceu frater et soror. Jamvero si impotentia esset impedimentum juris naturalis, Pontifex debuisset pro nullitate matrimonii pronunciare. Non potest enim Pontifex validum declaratione sua reddere matrimonium inter personas de jure naturæ inhabiles. Igitur Lucius III. facto suo retinuit impotentiam non esse impedimentum juris naturalis.

Quod si deinde Ecclesia nulla declaravit matrimonia ex capite impotentiæ, hæc mutatio disciplinæ ostendit post Lucium III. ab Ecclesia impedimentum impotentiæ institutum fuisse.

9. Confirmatur ex responsione data a Sixto V°. Legato Apostolico in Hispaniis.

Cum enim eunuchi solerent contrahere matrimonium solummodo in mutuum adjutorium, et cum promissione non experiendi inutiliter copulam carnalem, factum est ut promissionem non observarent. Sixtus V. interrogatus hac de re, per litteras in forma *Brevis, die 27. Junii 1587.* exaratas, Episcopo Novariensi in Regno Hispaniarum Apostolicæ Sedis Legato commisit, ut auctoritate Pontificis prohiberet eunuchis et aliis impotentibus, quominus contraherent matrimonium cum qualibet muliere etiam sciente. *(Vide Giraldi Expositio juris Pontif. com. ad Cap. IV. h. t.)*

Igitur ante licebat eunuchis et spadonibus matrimonium contrahere ad mutuum adjutorium. Certe non licuisset si impotentia matrimonium dirimeret jure naturali.

10. Alterius sententiæ patroni asserunt, impotentiæ impedimentum esse ex ipso jure naturali. Nam substantia contractus ex jure naturæ non regitur ex fine secundario, bene vero ex fine ejus primario et essentiali. Hinc ut alias vidimus conditiones turpes contra substantiam matrimonii illud nullum reddunt, quia contrahentes non videntur intendere et velle ipsam substantiam contractus. Jamvero, posito fine primario matrimonii, qui consistit in prolis generatione, matrimonium consistere non potest, quoties partes sibi jus tradere non possunt ad actus conjugales perficiendos, idest ad ponendos actus de se idoneos ad gignendam prolem. Atqui posita impotentia in sensu explicato, qui ea laborat, hoc jus tradere non potest. Ergo non conficit contractum jure naturali validum. Neque valet objicere, matrimonium fuisse institutum in mutuum adjutorium. Nam hoc mutuum adjutorium non est qualecumque, sed illud quod cum amore conjugali conjungitur, et proinde finis mutui adjutorii est subordinatus alteri fini principaliori. Unde Augustinus adnotat Deum non fecisse virum in adjutorium simile Adæ, sed fecisse mulierem.

11. Nec valet difficultas ex Cap. 4. h. t. deducta. Nam distinguenda est doctrina theoretica Ecclesiæ ab ejus practica applicatione in casibus particularibus, in quibus concurrere possunt rationes prudentiæ, quæ impediant plenam et absolutam executionem eorum, quæ theoretice uti firma et certa retinentur. Siquidem Ecclesia Romana retinuit semper impotentiam antecedentem et perpetuam impedimentum dirimens constituere.

Sane quoad præsentem difficultatem deductam ex Cap. 4. h. t. quod est Lucii III., sufficeret afferre Cap. 3. ejusdem tituli, in quo capite 3. impotentes absolute declarantur inhabiles ad contrahendum matrimonium, et matrimonium ab impotente initum dissolvitur.

12. At licet hæc certa et fixa essent in theoria, nihilominus quando propositæ sunt quæstiones in concreto de solvendis conjugiis jam contractis, solita fuerat Ecclesia Romana, abhorrere a separatione conjugum ob potentes rationes. De hac consuetudine Ecclesiæ Romanæ testatur Alexander III. in Cap. 2. h. t. in prima collectione Canonum, necnon Clemens III. in Cap. 4. h. t. in eadem prima Collectione Canonum. Quod si fides præstanda sit Gratiano, hæc consuetudo incepit a S. Gregorio Magno, prout traditur in *Can. 2. Requisisti. Caus. 33. q. 1.*

Rationes hæ potissimum erant 1°. quia impotentiæ existentia est difficilis probationis, et facile contingere potest, ut qui ad aliquod tempus impotens est, deinde fiat potens. Unde in Cap. 6. h. t. Innocentius III. decernit primum matrimonium solutum ex capite impotentiæ revalidari si deinde potentia emergat, quamvis matrimonium fuerit solutum per errorem probabilem.

2°. Posita etiam impotentia dubitari potest utrum fuerit necne antecedens. Quare ad tutandam matrimonii firmitatem invocatum est principium quo statuitur, melius esse ut aliquod matrimonium sustineretur tamquam validum de quo dubitari possit, quam ut aliquod matrimonium solveretur. Hinc in casibus propositis solita fuerat Romana Ecclesia præcipere ut conjuges viverent tamquam frater et soror. Quæ disciplina magis rationabilis credebatur in hypothesi cap. 4. h. t. Siquidem species est de viris contrahentibus matrimonium cum mulieribus, quas noverant esse impotentes. In qua hypothesi, si matrimonium non solvatur, sed præcipiatur cohabitatio et conversatio fraterna ad exclusionem maritalis conversationis, nulla injuria viris irrogatur. Concludendum igitur est decisionem Lucii III. non lædere theoriam de origine impedimenti impotentiæ ex ipso jure naturali, quia solummodo respicit casus speciales, in quibus Ecclesia Romana ut tutius procederet et tueretur magis firmitatem matrimonii, maluit conjuges vivere uti fratrem et sororem, potius quam declarare matrimonii nullitatem.

13. Qua vero in re ob mutatas temporum circumstantias mutata est etiam disciplina Ecclesiæ. Nam cum experientia docuisset conjuges impotentes non observasse legem continentiæ, factum est

ut probata impotentia antecedente et perpetua alterutrius conjugis, matrimonium nullum declararetur, simulque conjugi potenti tribueretur facultas transeundi ad alia vota.

14. Ipse Cœlestinus III. in cap. 5. h. t. in casu impotentiæ alterutrius conjugis concessit conjugi potenti optionem, vel ad alia vota transeundi, vel manendi cum conjuge impotente, sub ea tamen conditione, ut viverent ceu frater et soror. Quare sensim sine sensu disciplina mutata est in praxi, licet in theoria indubium esset, impotentiam inhabiles reddere personas ad contrahendum matrimonium.

15. Relate ad animadversionem deductam ex responsione Sixti V. data per litteras in forma *Brevis* Episcopo Novariensi, dicimus ex hac responsione inferri, matrimonia eunuchorum non fuisse antea ab Ecclesia recepta et approbata tamquam vera et legitima matrimonia, sed potius tamquam simulacra matrimonii fuisse habita et sub hoc respectu tolerata fuisse.

16. Sane ipse Sixtus V. in iisdem litteris agnoscit, secundum canonicas sanctiones, et quod magis est, secundum naturalem rationem, impotentes non reputari aptos ad contrahendum matrimonium. Quare cum verum matrimonium eunuchorum esse non posset, cumque constaret ex experientia eos noluisse servare conditiones fratris et sororis, et ex illicita conversatione cum mulieribus gravissima scandala in populo Christiano derivasse, Pontifex statuit prohibendam esse unionem quamcumque eunuchorum cum mulieribus.

Igitur responsio Sixti V. non lædit sententiam, quæ tenet impedimentum impotentiæ matrimonium dirimere ex jure ipso naturali.

17. Quæritur quomodo expedienda sit in praxi quæstio impedimenti impotentiæ.

Norma antiqua procedendi in causis impotentiæ traditur *in Cap. 3. h. t. et in Cap. 6. et 7. eodem tit.* Modus hic erat: Si de impotentia perpetua et antecedente ex certis signis constitisset, facta etiam per idoneas personas inspectione, statim a judice declarabatur nullum esse matrimonium. Partibus vero dabatur optio vel ut simul viverent veluti frater et soror, vel ad invicem separarentur. Cap. 5. h. t. Quare conjugi potenti per sententiam judicis non appellatam concedebatur facultas novum matrimonium cum alia persona conciliandi.

18. Conjux autem impotens poterat quidem novum matrimonium celebrare, si impotentia solummodo relativa fuisset: quodsi fuisset absoluta quodcumque conjugium ei interdicebatur.

19. Si autem impotentiæ signa dubia fuissent, sententia separationis non proferebatur, sed juxta normam juris civilis in Novella 22. § *Per occasionem,* triennale experimentum continuæ cohabitationis, et conjugalis conversationis indicebatur. Quo triennio inutiliter elapso absque consummatione matrimonii, plenum divortium decernebatur, et pars potens novas nuptias inire poterat. Porro nonconsummatio matrimonii probabatur ex inspectione corporis peracta a probatis personis et idoneis, necnon ex depositione jurata ipsorum conjugum, quorum attestationi adjungi debebat testimonium *'Septimæ manus'* propinquorum bonæ famæ, vel vicinorum. Videlicet septem propinqui utriusque conjugis, vel in eorum defectu septem vicini interrogabantur a judice quid sentirent circa matrimonium cognati sui, vel vicini, utrum scirent matrimonium fuisse consummatum necne, et utrum credendum esset conjugibus affirmantibus matrimonium non fuisse consummatum, non obstantibus conatibus positis ad carnalem copulam habendam.

20. Modus hic procedendi in causis impotentiæ perfectiorem formam obtinuit præsertim ex norma generali, quam instituit Benedictus XIV. pro causis matrimonialibus quoad vinculum expediendis. Norma hæc traditur in Constitutione *'Dei Miseratione' data die 3. Novembris 1741.*

21. In hac Constitutione primo loco commemorat Pontifex decretum Tridentinum, quo statuitur causas matrimoniales in prima instantia reservari Episcoporum examini, ad exclusionem Decani, Archidiaconi et aliarum dignitatum inferiorum, quibus ex jure vel consuetudine competere poterat jurisdictio in causis etiam matrimonialibus.

22. Possunt vero Vicarii Capitulares, sede vacante causas matrimoniales videre et decernere, quia in ipsos transit jurisdictio Episcopalis ordinaria et necessaria. Unde S. Congregatio Concilii recipit processus confectos et sententias a Vicariis Capitularibus in hac re editas. Exemplum nuperrime habemus in Causa Tolentinatensis matrimonii proposita die 17. April. 1869.

23. 2°. Statuit Pontifex ut persona aliqua eligatur idonea, et si fieri potest ex cœtu Ecclesiastico, juris scientia et probitate præ-

dita, quæ defensoris vinculi matrimonialis munere fungatur, quæque verbo et scripto proponat rationes militantes in favorem vinculi ipsius, necnon debeat præmittere juramentum de munere suo fideliter obeundo. Porro defensor, sub pœna nullitatis actorum, debet citari, vel intimari, et adesse debet singulis actibus judicialibus.

24. 3°. Statuit Pontifex (§ 14) non uno judicio causam matrimonialem finiri, sed saltem binas sententias conformes requiri, ut matrimonium ceu nullum habeatur, et partes vel saltem pars potens possit aliud matrimonium conciliare. Hinc correctum est antiquum jus Decretalium, quo post unam sententiam non appellatam, licebat parti potenti novas nuptias inire. Quare si nullus a sententia primæ instantiæ, quæ matrimonium solverit, appellavit, ipse Defensor vinculi matrimonialis, ex officio suo appellabit ad tribunal superius. Et in secunda instantia novus Defensor vinculi designabitur, qui officium suum ad instar prioris Defensoris implebit, idest adstare debet in omnibus actibus judicialibus quæ conficiuntur, necnon veritatem vinculi defendere tenetur.

25. 4°. Quamvis in Cap. 5. h. t. insinuetur matrimonium jam solutum redintegrari, si appareat deinde fuisse solutum per errorem probabilem, tamen expresse non traditur causas matrimoniales nunquam transire in *rem judicatam*. Benedictus XIV. vero in cit. Constitut. § 11. expresse tradit, causas matrimoniales nunquam transire in *rem judicatam*. Quare si nova res detegatur, quæ ignorata fuit, vel non deducta in judicium, causa iterum poterit resumi, et rursus in controversiam revocari.

Insuper in cit. § 11. decernit Pontifex etiam post secundam conformem sententiam pro nullitate matrimonii posse ipsum Defensorem vinculi, si in conscientia crediderit, sententiam fuisse vel manifeste injustam, vel invalidam, appellare, et appellare posse etiam alterutrum ex conjugibus.

Pendente autem appellatione ad tertiam instantiam statuit Pontifex vetitum esse utrique conjugi ad alia vota transire. Quæ omnia revera ostendunt favorem matrimonii.

Accessit Instructio S. Congregationis Concilii diei 22. Augusti, 1840. quæ adhuc in praxi plene sciatur. Quare hic per totum eam transcribere juvat.

Instructio

edita a S. Congregatione Concilii die 22. Augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus.

26. Cum moneat Glossa *(in cap. fin. de frig. et malef.)* in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez *(De matrim. lib. VII Disp. 107.)* et Cardinalis Argenvilliers *(in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5. vol. ult. n. 16.)* plura hinc a sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum judicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quæ conjugum malitia, vel collatione sæpe oriebantur, S. M. Benedictus XIV. (in Const. *Dei Miseratione)* processum conficiendum esse præcepit, sub pœna nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis hujusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, judices in proferendo judicio tuti conquiescere possent. At quia sæpe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio sæpius instructiones edidit, ac normam præscripsit, quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in hujusmodi causis non de jure alterutrius partis tantum, sed præcipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum judiciorum, præsertim civilium, sed juxta sacros Canones, citatam S. M. Benedicti XIV. Constitutionem, et præsentem instructionem erunt efformanda.

27. Ea itaque non vernaculo, sed latino erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; præsertim vero decreta et sententia, quæ juxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur.

28. Præterea cum a Sacro Concilio Trid. *(Sess. 24. Cap. 20. de ref. § Ad hæc)* ac etiam a S. Mem. Benedicto XIV. *(in cit. Constit. 'Dei miseratione')* causarum matrimonialium cognitio quibusvis judicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac præscriptione, fuerit sublata ac Episcoporum tantum examini ac jurisdictioni reservata, etiam præ Abbatibus vere nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus, juxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta

processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

29. Hisce præmissis, quoties aliquis ex conjugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus Judicem, si velit, delegabit, deinde ipse vel Judex delegatus citari mandabit Defensorem matrimonii, quatenus in Curia Episcopali jam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus præstantem, quas superius memorata Constit. Bened. XIV. requirit, eumque citari mandabit.

30. Defensoris matrimonii erit præfixa die accedere ad præstandum juramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quæ ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Præterea hic Defensor Matrimonii citandus erit ad quælibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque scripta ejus erunt recipienda, ac novi termini, eo flagitante, erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

31. Præfinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda, illo postulante, ex Judicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit conjux instans pro nullitate. Iis addet etiam ea in actu examinis ex officio Judex, quæ ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam, sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus cæteri omnes de re instructi erunt examinandi.

32. Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans, comparebit, ut supra dictum, coram Judice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Judex defert parti examinandæ juramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a Defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

33. Interim dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius exscribat in processu primam interrogationem, et deinceps singulas

ex ordine, post quas scribet responsiones a Judice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Judice, vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio,* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore Matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Judex illud suspendet, ac destinabit etiam diem ac horam pro reassumptione et prosecutione eisdem modo et forma facienda, ut supra dictum est.

34. Absoluto examine, Cancellarius leget clara voce et intelligibili responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem Judex deferat juramentum eidem conjugi, se vera dixisse, atque nunquam ante promulgationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illitteratus per signum Cru†cis; dein Judex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

35. Poterit pars examini subjecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter conjux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus conjux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Hæc norma, quæ data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

36. Expleto examine illius conjugis, qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius conjugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quæ præscriptæ fuerunt in præcedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout defensor Matrimonii in Domino censuerit.

37. Deinde procedendum erit ad examen *'septimæ manus'* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. *(in cap. 'Litteræ vestræ' de frig. et malef.)* Ut id facilius exequi Judex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate conjunctos, si fieri

possit, sin minus, septem vicinos bonæ famæ. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis conjugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem, et honestatem illius conjugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse.

38. Similiter, instante Defensore Matrimonii citandus erit alter conjux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonæ famæ, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subjiciendi designatis diebus et horis, delato prius juramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

39. Liberum erit conjugibus testes bonæ famæ ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim, et methodo hactenus præscripta erunt examini subjiciendi.

Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis jam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subjiciantur.

40. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant, etiam ob distantiæ sumptus, vel ad partis instantiam, vel ea silente, ad instantiam Defensoris matrimonii, erunt ab Episcopo illius Diœcesis, in qua morantur, examinandi juxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui præstet requisitis in Bulla sæpius laudata S. M. Benedicti XIV. præscriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

41. Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt præsertim, quando initum fuerit matrimonium, utrum inter conjuges mutui amoris et benevolentiæ signa intercesserint, quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint, utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

42. Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos conjuges consuluerunt. Præterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si

conjuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis conjugum seorsim sequente methodo perficiendam. Instante præsertim Defensore matrimonii Judex præfiget terminum tam utrique conjugi, quam Defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium, et diffidentium pro utriusque conjugis inspectione, congrua congruis referendo.

43. Exhibitis notulis a partibus, Judex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant; sin minus, eos ex officio, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit, atque curabit ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis, tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit cognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, necnon facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

44. Designata die et hora ad locum accedant Judex, Defensor Matrimonii, Cancellarius, et periti. Singuli ex peritis, ac seorsim, corpus viri inspicient, ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quæ juxta artem, non tamen illicitis, opportuna judicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione hæc præcipue investiganda et referenda erunt:

An adsint signa physice certa impotentiæ, deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio, quod apparere poterit. An adsint signa, quæ moralem certitudinem inducant impotentiæ, et quatenus existant, quæ sit hujus impotentiæ causa, utrum sit impotentia perpetua, insanabilis ac præcedens matrimonium, an signa impotentiæ sint dubia vel æquivoca.

45. Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor Matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit jus addendi alia interrogatoria, ac iterum eos ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, Judex aliam diem designabit ut illud prosequatur. Uterque ex peritis, tum ante examen juramentum præstabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, propria manu subscribens, Judex,

Defensor validitatis Matrimonii et Cancellarius subscribet et qui actum rogabit.

46. Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Judex, ut supra dictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit, quæ a duobus saltem peritis, uno medico, et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendæ de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione.

Statuta autem hujus inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestæ Matronæ pariter a Judice deputandæ pro infrascripta præstanda personali assistentia, atque adstantibus semper tribus obstetricibus, et matrona, immergenda erit in balneo aquæ tepentis a peritis prius recognoscendo, quod erit aquæ puræ, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horæ unius permanere debebit; quo tempore transacto, adstantibus et præsentibus semper Matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et præsente Matrona: qua in re prospiciendum etiam, ut hæc recognitio fiat tempore tantum diurno, et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione hujusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

47. Judex, Defensor Matrimonii et Cancellarius cum peritis, ut supra ad domum Matronæ accedent. Peracta illinc recognitione, seorsim singulæ obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis præcise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quæ clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis Matrimonii.

48. Deinde formali examini erunt subjiciendi periti, quorum judicium erit exquirendum, super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad præstitam toto balnei et recognitionis tempore assistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quæ superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Judex præ sua diligentia assu-

mendam, finis imponetur probationum collectioni, et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Judice, factisque subscriptionibus ab eo, a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Hæc habenda methodus.

49. Quæ in actis continentur, nemini nec ipsis quidem conjugibus, eorumque Defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem judicatam, ac reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus, juxta constitutionem sæpius citatam *'Dei miseratione'*.

Omnibus absolutis et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

50. Si hæc Matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor Matrimonii appellare juxta citatam Constitutionem, nec poterunt conjuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub pœnis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *'Dei miseratione'*. Deinde transmittenda sunt acta ab Episcopo ad Judicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competent mercede Cancellario.

51. Hæc quæ diximus communia ut plurimum sunt omnibus causis matrimonialibus. In specie autem relate ad causas nullitatis matrimonii ex capite impotentiæ animadvertendum est experimentum triennale, quod jure Decretalium usque ad tempora nobis proxima in usu fuit, hodierna disciplina in usu amplius non esse, et ut pragmatici loquuntur, ab aula recessisse. Cognitum enim est non amplius experimentum hoc expedire, præsertim quia ob malam fidem apparuit illud non amplius esse medium honestum et utile.

Sane contigit ut conjux qui accusabat impotentiam relativam, libidinem cum alia persona expleret, antequam ad suum conjugem accederet. Quare ad omnia incommoda vitanda, hæc praxis in S. Congregatione Concilii inducta est. Quando solutio matrimonii exposcitur ex capite impotentiæ duo proponuntur dubia: 1°. An constet de matrimonii nullitate ex capite impotentiæ? Et

quatenus negative, 2°. an sit consulendum Sanctissimo super dispensatione matrimonii rati et non consummati?

52. Si constet de impotentia præcedenti et perpetua, Congregatio respondet ad 1m. *affirmative;* ad 2m. *provisum* in 1°. Si autem de impotentia non satis constet, sed constet matrimonium non fuisse consummatum, simulque adsint causæ sufficientes ad dispensationem concedendam, dubiis solet respondere S. Congregatio ad 1m. *Providebitur in 2°;* ad 2m. *Affirmative.*

Per hanc disciplinam immutata est dispositio cap. 6. h. t. Nam in cap. 6. sententia Judicis erat solummodo declaratoria, qua nempe matrimonium nullum declarabatur ob impotentiam antecedentem et perpetuam. Unde si tractu temporis apparuisset impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium solutum redintegrari debebat.

53. In actuali autem disciplina intercedit dispensatio auctoritativa, qua si adsit vinculum matrimonii rati illud solvitur. Unde si deinde appareat impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium non redintegratur. Constare autem debet matrimonium non fuisse consummatum; quoties enim appareat consummatum fuisse, dispensatio non conceditur, et conjuges tenentur conversationem conjugalem, idest individuam vitæ consuetudinem restaurare. Porro non-consummatio matrimonii probatur communibus argumentis judicialiter cognitis, idest ex confecto processu resultantibus.

54. Causæ autem dispensationis præsertim sunt maxima dissociatio animorum, fundatum dubium de impotentia alterutrius conjugis, periculum incontinentiæ, et aliqua coactio moralis adhibita, ut matrimonium contraheretur.

Titulus XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

1. Interdictum Ecclesiæ lato sensu sumptum opponitur legi Ecclesiæ irritanti matrimonium, et proinde complectitur omnem prohibitionem Ecclesiæ, qua matrimonium illicitum redditur, non tamen invalidum. Unde nomine interdicti Ecclesiæ veniunt omnia impedimenta impedientia matrimonium.

Interdictum Ecclesiæ stricto sensu significat impedimentum impediens in specie quod dicitur *Ecclesiæ vetitum,* de quo infra.

2. Antiquitus impedimenta impedientia hisce versiculis concludebantur:

'Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Aut si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent conjugium sociandum.'

3. Non amplius hæc omnia impedimenta vigent, sed quæ adhuc extant ad quatuor reducuntur, scilicet: 'Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum'.

Ecclesiæ vetitum significat prohibitionem superioris, qua alicui in particulari interdicitur celebratio matrimonii.

Superior hic potest esse Pontifex, vel Episcopus, vel etiam Parochus.

4. Pontifex uti vidimus in 1°. tit. hujus libri potest prohibere matrimonium etiam cum clausula irritante, quo in casu si contrahatur matrimonium, non solum est illicitum sed etiam invalidum, quia Pontifex, qui potest per regulam generalem statuere impedimentum dirimens, potest etiam illud statuere relate ad individuum.

Episcopus etiam prohibere quidem potest matrimonium, at nunquam ejus prohibitio constituit impedimentum dirimens, sed solummodo impediens.

5. Immo licet prohibeat Parocho, ne assistat alicui matrimonio, tamen quia Parocho remanet titulus Parochi, si matrimonio assistat, valide coram eo contrahitur matrimonium. Ita S. Congregatio in respons. dat. a. 1581. ad dubia proposita ab Episcopo Siennensi, et in '*Savonens.*' *2. Martii 1595.* Ex cap. 3. h. t. infertur etiam Parochum ex justa ratione ad tempus posse inhibere celebrationem matrimonii. Hæc enim est differentia inter Parochum et Episcopum, ut Parochus, quia non habet fori externi et judicialis jurisdictionem, possit inhibere solummodo matrimonium extrajudicialiter, et absque censuris, Episcopus vero possit, sive extrajudicialiter, sive etiam judicialiter, adhibita etiam censurarum comminatione. C. 2. h. t.

6. Contrahentes matrimonium, spreto interdicto Ecclesiæ, ex eodem c. 2. h. t. graviter peccant.

Pœnæ in specie non adsignantur. Hinc pœna infligitur ex arbitrio Episcopi, juxta qualitatem contumaciæ, et facti circum-

stantias: immo puniri etiam possunt testes dolose assistentes matrimonio. Ita S. Congreg. Conc. *in Floren. die 10. Febr. 1679.*

De aliis tribus impedimentis adhuc vigentibus jam vidimus in 1°. tit. hujus libri.

7. Nunc historice et ad intelligentiam veterum canonum breviter agimus de reliquis impedimentis impedientibus, quæ sive ex lege contraria, sive ex consuetudine vel ex toto vel saltem ex parte abrogata fuere.

Primum impedimentum est *Catechismus.*

Hoc duplex est, vel compaternitas ex Catechismo, vel Catechismus ignoratus.

Relate ad 1^m^. Catechismus quoad præsentem materiam erat instructio fidei, quæ olim fieri debebat catechumeno ante fores Ecclesiæ antequam baptizaretur. *Can. 54. De Consecr. Dist. 4.* Ex hac instructione, quæ habet aliquam relationem ad generationem spiritualem, Canones dixerunt compaternitatem oriri inter catechizantem et catechumenum, qua matrimonium inter eos celebrari impediebatur juxta *cap. 5. De Cogn. spirit. et cap. 2. eodem tit. in VI°.*

Compaternitas catechismi a Tridentino sublata est, juxta ea quæ disseruimus in *tit. de cogn. spirituali.*

8. Defectus autem Catechismi, idest sufficientis instructionis in rudimentis fidei, constituebat impedimentum impediens matrimonii. Hic defectus hodie potest constituere rationem, qua Parochus ad tempus inhibeat matrimonii celebrationem.

9. Secundum impedimentum erat *incestus.* Scilicet incestuosis absolute prohibebatur licite contrahere matrimonium. *Cap. 1°. 'De eo qui cognovit' et Can. 20. caus. 32. q. 7., et Can. 4. caus. 35. q. 3.*

10. Tertium impedimentum impediens constituebatur ex *Raptu*, eo casu quo sponsa alterius fuisset abducta, ita ut raptor non posset licite contrahere cum quacumque alia muliere. *Can. 34. caus. 27. q. 2.*

In aliis autem casibus raptus matrimonium dirimebat quando mulier abducta libere non consensisset, secus vero solummodo impediebat.

Quidnam de raptu dicendum sit jam vidimus in impedimento raptus explicando.

11. Quartum impedimentum impediens matrimonium erat *uxoricidium*, absque ullo intuitu et spe alterius conjugii. *Can. 5. caus. 32. q. 2.*

Dixi *'absque intuitu et spe alterius conjugii'* ut hoc impedimentum impediens distingueretur ab impedimento *criminis*, quod matrimonium dirimit.

12. Quinto. *Susceptio propriæ prolis*, idest si quis absque necessitate proprium filium e sacro fonte susceperit, in fraudem debiti maritalis erga alium conjugem, soluto actuali matrimonio, ab alio matrimonio contrahendo prohibebatur. *Can. 5. caus. 30. q. 1.*

13. Sexto. *Mors presbyteralis*, idest occisio presbyteri prohibebat interfectori, quominus matrimonium inde contrahere posset *cap. 2. De pœnit. et remiss. tit. 38. lib. V.*

14. Septimo. *Solemnis pœnitentia*, quæ ob gravia crimina infligebatur, constituebat impedimentum impediens, quo fidelis pœnitens ante obtentam reconciliationem cum Ecclesia arcebatur a celebratione matrimonii. Indecens enim erat, nuptiali lætitiæ vacare, tempore salutaris tristitiæ et afflictionis. *Cann. 12. et ult. caus. 23. q. 2.*

15. Octavo. Tandem juxta *can. 13. caus. 27. q. 1.* ille, qui sibi in uxorem accipere præsumpsisset *Monialem* Deo consecratam, prohibebatur quominus matrimonium cum alia qualibet muliere contraheret. Quin immo *can. 6. de Pœnit. distinct. 1.* ita statuit: 'Si quis, non dicam rapere, sed attentare solummodo, jungendi causa matrimonii sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.'

Qua in re adnotandum est, Gratianum non retulisse canonicam dispositionem, quia sacri Canones pœnam mortis non infligunt, sed dispositionem juris civilis Justiniani in *t. 1. cap. De Episcopis et Clericis*, retulisse, ut etiam juxta leges civiles malitia cognosceretur seductionis vel raptus mulieris Deo sacræ.

Titulus XVII.

Qui filii sint legitimi.

1. In legibus civilibus hoc erat receptum principium: 'Filius est quem justæ Nuptiæ demonstrant'. Hoc principium a nostro jure adoptatum est; cap. 2. h. t.

Justitia autem seu veritas nuptiarum non a civilibus sed a legibus ecclesiasticis determinatur; ita scilicet ut nuptiæ justæ et veræ illæ sint, quæ a nulla lege ecclesiastica irritante prohibeantur. Quare qui hisce nuptiis constantibus nascuntur filii, habentur uti proprii et legitimi, quamvis constet mulierem non semel fuisse adulteram.

2. Hæc vero præsumptio legitimitatis filiorum, absolute loquendo, est solummodo juris. Quare non excluditur probatio directe contraria; cap. 4. h. t. Hæc probatio deducitur ex separatione conjugum, et ex absentia, vel impotentia temporanea, vel alio impedimento viri.

3. Immo favor legitimitatis in jure tantus est, ut legitimi habeantur filii nati ex matrimonio nullo, quod ab utroque conjuge, vel saltem ab alterutro uti validum retinetur, cap. 14. h. t. dummodo tamen matrimonium non fuerit contractum clandestine, idest absque præviis denunciationibus, vel contra vetitum Ecclesiæ. Quo in casu ob defectum debitæ diligentiæ a jure præscriptæ, bona fides conjugum filiis non prodest, quia a jure non præsumitur bona fides parentum, qui impedimentum scivisse, vel saltem affectatæ ignorantiæ rei fuisse videntur, idest ideo debitam diligentiam omisisse, ne impedimentum si quod esset detegeretur. *c. 3. De Clandest. Desp.*

4. Adhibitis autem solemnitatibus ab Ecclesia statutis, quælibet impedimenti ignorantia, sive juris, sive facti, dummodo cæteroquin non sit affectata, prolis legitimitati juvat. Ex sensu enim cap. 3. citati, nocet legitimitati filiorum solummodo scientia vel affectata ignorantia impedimenti dirimentis.

5. Filii qui non nascuntur ex matrimonio valido, vel saltem putativo in sensu explicato dicuntur *illegitimi*. Illegitimi autem dividuntur in varias classes. Alii dicuntur illegitimi *naturales*, scilicet qui nati sunt ex parentibus, inter quos vel tempore conceptionis, vel saltem tempore nativitatis matrimonium consistere potuisset. Qua in re jus canonicum correxit jus civile, juxta quod *naturales* dicebantur filii nati ex concubina. Concubinatus autem qui a civilibus legibus quadam honestate decorabatur prorsus condemnatus est ab Ecclesia *can. 4. caus. 32. q. 4. et Conc. Trid. sess. 24. De Reform. Matr. c. 8.* Non enim alia conjunctio carnalis maris et fœminæ inter fideles admitti potest tamquam legitima, quæ non fuerit matrimonio consecrata.

6. Alii illegitimi dicuntur ex Jure Civili *spurii*, quique vel *quæsiti*, vel *nothi* vulgo dicuntur. Hi sunt qui incertum habent patrem, et proinde nati sunt ex meretrice. *l. 33. ff. De statu hominum.* Jure autem Canonico sub genere spuriorum veniunt filii nati ex parentibus inter quos neque saltem tempore nativitatis poterat matrimonium consistere. Hinc genus hujusmodi comprehendit etiam filios natos ex damnato coitu, quorum alii *adulterini* appellantur qui nempe ex adulterio nascuntur; alii dicuntur *incestuosi*, quorum nempe parentes ligantur vinculo consanguinitatis vel affinitatis in linea obliqua, vel vinculo alterius impedimenti dirimentis; alii *nefarii* appellantur, quorum parentes consanguinei sunt vel affines in linea recta; alii *sacrilegi*, qui nempe nati sunt ex Religioso, vel Moniali, vel Clerico in sacris ordinibus constituto.

7. Illegitimitas exprimit defectum juridicum personæ, quia jus considerat personam quasi maculatam culpa ipsa parentum. Scilicet filii illegitimi, coram societate, referunt signum et quandam imaginem incontinentiæ parentum, cujus vitii, experientia teste, non raro imitatores fiunt.

At quoniam defectus ex natalibus est juridicus, non autem in ipsa persona realiter existens, hinc ab ipso jure invectum est remedium legitimationis. Hæc legitimatio pluribus modis fieri potest.

8. Primus modus est per *subsequens matrimonium* inter parentes filii illegitimi. Ita in Cap. 1°. et 6°. h. t. Et quidem conceptus juridicus hujus legitimationis, juxta Doctores, est ut per fictionem juris retrotrahatur matrimonium ad tempus, quo filius vel conceptus vel saltem natus est. Quare per subsequens matrimonium legitimantur omnes et soli filii illegitimi naturales, non autem spurii, cujuscumque sint speciei. Cit. Cap. 6. h. t. Non enim per fictionem juris supponi potest matrimonium, eo tempore, quo a lege irritante matrimonium prohibebatur. At naturales quidem illegitimi legitimantur. Et hæc quidem conclusio valet licet matrimonium sit solummodo ratum, licet contrahatur a sene vel infirmo, in remedium conscientiæ, quia semper est matrimonium.

9. Controvertitur inter Doctores, utrum legitimatio prolis sequatur ex matrimonio non vero sed putativo, quod nempe uti validum ex bona fide reputatur. Si attendatur modus loquendi canonum, canones effectum legitimandi non tribuunt bonæ fidei, sed ipsi matrimonio. Ergo eo deficiente, videtur non fiat legitimatio.

At contrariæ sententiæ sua non deest ratio. Nam cum defectus natalium sit solummodo defectus legalis, idest coram societate, videntur satisfecisse conditioni ad illum tollendum conjuges, qui omnia posuerunt, quæ sufficiunt ad inducendam in societate credulitatem legitimi matrimonii.

Et quidem modus hic legitimationis ob favorem matrimonii amplissimus est, ita ut filii nati ex utroque parente libero, legitimentur, non solum quoad paternam hæreditatem, sed etiam quoad Ordines, et honores. *Gloss. in cap. 6.* Conceditur enim hæc legitimatio ab ipsa lege; et revera legitimus est filius, quem lex legitimum habet.

10. Verum hic favor matrimonii non impedit quominus quoad aliquos effectus civiles, et quoad jura nobilitatis specialis, vel status, vel fundationis, legitimati per subsequens matrimonium, legitime natis non comparentur.

11. Insuper ex Constit. Sixti V. *Postquam. 3. Decemb. 1586.* ad Cardinalatum assumi non possunt qui legitimi facti sint per subsequens matrimonium. Ab assumendis enim ad hanc dignitatem, quamcumque illegitimitatis notam arcendam esse decernit.

12. Secundus modus legitimandi procedit per *rescriptum Principis. Cap. 13. h. t.,* ex quo patet Romanum Pontificem quoad jura spiritualia posse quidem legitimare quoscumque illegitimos in universa Ecclesia, quoad vero jura civilia posse id efficere solummodo in statibus jurisdictioni temporali ejusdem subjectis.

13. Aliquando autem *indirecte* legitimatio Pontificis potest effectum etiam civilem parere. Cap. 13. h. t. Scilicet si aliquod jus civile adnexum est alicui dignitati Ecclesiasticæ, et aliquis legitimus fiat ad dignitatem illam assequendam, obtinet etiam jus civile adnexum. Quo in casu Rescriptum Pontificis directe operatur relate ad officium seu jus Ecclesiasticum, indirecte autem relate ad jus civile. Exemplum afferunt de feudo adnexo alicui Episcopatui.

14. Quoad legitimationem ex Rescripto Principis, adnotandum est legitimationem concessam a laico Principe non reddere personam habilem ad ordines et ad beneficia Ecclesiastica. Laicus enim Princeps non habet potestatem in rebus spiritualibus.

15. Quoad vero utriusque Principis Ecclesiastici et sæcularis legitimationem animadvertendum est, per ipsam in genere concedi

omnia jura, quæ legitimis competunt. Duplex autem fieri debet limitatio. 1°. Limitari possunt per aliquam clausulam jura quæ conceduntur. 2°. Princeps per rescriptum non præsumitur concedere legitimationem in præjudicium jurium tertii, vel statuti, aut consuetudinis particularis. Hinc nisi adsit clausula derogans, hæc jura integra manent. Ex. gr. si adsint filii legitimi, illegitimus factus legitimus per rescriptum Principis non admittitur in successionem bonorum paternorum, nisi adsit hæc clausula 'non obstante quod adsint filii legitimi'.

16. Similis exposito est alius modus legitimandi, nempe *dispensatio.* Hic modus in eo consistit, ut si aliquis ob defectum natalium non possit jus aliquod particulare obtinere, ex dispensatione superioris illud jus assequatur.

Quare legitimatus ad Ordines Minores, vel beneficia simplicia obtinenda, non censetur legitimatus ad Ordines Majores et beneficia duplicia. Qui legitimatur ad Ordines Majores, non censetur legitimatus ad Prælaturas, quia dispensatus illud solum jus consequitur, pro quo dispensationem obtinuit, nisi aliud jus in primo contineatur.

17. Specialis est dispositio Gregorii XI. in Const. *'Etsi' 3°. Idus Novemb. 1374;* in qua statuit illegitimos ex dispensatione legitimatos cum clausula ut possint obtinere Canonicatus, vel Dignitates in quibusvis cathedralibus, metropolitanis, et patriarchalibus Ecclesiis, non posse promoveri ad canonicatus dignitates in tribus Ecclesiis Patriarchalibus Urbis Romæ, nisi in litteris dispensationis mentio fieret de eisdem Patriarchalibus Ecclesiis, et de eadem Gregoriana Constitutione.

18. Si quæratur quinam Superior in Ecclesia dispensare possit in *defectu natalium,* reponimus: potest Pontifex habilitare illegitimos ad omnes Ordines, et ad omnia beneficia Ecclesiastica c. 13. h. t. Romanus enim Pontifex est supra jus commune. Episcopus autem in sua Diœcesi potest dispensare in defectu natalium ad suscipiendos Ordines Minores, et ad obtinenda beneficia simplicia. Ita in *cap. 1°. 'De Filiis Presbyterorum' in VI.*

19. Tandem modus legitimandi est *Professio religiosa* quæ tamen legitimatio concedit quidem habilitatem ad ordines usque ad Presbyteratum *inclusive,* non autem habilem reddit personam ad Prælaturam.

Modus autem hic imitatur quodammodo veterem legitimandi modum, qui fiebat per *Oblationem Curiæ.* Siquidem liberi illegitimi offerebantur Curiæ pro substituendis officiis ejusdem, et si Princeps recepisset illegitimum, hic fiebat legitimus.

Titulus XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari.

1. Matrimonium accusat *'qui accedit ad Judicem competentem, sive judicialiter, sive extrajudicialiter cum intentione vel impediendi matrimonium contrahendum, vel dissociandi jam contractum'.* Quando agitur de matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, non solum ipsi conjuges et propinqui in gradibus proximis, aut alii quorum interest, matrimonium vel impediri si contrahendum, vel dissolvi si celebratum fuerit, sed quicumque ex populo, qui impedimentum cognoscit, potest, et generatim etiam tenetur, illud Judici revelare. Ita ex sensu cap. 3. h. t. Ratio est ne sub specie conjugii damnata commercia viri et mulieris foveantur. Quare accusatio hujusmodi recensetur inter causas populares, in quibus juxta Romanum jus quisque de populo agere poterat.

2. Hæc quidem de ipsa accusatione facienda. Nam aliquando ipsa accusatio ad matrimonium solvendum non admittitur; scilicet non proceditur ad dissolvendum matrimonium, si accusatio ab extranea persona proponatur. Hæc exceptio locum habet in hypothesi impedimenti impotentiæ alterutrius conjugis, in qua hypothesi Doctores tenent, ad accusandum admitti solummodo conjugem potentem, quia si remoto periculo incontinentiæ vellent conjuges cohabitare simul et conversari ceu frater et soror, procedendum non esset ad dissolvendum matrimonium, sed permitti posset hæc cohabitatio juxta *capp. 4. et 5. De frigidis et malef.*

3. Quamvis accusatio matrimonii a legibus ad vitanda illegitima connubia foveatur, tamen non omnes ad accusandum matrimonium indiscriminatim admittuntur. Hinc ab accusando repelluntur, qui accusare dignoscuntur ad turpem quæstum faciendum. *c.* 5. h. t.

4. Necnon repelluntur qui tempore denunciationum cognitum impedimentum non manifestaverunt, quia præsumuntur agere non juxta rei veritatem, sed ad vexam creandam pacificis conjugibus, et proinde merito uti suspecti prohibentur. Excipitur casus, quo aliquis posset allegare ignorantiam denunciationum. Ita in cap. ult. h. t.

5. Juxta cap. 2. h. t. accusatio fieri debet personaliter, nec admittitur accusatio per epistolam. Ratio est quia accusatio est actus odiosus nec facile admittendus, qui insuper inservire debet ceu basis judicii instituendi.

6. Circa tempus utile ad proponendam accusationem notamus non valere dispositionem civilem præscriptionis 30 vel 40 annorum, juxta *legg. 3. et 4. c. 'De præscriptione'*, sed etiam post lapsum hujus temporis a celebrato matrimonio accusationem proponi posse. Ratio est quia matrimonium invalidum non redditur validum per lapsum temporis, idest per præscriptionem.

7. Quæritur quinam testes esse possint contra matrimonium? Etiam quoad testes matrimonium censetur causa popularis ob peccatum vitandum. Hinc omnes admittuntur ad testimonium faciendum contra conjugium, dummodo notitiam impedimenti habuerint, nec sint suspectæ fidei (arg. c. 17. De Testib.). Quare etiam propinqui, immo pater contra matrimonium filii, et viceversa, potest testis esse cap. 3. h. t. Qua in re derogatum est generali regulæ cann. 4. et 5. caus. 35. q. 6. juxta quam regulam nec pater filii, nec filius patris testis est idoneus. Ratio derogationis est, quia propinqui censentur præ aliis arcere velle periculum peccati, et quia præsumitur impedimentum cognosci facilius a propinquis, quam ab extraneis, præsertim si sermo sit de consanguinitatis et affinitatis, necnon de impotentiæ impedimento. Propinqui enim cognoscunt facile stipitem communem, et facile inter propinquos ob fiduciam revelatur impotentia alterius conjugis. Quæ ordinaria agendi ratio causa fuit, cur in probatione impedimenti impotentiæ inducta fuit praxis audiendi testimonium *septimæ manus* propinquorum.

8. Ceterum ipsorum conjugum testimonium, etiam juramento firmatum non facile admittitur ob periculum collusionis. *Cap. 'Super' 5. 'De eo qui cognovit'.*

9. Ad complementum materiæ tituli Doctores quærunt, quinam sit Judex competens causarum matrimonialium.

1°. Sub nomine causarum matrimonialium principaliter veniunt causæ, quæ respiciunt vinculum matrimonii. Jam vero existentia vel nonexistentia vinculi conjugalis inter fideles pendet ex valore vel nullitate Sacramenti. Quare causæ matrimoniales exhibent naturam causarum spiritualium, et proinde apud Judices Ecclesiasticos sunt pertractandæ et definiendæ, quemadmodum definit Concilium Tridentinum *in can. 12. sess. 24. De Ref. Matr.*, non autem tractari ac definiri possunt a judice laico.

10. Verum jure ordinario in prima instantia non a quolibet Judice Ecclesiastico, sed a tribunali Episcopi tractandæ et definiendæ sunt. Hinc a Judice ordinario inferiore Episcopo ex jure proprio non possunt videri et decerni causæ hujusmodi. *Trid. sess. 24. De Reform. Matr. c. 20.* Diximus a tribunali Episcopi. Unde etiam a Vicario generali possunt hujusmodi causæ tractari; et quoniam Vicarius capitularis obtinet jurisdictionem ordinariam Episcopi juxta *cap. 11. De Major. et Obed.*, sequitur etiam Vicarium capitularem easdem causas cognoscere et judicare posse.

11. 2°. Si sermo sit de quæstionibus connexis cum quæstione vinculi, patet etiam illas videndas et definiendas esse a Judice Ecclesiastico.

Nam diversa resolutio quæstionis connexæ inducit diversam opinionem super valore vinculi. Hinc quæstio de legitimitate prolis non ad judicem civilem, sed ad Ecclesiasticum pertinet, quia legitimitas prolis est proprius et immediatus effectus validi matrimonii, nec supposita validitate matrimonii potest denegari legitimitas prolis, et viceversa.

Pariter quæstiones de sponsalibus, impedimentis, denunciationibus, necnon quæstiones de separatione quoad torum et cohabitationem pertinent ad judicem Ecclesiasticum; quia quæstiones hæ sunt quæstiones vel juris vel facti connexi cum ipso matrimonii vinculo.

12. 3°. Quæstio esse potest circa jura civilia ex. gr. dotis, successionis, et honorem familiæ. Quæstiones hujusmodi quamvis exoriantur occasione matrimonii, per se civiles sunt, objectum enim habent civile, et si matrimonium respiciunt, illud respiciunt solummodo relate ad effectus civiles. Quare si principaliter tractantur quæstiones hujusmodi, apud Judicem civilem sunt proponendæ.

13. Sed si accidentaliter proponantur in causa ecclesiastica coram Judice Ecclesiastico, poterunt ab eodem tractari et definiri tamquam partes et accessiones ejusdem judicis principalis, quia judex potest videre causas ordinis inferioris incidentes in causa principali suæ jurisdictioni subjecta.

14. Dixi *inferioris ordinis,* quia si causa incidens est superioris ordinis, quemadmodum est causa spiritualis præ temporali, ob majorem nobilitatem spiritus præ materia non potest judex causæ principalis videre quæstionem incidentem. Hinc in causa legitimæ successionis hæreditariæ, si quæstio moveretur circa valorem matrimonii, judex laicus procedere non posset in causa, sed expectare deberet donec Judex Ecclesiasticus viderit causam matrimonialem.

15. Qua in re advertendum est Doctores concedere judici laico facultatem videndi causas spirituales, quando respiciunt nudum factum ex. gr. utrum contigerit necne matrimonialis contractus, vel solummodo concubinatus intercesserit. Item utrum locum habuerit necne factum collationis beneficii. Ratio hujus sententiæ Doctorum est quia nudum factum etiam in materia spirituali, cum per se jus non secumferat spirituale, potest considerari ceu res civilis, quæ non minus ecclesiastico judici, quam laico magistratui patere potest et de eo constare.

16. 4°. Si sermo fit de punitione criminum, quæ relationem habent cum matrimonio, ut sunt adulterium, incestus, causa est mixti fori, hinc datur locus præventionis. Causæ enim hujusmodi æque habent ad Ecclesiam et ad civilem societatem relationem. Sed re bene perspecta, juri magis consonum videtur si causæ quæ instituantur directe ad punitionem et vindictam criminis proponantur in laico tribunali; causæ autem, quæ occasione criminis instituuntur in ordine ad jura et obligationes conjugales, vel suspendendas, vel tollendas per divortium perpetuum proponantur coram Judice Ecclesiastico: *cap. 5. c. de Procurat.,* in quo causa adulterii ad pœnam legalem tractari dicitur in tribunali laico, causa autem adulterii ad separationem tori tractari dicitur in ecclesiastico tribunali.

Titulus XIX.

De divortiis.

1. Divortium a divertere nil aliud est quam *resolutio consuetudinis vitæ individuæ quæ a matrimoniali contractu inducitur.* Hæc dissociatio si fiat relate ad *vinculum,* idest ita ut partes contrahentes plenam libertatem recuperent et ad alia vota transire possint, dicitur *divortium plenum. Minus* autem *plenum* dicitur *divortium,* quando manente vinculo conjugali, dissociatio fiat solummodo quoad torum et cohabitationem.

De divortio pleno.

2. Matrimonium ratum et consummatum inter fideles dissolvi nequit et dissociari quoad vinculum. Hinc lex est *(Rom. 7.)* nonnisi per modum naturalem solvi hoc matrimonium fidelium. 'Mulier vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.' Huic enim matrimonio tribuitur completa ratio signi unionis Christi cum Ecclesia per incarnationem, et ei applicatur Christi sententia: 'Quod Deus conjunxit, homo non separet.'

Sane Christus Dominus hanc sententiam retulit ad matrimonium cui conveniunt verba Genesis: 'Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.'

3. Quid vero dicendum de matrimonio infidelium? Juxta *cap. 4. De consang. et affin., et c. 8. h. t.* matrimonium infidelium est verum matrimonium, quia repræsentat officium naturæ. Quare in jure dicitur matrimonium *legitimum,* ad illud distinguendum a matrimonio *rato,* quod inter fideles est sacramentum. Jamvero matrimonium legitimum infidelium suam etiam habet indissolubilitatem. Matrimonium enim est semper contractus qui dirigitur ad mutuam et perennem societatem inter virum et uxorem. Hinc inspecto ipso jure naturæ, apparet indolem propriam matrimonii esse ut sit contractus stabilis et non transiens. Nam finis procreationis et educationis prolis, necnon mutuum adjutorium excludunt mutabilitatem personarum, et insinuant ideam individuæ vitæ consuetudinis, qua uterque finis expositus melius obtineri possit.

4. At rigor juris naturalis non videtur requirere in matrimonio infidelium proprie dictam indissolubilitatem, quæ in matrimonio christiano oritur ex ratione sacramenti. Nam 1°. non ostenditur, prædictos fines semper perseverare in matrimonio ut perseverare deberet individua vitæ consuetudo. Sane non semper gignitur aut educanda est proles, sed in senibus præsertim hæc qualitas matrimonii non verificatur. Pariter ob conditionem morbi, negotiorum etc. fieri potest ut unus conjugum ab alio separatus ad longum tempus vivat. Quare mutui adjutorii ratio perennis simul et perpetua non est. Ergo nec ex ipsa natura matrimonium est prorsus indissolubile.

5. Accedit quod si matrimonium fuisset prorsus indissolubile, nec Deus ullo modo permisisset unquam illud resolvi. Atqui inter Hebræos permisit Deus libellum repudii quo dimitti poterat uxor et alia duci, priore vivente, et viceversa, ita ut qui dimiserat conjugem suam non ad illam reverti teneretur. Hinc vera dissociatio matrimonii prioris locum habebat.

Nec audiendi sunt qui dicunt Deum solummodo tolerasse ob duritiam Judæorum matrimonium posterius, et non inflixisse pœnas contra illos qui offerebant libellum repudii; nam licet ob duritiam cordis concesserit Deus Hebræis ut uterentur libello repudii, tamen per illum dissolvebatur revera prius matrimonium, et novum contrahi poterat cum alia persona.

6. 2°. Etiam ob *privilegium fidei* matrimonium contractum et consummatum in infidelitate dissolvitur quoad vinculum. Ergo matrimonium inspecto solum jure naturæ dici nequit prorsus indissolubile.

7. At nihilominus certum est matrimonium etiam antequam ad dignitatem sacramentalem elevaretur indissolubilitatem habuisse. Hæc indissolubilitas repetenda esse videtur ex primigenio jure positivo divino quod Adamo fuit intimatum, quæ intimatio insinuatur in illis verbis Genes. 2, 24. 'Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ.' Quæ verba satis superque indicant matrimonium ex Dei voluntate esse monogamum.

Huic legi facta est derogatio ab ipso Deo pro Hebræis per positivam legem, quam legem Christus Deus abrogans matrimonium ad pristinam conditionem unius cum una restituit. Quare ex lege divino-positiva Christi sublatus est libellus repudii. Hinc

proscriptus est mos, seu potius abusus, quo maritus hebræus conversus ad fidem mittebat uxori adhuc infideli libellum repudii juxta ritum judaicum, ut libera esset mulier a vinculo conjugii et ad alia vota transire posset. Ita in Constitutione Bened. XIV. *'Apostolici ministerii' d. 16. Septemb. 1747.*

8. Verumtamen matrimonium legitimum, ex primigenio jure positivo divino indissolubile, dissolvi potest etiam quoad vinculum ex privilegio fidei. Privilegium hoc promulgatum est ab Apostolo Paulo I. Corinth. VII. et in eo consistit ut conjugium in infidelitate contractum et consummatum prorsus dissolvatur in hypothesi, qua unus conjugum christianam fidem amplectatur, et alter perseveret in infidelitate, nec velit pacifice habitare cum conjuge fideli. Cum vero idem sit infidelem nolle pacifice habitare cum conjuge fideli, et velle habitare cum injuria et detrimento fidei, hinc ex mente divi Pauli promulgantis privilegium fidei inducta est dissolutio matrimonii legitimi, sive quando conjux infidelis absolute nollet cohabitare cum persona fideli, sive quando nollet habitare absque *contumelia creatoris.* Porro pars infidelis nollet habitare absque contumelia creatoris, quando vellet habitare non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel cum exsecratione christianæ religionis, vel conaretur pertrahere partem fidelem ad peccatum perpetrandum. Hæc est interpretatio privilegii fidei facta ab Innocentio III. in c. 7. h. t.

9. Ita exposita Pauli doctrina, sequitur, per conversionem unius conjugis ad fidem non solvi matrimonium legitimum et conjugem fidelem illico ad alia vota transire non posse, sed faciendam esse duplicem interpellationem: 1°. An pars infidelis velit et ipsa christianam religionem amplecti. 2°. Posita negativa responsione, an velit pacifice habitare absque contumelia creatoris.

10. Verum ex Conciliis Toletanis habemus primam solummodo faciendam esse interrogationem parti infideli; ita ut pars conversa vel ex Judaismo vel ex Mahomedanismo possit post primam interpellationem rejectam ab infideli ad alia vota transire. Hæc disciplina a Conciliis Toletanis inducta est ob specialem conditionem Hispaniarum, qua cognitum est fuisse inutilem secundam interpellationem vel etiam noxiam. Siquidem experientia docebat conjuges infideles qui interrogati respondebant se pacifice habitaturos absque contumelia creatoris, ficto animo hanc promissionem fecisse: sed revera intentionem habuisse pervertendi et corrum-

pendi conjugem fidelem. Quare animus partis infidelis, utrum vellet pacifice habitare et absque contumelia creatoris cum parte fideli, cognoscebatur ex intentione conversionis ad fidem vel obstinatæ contumaciæ et adhæsionis errori. Hinc pro Hispaniis solum et in illis circumstantiis secunda interrogatio facienda non erat; sed in genere facienda est.

11. Quid vero si interpellatio fieri non possit?

Casus revera contigit quando homines nigri coloris abrepti ex regionibus Africæ ab Hispanis et Lusitanis ac deducti sunt in Americam. Homines hujusmodi nigri coloris conversi ad fidem volebant matrimonium contrahere. At plures jam uxores suas habuerant in infidelitate, nec sciebant ubinam morarentur. Hinc interrogationes fieri non poterant.

Quæstio discussa est inter Doctores. Alii arbitrati sunt conjugem fidelem, omissis interrogationibus, quas ob absentiam alterius conjugis, vel ob aliud impedimentum facere nequit, posse illico novum contrahere matrimonium.

12. Alii vero docuerunt necessariam esse dispensationem Summi Pontificis, qua interpretans jus divinum declarat ob adjuncta præceptum divinum interrogationis faciendæ non obligare. Ita Pontius *De matrim. lib. 7. cap. 48. n. 22.*

Huic alteræ sententiæ adhæsit Sacra Congregatio Concilii in causa *'Florentina' 17. Jan. 1722,* et jam antea Gregorius XIII. Ordinariis, Parochis et Presbyteris missionariis Societatis Jesu in Anglia, Aethiopia, et Brasilia concesserat facultatem dispensandi ab interpellationibus faciendis, quoties constaret eas perfici non posse. Hanc facultatem concessit Benedictus XIV. Apostolico Nuntio Venetiis commoranti, pro catechumenis in pio loco Venetiarum receptis *Const. 3. Bullarii ejusdem Pontif. Tom. 1. De Synodo Diœces. lib. 6. c. 4. n. 3.* Post interrogationes frustra propositas, vel post obtentam dispensationem ab iisdem peragendis, pars conversa ad fidem potest matrimonium contrahere per quod solvitur vinculum matrimonii contracti et consummati in infidelitate. Ita ex conceptu ipsius privilegii fidei et ex *cap. 8. 'Gaudemus' in fin. h. t.*

13. Quare matrimonium in infidelitate contractum non dissolvitur per susceptum baptisma, neque per factas interpellationes, aut post obtentam dispensationem ab eisdem perficiendis, sed quem-

admodum resolvit S. Congregatio Supremæ et Universalis Inquisitionis in responsione data die 1. Augusti ann. 1759, *'tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias.'*

Hinc licet pars, quæ in infidelitate permansit, contraxerit matrimonium, prius matrimonium non solvitur, solutio enim hujus matrimonii est ob privilegium fidei. Ait namque Paulus: 'Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus'.

Et revera fuit proposita quæstio in S. Congregatione Concilii ann. 1726, cujus hæc erat species. Titius Hebræus fidem suscepit et cœlibem vitam ducebat. Mœvia ejus uxor in hebraismo alteri nupsit viro. Deinde Mœvia et secundus vir fidem catholicam susceperunt. Quæsitum est utrum Mœvia possit permanere cum secundo viro, vel redire deberet ad Titium primum virum. Respondit S. Congregatio prius matrimonium adhuc subsistere, et Mœviam redire debere ad Titium primum virum. Quemadmodum eadem Congregatio alias reposuerat in causa *'Florentina' annis 1679. 1680.* Ita penes Benedictum XIV. *De Synodo Diœc. lib. 6. c. 4. n. 4.*

14. Quid vero si vir dum convertitur uxor religiosam professionem ediderit?

Nihilominus matrimonium in infidelitate contractum dici non potest resolutum. Nam in jure certum est per professionem religiosam resolvi quidem matrimonium ratum et non consummatum christianorum, non autem matrimonium infidelium. At conjux prius conversus usus est jure suo profitendi religionem. Hinc revocari non potest ab alio conjuge deinde converso. Stat ergo matrimonium in infidelitate contractum resolvi per novum matrimonium partis conversæ et non antea.

15. Hisce positis plures enodandæ sunt quæstiones. Et primo sciendum est ex Africa in Americam plures ductos fuisse masculos et fœminas, et inter eos plures fuisse vinculo conjugali conjunctos. At non in eamdem regionem, qui erant vir et uxor, ducti sunt. Viri conversi ad fidem, obtenta dispensatione ab interpellationibus perficiendis, novum matrimonium contraxerunt. Idem peregerunt etiam mulieres. Labentibus annis contigit ut viri nonnulli suas veteres uxores invenirent, et cognitum est viros et

uxores eodem tempore fidem suscepisse. Quare eo tempore, quo faciendæ erant interrogationes, tum vir tum uxor fidem susceperant, et per consequens cessaverat ratio privilegii fidei, et matrimonium infidelium transiisse videbatur in matrimonium fidelium. Hinc non videbatur adhuc perseverare facultas discedendi. Resolutio enim matrimonii in eum casum devenisse videbatur, a quo incipere non poterat. Quodsi Ecclesia dispensavit ab interpellationibus dici debet eam fuisse deceptam. Nam ideo dispensavit quia præsumebatur conjugem infidelem nolle pacifice cohabitare cum conjuge fideli, quæ præsumptio falsa prorsus erat ob conversionem alterius conjugis.

Quæsitum est utrum reintegrandum esset prius matrimonium, an sustineretur matrimonium post conversionem contractum.

16. Summi Pontifices Gregorius XIII. et S. Pius V. responderunt secundum matrimonium sustineri, et prius matrimonium in infidelitate contractum resolutum fuisse. Ita penes Benedictum XIV. *De Synodo Diœc. lib. 13. c. 21. n. 3.* quo in loco citat Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit *'Quoniam sæpe contingit'* et S. Pii V. quæ incipit *'Romani Pontificis'*. Doctores animum intenderunt ad istas Constitutiones explicandas.

17. Et quidem Navarrus cum Sanchez *de Mat. Disput. 17. lib. 2.*, et aliis tenuerunt Romanum Pontificem, qui dispensare potest inter fideles a vinculo matrimonii rati et non consummati, posse dispensare et de facto dispensasse in vinculo matrimonii consummati, quod cum Sacramenti ratione careat infirmius esse dixerunt vinculo matrimonii inter fideles.

18. At alii cum Pontio *de matrim. lib. 9. c. 2.* negarunt hanc facultatem Pontifici competere, animadvertentes Christum Dominum Matth. 19. revocasse matrimonium ad pristinam conditionem perpetui contractus inter unum et unam idest ad jus divinum primigenium monogamiæ.

19. Quare cum constet solummodo in casu privilegii Paulini et non alio in casu concessam fuisse licentiam dissolvendi conjugium in infidelitate contractum et consummatum, dicendum est Romanum Pontificem dispensando dissolvere vinculum conjugii ejusdem. *Cf. Benedictus XIV. De Synodo Diœcesano lib. 6. c. 4. n. 3. et seq. et cit. lib. XIII. cap. 21. per totum.* In hisce locis doctissimus Pontifex plenissime tractat de conjugiis in infidelitate

contractis deque eorumdem solutione ob conversionem unius conjugis ad fidem. Porro *in n. 5. c. 4. lib. 6.* refert eo tempore quo ipse Secretarii munere fungebatur, Sacram Congregationem Concilii in causa Florentina 'abstinuisse a sententia ferenda circa potestatem Romani Pontificis rescindendi vinculum conjugii in infidelitate contracti et consummati.'

Quidquid vero sit de hac potestate Romani Pontificis, credimus optime posse defendi decisiones Gregorii XIII. et S. Pii V.

20. Et sane, Privilegium Fidei in eo consistit, ut matrimonium contractum in infidelitate resolvatur quando pars conversa ad fidem legitime contrahit matrimonium. Ut autem pars fidelis legitime contrahat matrimonium tenetur ex præcepto divino interpellare aliam partem utrum velit converti vel saltem pacifice cohabitare et absque contumelia Creatoris. Igitur ipsa conversio ad fidem dat jus contrahendi novum matrimonium, solummodo remanet præceptum interpellationes faciendi. Hanc theoriam plane confirmat citata responsio S. Officii diei 1. Augusti 1759. per hæc verba 'Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc acquisivit solummodo jus transeundi ad alias nuptias cum conjuge tamen fideli, idque si conjux infidelis renuat post interpellationem converti'. Jamvero posita legitima causa vel distantiæ locorum, vel incogniti domicilii alterius conjugis etc., super observantia divini præcepti interpellationum faciendarum dispensatur a Romano Pontifice. Ergo pars conversa utitur jure suo ex conversione ad fidem accepto, et legitime novum contrahit matrimonium. Merito igitur hoc matrimonium sustinetur, et primum dissolutum fuisse decernitur. Nec Ecclesia decepta est quando dispensationem ab interpellationibus faciendis concessit. Nam vera et certa erat causa ob quam dispensationem concedebat. *Cf. Benedictus XIV. De Synod. lib. 13. c. 21. n. 4. in secunda medietate.*

21. Quæstio secunda proponitur. Quid dicendum, si vir in infidelitate plures habuit uxores? Siquidem fieri potest ut unus idemque homo in infidelitate simul habeat plures uxores, saltem quia ob leges locorum concedi solet facultas divertendi a prima et, ea adhuc vivente, ducendi aliam uxorem.

Profecto matrimonium in jure primigenio intimato protoparentibus fuit institutum ita ut esset monogamum. Clara sunt

verba Geneseos: 'Vir adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una.'

Huic legi facta est dispensatio præsertim post Noë ob duritiam cordis Judæorum, et ob necessariam propagationem populi Judaici, ita ut cap. 21. Deuteronom. pluralitas uxorum exhibeatur ceu res quæ in communem consuetudinem honestam et legitimam transierat.

22. Utrum etiam inter Ethnicos eadem dispensatio vires habuerit, controvertitur inter Doctores. Sententia negans veritati magis consona videtur, quia dispensatio est vulnus legi ac proinde non præsumenda sed probanda est. Accedit quod ratio propagationis populi, quæ inter Hebræos valebat, non eadem prorsus erat pro Ethnicis. Sed quidquid sit de tempore quod Evangelicam ætatem præcessit, post legem evangelicam certum est pluralitatem uxorum fuisse et esse prorsus interdictam. Etenim Christus Dominus Matth. 19. matrimonium ad pristinam monogamiæ conditionem restituit. Siquidem assumens verba illa Genesis, c. 2. 'erunt duo in carne una' concludit, 'itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.'

23. Igitur ex lege generali post Christum non verificatur amplius legitimum divortium, quo vivente altero conjuge novum matrimonium cum altera persona contrahi possit. Quare vir conversus ad fidem stare debet cum prima muliere, quia hæc in infidelitate vera uxor fuerat, reliquæ vero veræ uxores esse non poterant. Cap. 8. h. t.

24. Quid vero si prima mulier interrogata, nollet christianam religionem amplecti, nec vellet pacifice et absque contumelia Creatoris cohabitare cum viro?

Hoc in casu potest quidem stare cum secunda si convertatur ad fidem, non vero tenebitur. Quia verum matrimonium solummodo cum prima intercesserat, non vero cum posterioribus.

Ex dictis etiam patet virum infidelem polygamum stare debere cum prima, quoties ipse cum omnibus suis uxoribus ad fidem convertatur.

25. Verum S. Pio V. expositum est invaluisse inter Indos morem, ut qui in infidelitate plures habuissent uxores eam quisque retineret, uti suam, quæ secum Christianam fidem suscipere consentiebat. Et quidem non semel contigit ut mulier hæc non

esset prima uxor sed posterior. Arduum vero erat Indos divellere ab istis uxoribus, cum quibus inito fœdere veram religionem amplectebantur, et baptismum suscipiebant. Sanctus Pontifex omnia perpendens in citata Constitutione *'Romani Pontificis'* impressa in *5. parte Constit. Apostol. pro Missionibus Sinarum et Tunkini* motu proprio et certa scientia et de Apostolicæ Potestatis plenitudine declarat ut Indi baptizati et in futurum baptizandi cum uxore, quæ cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis.

26. Doctores nonnulli inter quos Navarrus *Cons. 3. lib. 3. n. 12. et seq. De conversione infidelium*, et Sanchez *de Matr. lib. 2. disput. 17.* inferunt ex hac constitutione Romanum Pontificem posse solvere vinculum matrimonii contracti et consummati in infidelitate, quando infidelis convertitur ad fidem. Matrimonium enim cum secunda vel tertia muliere consistere nequit nisi vinculum matrimonii contracti cum prima muliere resolvatur.

27. Benedictus vero XIV. *De Synod. lib. 13. c. 21. n. 4.* adhærens sententiæ Pontii *de Matr. lib. 7. cap. 48. n. 22.* tradit Romanum Pontificem revera non solvisse vinculum matrimonii infidelium in casu, sed matrimonium dissolvi ex privilegio divino fidei; Romanum vero Pontificem interpretatum fuisse præceptum divinum interpellationum faciendarum. Hoc siquidem præceptum est et ipsum in bonum fidei; quod proinde non videtur urgere quando certa est conversio ad fidem unius ex mulieribus, quas vir habuerat in infidelitate. Hinc cognita conversione unius mulieris, Pontifex declaravit consistere posse matrimonium inter hanc et virum conversum ad fidem, quin vir primam mulierem interpellaret utrum ea vellet necne Religionem Christianam suscipere vel pacifice cohabitare.

28. Quæstio tertia proponitur. Quid dicendum si matrimonium in infidelitate contractum fuerit inter personas impedimento dirimente ligatas, et alteruter vel uterque conjux ad fidem convertatur?

Quæstio resolvitur ex cap. 8. h. t. Scilicet distinguendum est inter impedimentum juris ecclesiastici, et impedimentum juris naturalis, vel positivo divini. In secunda hypothesi matrimonium nullum est, et separandi sunt conjuges, quia etiam infideles ligantur impedimentis juris naturalis et juris divino positivi. Hinc fratres et sorores in primo gradu non possunt in matrimonio perseverare

post conversionem utriusque vel alterutrius ad fidem. Quodsi autem impedimentum fuerit solummodo juris ecclesiastici, matrimonium in infidelitate contractum fuit validum, quia infideles non tenentur legibus Ecclesiæ. Quare dissociandi non sunt conjuges, sive uterque fidem amplectatur sive unus tantum fiat fidelis, sed alter consentiat habitare cum fideli absque contumelia Creatoris.

De divortio in matrimonio rato et non consummato inter fideles.

29. Quamvis matrimonium ratum ante consummationem ordinetur ad statum permanentem et exhibeat rationem signi unionis Christi cum Ecclesia et Sacramentum constituat, tamen non parit vinculum adeo indissolubile ut nequeat prorsus viventibus conjugibus aliquando resolvi. Etenim matrimonium ratum licet habeat elementa contractus, et Sacramenti, unde exurgit ordinatio obligationis mutuæ conjugum ad statum perpetuum, tamen non continet nec exprimit illam omnimodam indissolubilem conjunctionem, quæ in jure primigenio exprimitur, quæque ex divina voluntate procedere dicenda est juxta illud 'quod Deus conjunxit homo non separet.' Nam matrimonium solummodo ratum non exhibet illam completam conjunctionem quam amor sanctificatus ex legitimo fine et ex gratia Sacramenti revera operatur consummatio matrimonii, vi cujus revera verificatur sanctificatio viri et uxoris juxta illud 'itaque non sunt duo sed una caro'. Unde per consummationem matrimonii Christiani optime exprimitur concreta unio Christi cum Ecclesia in reali et perpetuo vinculo amoris.

30. Hinc *in cap. 5. 'de Bigamis non ordinandis'* Innocentius III. tradit per matrimonium tantummodo ratum proprie non significari indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia sed potius 'caritatem quæ consistit in spiritu inter Deum et justam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus 'Qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo (1. Cor. VI.).' Jamvero hæc conjunctio spiritualis, quicumque sit gradus sanctitatis, dici non potest, quoadusque anima justa est in via, absolute indissolubilis. Igitur matrimonium ratum et non consummatum potest dissolvi.

31. Duo sunt casus solutionis: 1°. per professionem votorum solemnium in Religione approbata, juxta ea, quæ traduntur in titulo *De conversione Conjugatorum lib. 3.*

32. 2°. Per dispensationem Summi Pontificis. Et quidem licet antiquissima exempla hujus dispensationis non habeantur, tamen exempla proferri possunt Martini V., Eugenii IV., Pauli III., Pii IV. et successorum Romanorum Pontificum.

Qua in re præstat animadvertere matrimonium ratum in citatis exemplis non fuisse solummodo declaratum uti nullum, sed fuisse revera resolutum vinculum per potestatem Ecclesiæ. Nam licet plerumque dispensatio facta fuerit ob impedimentum impotentiæ, tamen revera resolutum est vinculum, et non declaratum nullum matrimonium. Etenim in allatis exemplis ita dispensatio data est quoad vinculum, ut quamvis inde conjuges apparuissent potentes, tamen iterum non conjungebantur, nec reintegrabatur matrimonium. Quod fieri debuisset, si fuisset solummodo declaratum nullum matrimonium ex capite impotentiæ juxta ea, quæ diximus in tit. *'De frigidis et maleficiatis'*.

33. Quod vero in Ecclesia sit potestas hæc dissolvendi vinculum matrimonii rati et non consummati, non solum patet ex facto publico et authentico Romanorum Pontificum, sed etiam ex capp. 2. et 7. *De convers. Conjug. et ex can. 6. sess. 24. De reform. Matr.* in Concil. Tridentino ubi traditur per professionem solemnem Religionis dissolvi idem vinculum matrimonii rati.

Dico *'patet'* id ex hisce locis, nam solemnitas votorum tota est ex jure ecclesiastico. Quare resolutio vinculi matrimonii rati et nondum consummati per professionem religiosam ex jure ecclesiastico procedit. A pari ergo potestas suprema Ecclesiæ, quæ residet in Romano Pontifice, poterit dispensare circa vinculum matrimonii simpliciter rati.

34. Ratio autem fundamentalis hujus juris dispensandi est, quia matrimonio solummodo rato non competit ea omnimoda indissolubilitas juris divini cui applicari possit illud 'Quod Deus conjunxit homo non separet'.

35. Quid dicendum de divortio quoad vinculum, quod ex capite nullitatis matrimonii requiratur?

Primo quidem conjuges licet certi sint de existentia impedimenti dirimentis, tamen auctoritate privata non possunt a matrimonio recedere. Quod enim coram Ecclesia celebratum est judicio Ecclesiæ ipsius resolvi debet, c. 3. h. t. In hoc capite Pontifex sub pœna excommunicationis obligat aliquem ad recipiendam suam uxorem, quam ob notoriam consanguinitatem deseruerat.

36. Attamen posita conscientia impedimenti, non possunt conjuges matrimonio uti, sed vivere debent ceu frater et soror, quoadusque Ecclesia declaraverit nullitatem matrimonii. Imo neque uti debent matrimonio licet ex præcepto superioris cum comminatione censurarum fortasse ad id faciendum adigerentur, *Cap. 13. De Restit. Spoliat.*

37. Porro in judicio de nullitate matrimonii non sufficit quælibet probatio, sed plena probatio necessaria est. Argum. *ex cap. 1. De Consang. et Aff. et ex cap. 22. De Testibus.* Pro valore enim matrimonii præsumendum est, quoadusque contrarium probatum non fuerit. Hinc non sufficit assertio etiam utriusque conjugis, qui impedimenti existentiam enuncient, licet rumor viciniæ accesserit, *Cap. 5. 'De eo qui cognovit.'*

Cæterum quomodo procedendum sit in causa nullitatis matrimonii, jam diximus superius in titulo præcedenti XV. ubi exhibuimus Constit. *'Dei Miseratione'* Benedicti XIV. necnon instructionem S. Congregationis Concilii diei 22. Augusti an. 1840.

De divortio quoad torum et cohabitationem.

38. In matrimonio etiam rato et consummato fidelium, quod quoad vinculum est absolute indissolubile, potest admitti dissociatio illius consuetudinis vitæ individuæ, ad quam ordinatur matrimonium, scilicet potest locum habere divortium *semiplenum.*

39. Divortium hujusmodi potest verificari vel ex mutuo consensu, vel alterutro conjuge dissentiente. Mutuo consensu peragitur divortium, cum uterque ingreditur Religionem, vel mulier concedit viro clericalem militiam amplectendi, juxta dicta in titulo *De convers. Conjugat. lib. 3.* Hoc insuper divortium saltem quoad torum ex mutuo consensu præsertim quoad tempus juxta dicta Apostoli Pauli 1. Cor. VII. fieri potest, quia a nullo jure prohibetur.

40. Etiam altero conjuge dissentiente fieri potest divortium semiplenum ex legitima causa.

Causæ autem hujusmodi aliæ ex se gignunt solummodo temporaneum divortium. Una vero, scilicet *adulterium,* natura sua tribuit conjugi innocenti jus in perpetuum divertendi a conjuge adultero. Breviter antea agimus de prioribus.

41. Prima causa est *lapsus in hæresim vel infidelitatem*, qui lapsus a Doctoribus appellatur *fornicatio spiritualis*. Si attendatur cap. 6. h. t. videretur lapsus hujusmodi esse causa divortii perpetui, quando pars innocens separaretur a conjuge reo per Ecclesiæ judicium. At juxta cap. 7. h. t. et fin. *'De Convers. Conjugat.'* quæ saltem uti correctiva cap. 6. h. t. habenda sunt, tenendum est conjugem innocentem redire debere ad conjugem hæreticum vel infidelem, quoties hic conjux sincero animo ejuraverit hæresim vel infidelitatem et catholicam fidem iterum professus fuerit. Unicus excipitur casus si nempe conjux innocens, jure suæ libertatis usus, statum incompatibilem cum conjugali interim susceperit.

42. Secunda causa divortii temporanei est *periculum animæ*, ex. gr. si alter conjux a conjuge impellatur ad crimen, vel ad deserendam fidem. Hæc causa adeo valida est ut conjux innocens possit etiam privata auctoritate divertere ad tempus ab alio conjuge; Doctores communiter, argum. cap. 2. h. t. Privata autem auctoritas ad divertendum valet solummodo in foro interno, in foro autem externo si alter conjux resistat, debet probari periculum animæ.

43. Tertia causa pro uxore sunt *minæ* et *sævitiæ* viri, ex quibus timor probabilis oriatur periculi *vitæ* vel gravis *damni*. cap. 8. et cap. 13. *'De Restit. Spol.'* Et quidem quando probabilis *timor periculi gravis urgeat*, potest uxor auctoritate etiam privata virum deserere donec causa discutiatur coram judice. Doctores communiter.

44. Quamvis citata capita loquantur de *uxore divertente*, tamen Doctores communiter cum Glossa in cap. 2. h. t. verbis *'vel alio'* tenent etiam virum posse uxorem relinquere et provocare divortium quando cognoscantur ex parte mulieris insidiæ et machinationes mortis viri.

Notandum vero est non verificari causam divortii quando minæ vel insidiæ constituunt factum prorsus præteritum et finitum, sed requiritur factum permanens et periculum damni futuri.

45. Quarta causa divortii temporanei esse potest *morbus* alterius conjugis de quo supra in tit. *de Conjug. Leprosorum*.

De divortio ob adulterium.

46. Adulterium unius conjugis sive sit vir, sive sit uxor adultera, est conjugi innocenti causa juridica et sufficiens petendi et assequendi divortium perpetuum quoad torum et cohabitationem. Capp. 4. 5. et 8. h. t. Siquidem adoptatum est principium 'Frangenti fidem, fides frangatur et ipsi' idest is qui fidem frangit, jus amisit exigendi ab innocenti conjuge observantiam obligationum individuæ vitæ consuetudinis, quæ ex matrimonio gignuntur.

Debet vero esse adulterium *formale,* nec sufficit solummodo *materiale,* quemadmodum ex. gr. si uxor vi oppressa commercium carnale haberet, vel saltem absque culpa ex ignorantia facti inculpabili. Ratio est quia adulterium in hac hypothesi non esset crimen.

47. 2°. Ut adulterium jus tribuat divortio, debet esse *totum ex parte unius conjugis,* nam si alter conjux vel promoveat, vel consulat, vel saltem tacite consentiat in adulterium conjugis sui non potest obtinere divortium. Cap. 6. *'De adulteriis'.*

48. 3°. Non datur divortium quoties pars innocens remiserit parti adulteræ injuriam. Innocens etiam conjux potest renunciare juri suo exposcendi divortium. Actio enim divortii, quæ dicitur actio civilis nata ex adulterio, exclusive competit conjugi innocenti, qui proinde potest eidem renunciare. Renunciatio autem fieri potest tacite et expresse.

49. Tacite quidem si conjux innocens, optime sciens adulterium alterius conjugis, cum isto habet liberam copulam carnalem. Per eam enim censetur renovata et reintegrata vitæ individuæ consuetudo. Pariter præsumitur tacita renunciatio injuriæ adulterii quando pars innocens, licet sciat adulterium alterius publice cognitum, tamen cohabitat pacifice cum parte adultera, et eo magis si eamdem pertractat cum magna familiaritate, et signa indubia amoris ei exhibeat. Ita Doctores communiter. Ratio est quia hæc quæ diximus sunt signa restauratæ amicitiæ, et condonationis injuriæ acceptæ.

50. Hæc vero condonatio injuriæ et renunciatio divortii intelligi debet in casu criminis adulterii *semel* commissi. Nam si ageretur de adulterio habituali subingrederetur dispositio Cap. 3. *De adulteriis* quæ ita se habet: 'Si vir sciens uxorem in fornicatione permanere, vixerit cum ea, etiam ipse criminis particeps

reputatur.' Idest vir est patronus turpitudinis et reus criminis *lenocinii*. Quare uxorem dimittere debet.

51. Quodsi uxor pœniteat videndum est utrum pœnitentia sit sincera, necne. Si fuerit sincera poterit vir uxorem suam retinere; si vero ficta et dolosa fuerit pœnitentia, non poterit vir cum uxore sua cohabitare. Ficta autem censetur pœnitentia quando sæpe a crimine ad pœnitentiam transit et viceversa. Ita in *cit. cap. 3. De adulteriis.*

52. 4°. Non conceditur divortium quoties pars, quæ fuerat innocens, et *ipsa adulterii labe maculetur,* antequam juridica feratur divortii sententia. Capp. 4. et 5. h. t. nec non capp. 6. et 7. *'De adulteriis'*. Videtur enim intercessisse mutua injuriarum compensatio.

53. Nec difficultas exurgit ex eo quod unus alium in crimine præcesserit, nam cum causa agenda et definienda est ad instituendum juridicum divortium, uterque conjux in eadem versatur conditione fractæ fidei conjugalis.

54. Dixi *'ante sententiam judicis'*. Nam inter Doctores quæstio est utrum divortium sustineatur, vel potius reintegranda sit vitæ individuæ consuetudo, quando pars quæ fuerit innocens, etiam ipsa post judicis sententiam in adulterium labatur.

In hac quæstione nonnulli docent divortium adhuc sustineri, nam per sententiam judicis, quæ transit in rem judicatam, causa finita est, et inducta est separatio perpetua, qua pars innocens soluta prorsus fuit ab obligationibus conjugalibus erga alium conjugem, et propriam quodammodo libertatem recuperasse dicenda est. Quare in can. 6. caus. 6. q. 4. ceu principium juris statuitur: 'Quod bene semel definitum est . . . nulla debet iteratione retractari.'

55. At inspecto rigore justitiæ opinio contraria suo non caret fundamento. Nam sententia nihil aliud producit quam jus conjugi innocenti divertendi ab alio conjuge. At hoc jus non est inamissibile, et revera amitti dicendum est per crimen adulterii. Hinc res in eum casum incidisse videtur a quo incipere non poterat. Scilicet solutio matrimonialis conversationis non potuisset abrumpi si non unus solummodo, sed uterque conjux in adulterium lapsus fuisset. Quare quemadmodum qui prius adulterium patravit amisit jus conjugale acquisitum per matrimonium, ita etiam conjux

qui fuerat innocens, per adulterium postea patratum amittit jus libertatis acquisitum per sententiam. Cf. c. 5. h. t.

56. Verum quoniam cessatio divortii et reintegratio conjugalis vitæ est res fori externi, quæ nempe importat externam executionem, ea non incipit ante judicis sententiam, quæ ad petitionem alterius conjugis, qui prius deliquerat, destruat priorem divortii sententiam.

57. Quæritur utrum posito adulterio possit pars innocens auctoritate propria divertere.

Quamvis in societate non sint individua, quæ sibi jus reddant, sed legislator et magistratus nomine illius, tamen dantur casus in quibus, posita certa lege, individuum quin turbet publicum ordinem, potest jus suum exercere etiam contra alium invitum. Ex. gr. dominus eripit de manibus furis fugientis res ablatas.

In nostra hypothesi plures Doctores, quidquid alii sentiant, distinguentes inter notorium et occultum adulterium, tenent non quidem in occulto, sed in notorio adulterio posse conjugem innocentem divertere ab alio, quia posito notorio adulterio, jam subintrat lex Evangelica Matth. XIX. permittens divortium. Nec requiritur sententia judicis utpote superflua. Siquidem sententia judicis solummodo potest declarare factum, sed non est ipsa, quæ operatur divortium. Divortium enim procedit ex lege Evangelica. Necesse autem non est declarare factum quod jam evidens est. Nam notorium sive juris, sive facti pro veritate habetur. Hinc conjux innocens in hac hypothesi divertens, per se non tenetur obedire superiori ecclesiastico præcipienti reintegrationem conjugii, bene vero potest ad reintegrandum matrimonium ob scandalum quod exoriri posset ex resistentia auctoritati ecclesiasticæ opposita.

58. Quoad rationem tractationis causæ divortii advertimus regulam determinari *in Clem. 2. De Judic. et Clem. 2. De verb. signif.* in quibus capitibus statuitur causas matrimoniales quoad vinculum esse de plano tractandas, idest per judicium summarium, et per consequens non requiri litis contestationem et alias solemnitates judicii ordinarii. Quare sufficit ut petitio sive scriptis sive verbis facta, actis Curiæ Episcopalis inseratur, et producantur probationes et defensiones, quæ bonum jus ostendunt, ut sententia secundum justitiam dari possit. Pariter servari non debet dispositio tit. 6. lib. 2. *'ut lite non contestata non procedatur ad*

testium receptionem, vel ad sententiam definitivam'. Hinc etiam reo contumace judex ultro in causa procedere potest, et sententiam pronuntiare.

59. At Clementinis citatis derogavit Benedictus XIV. per Constit. '*Dei miseratione*' quapropter hodierno jure in tractandis et decernendis causis matrimonialibus quoad vinculum præ oculis haberi debent cit. cap. Clementinarum, nec non cit. Constit. '*Dei miseratione*' et Instructio S. Congregationis Concilii anni 1840, de qua supra.

60. In ordine vero ad causas divortii quoad torum et cohabitationem servatur ratio et forma judiciorum ordinariorum. Præ oculis autem haberi potest resolutio S. Cong. Conc. in causa Bavariæ de qua egimus in tit. 6. lib. 2. '*Ut lite non contestata.*'

61. Relate ad onus alendi et educandi filios, ante divortium natos, tenenda norma juris civilis locorum.

62. Antequam tituli decimi noni expositionem expleamus, animadvertimus non paucos errores sustineri et evulgari ab hostibus Ecclesiæ Catholicæ contra sanctitatem matrimonii et in specie contra vinculi conjugalis indissolubilitatem. Siquidem moderni politici matrimonium ad meram civilem conditionem reduci posse autumantes, consequentiam hujus theoriæ in medium proferunt et propugnant; videlicet quemadmodum lex civilis est quæ conjuges ligat, ita etiam potest eadem lex conjugii ligamina dissolvere. Qui autem inter ipsos majori utuntur moderatione, contendere satagunt divortium quidem in genere admitti non posse, ob incommoda quæ secumfert contra societatem domesticam, attamen aliquibus in circumstantiis divortium necessarium esse ad graviora mala vitanda, illudque esse adoptandum tamquam minus malum inter mala majora. Hinc in schemate legis proposito discussioni Cameræ Regni, quod Italicum appellant, solummodo sub aliquibus conditionibus, et in quibusdam circumstantiis divortium permittitur.

63. Quoniam vero errores hujusmodi contra divinam dignitatem matrimonii, et præsertim contra ejus perpetuitatem non solum in publicis scholis tum Galliarum, tum Italiæ propugnarentur, sed etiam ex editis libris et ephemeridibus in vulgus propagarentur, ad fideles in tanti momenti materia decipiendos, necesse fuit ut Supremi pastoris et Magistri in Ecclesia oraculum prodiret quo erroris tenebræ dissiparentur, et vera lux veritatis fulgeret.

64. Et revera opportuno tempore SS. D. N. Leo Papa XIII. Encyclicas litteras edidit die 10. Februarii a. 1880. incipientes *'Arcanum divinæ consilium'* in quibus claro et sapienti eloquio fidelibus totius orbis exposuit catholicam doctrinam de conjugali fœdere, deque ejus indissolubili natura, nec non demonstravit maximam utilitatem quæ ex hac doctrina societati civili derivat.

Titulus XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda.

I°. De donationibus.

1. Donatio definitur *'Liberalitas nullo jure cogente in alium collata, et ab eodem acceptata'*. Quamvis donari possit propter causam ex. gr. ad gratum animum ostendendum ob officium vel utilem actionem, quo in casu donatio dicitur *remuneratoria,* tamen ut verificetur proprie dicta donatio, persona erga quam exercetur liberalitas jus verum habere non debet.

2. In titulo agitur de donationibus inter virum et uxorem, constante, idest contracto jam matrimonio. Ex cap. ult. h. t. habemus confirmatam fuisse legislatione Ecclesiastica dispositionem civilis juris, qua interdicuntur donationes inter virum et uxorem.

Diximus interdictas fuisse donationes *constante matrimonio,* nam inter *sponsos* possunt fieri donationes etiam intuitu nuptiarum, quæque appellantur donationes *propter nuptias.*

Ut cognoscatur extentio prohibitionis donationum inter conjuges, rationes habendæ sunt præ oculis, ob quas istæ donationes prohibitæ sunt.

3. Rationes autem cur donationes inter virum et uxorem, constante matrimonio, invalidæ sunt coram lege binæ adsignantur 1ª. ne ob nimium amorem unus in alium conjugem rerum suarum prodigus fiat et ad paupertatem redigatur; 2ª. ne amor conjugum purus et honestus fiat venalis, et concordia inter conjuges abrumpatur ob rem ab uno valde concupitam et ab alio denegatam.

4. Ex hisce rationibus sequitur 1°. a lege interdici solummodo *magnas donationes,* ob quas unus conjux ditior, alius vero fiat pauper; 2°. donationes proprie interdici *de rebus jam possessis,* non autem de *rebus vel juribus futuris et possibilibus;* 3°. sequi-

tur valere donationes eorum, quæ fiant in *ornatum uxoris,* quia usus has donationes recipit, et vir non uxoris sed sui causa videtur eas fecisse; 4°. sustineri etiam donationes uxoris ut *vir honoribus vel muniis augeatur,* quia hæc etiam in uxoris bonum cedunt. Ita Doctores juxta leges civiles communiter receptas.

5. 5°. Ex allatis superius rationibus sequitur interdici magnas donationes *inter vivos,* quæ nempe sint natura irrevocabiles, non autem quæ fiunt *contemplatione mortis,* quia postremæ donationes possunt revocari quando placeat, ad modum testamenti quod non valet ante mortem testatoris. Hinc non verificatur ratio paupertatis. Quæ animadversio etiam ostendit cur in jure expresso in cap. fin. h. t. dicatur morte donantis firmari donationes invalide factas si ante mortem non fuerint revocatæ ab eodem.

6. Et quidem donationes non revocatæ confirmantur non solum per mortem naturalem, sed etiam per mortem civilem, et per professionem in Religione quæ incapax est possessionis. Ratio est quia lex interdicens donationes magni momenti, vult consulere bono donantis ne in paupertatem incidat. Hinc statuit donantem non teneri ad observandam donationem, sed posse eam revocare quando velit. Si igitur donans vivens non revocaverit, præsumitur morte confirmasse actum donationis, et quasi per testamentum alteri conjugi reliquisse portionem bonorum suorum.

7. Tandem juxta principia juris in tit. *'De Jurejur.'* dicimus non posse revocari donationes inter virum et uxorem juramento firmatas, quia donans videtur renunciasse juri revocandi et rescindendi actum donationis.

II°. De dote.

8. Nomine dotis venit *'certa pecuniæ quantitas aut res sive mobilis sive immobilis, ab ipsa uxore vel ab alia persona data vel promissa viro in occasione matrimonii ad sustinenda onera ejusdem matrimonii.'*

Hinc alia est dos *promissa,* alia *constituta.* Dos pariter dividitur in *qualificativam et quantitativam.* Qualificativa consistit in fundo vel in re inæstimata, vel si æstimatio addatur solummodo adjiciatur demonstrationis causa. Quantitativa est quæ consistit in numerata pecunia, vel in determinato valore alicujus rei.

9. Si dos marito tradatur, maritus fructus ex ea provenientes solummodo percipit, quia non proprietas, sed fructus necessarii

sunt ad onera matrimonii ferenda. Hinc vir tenetur conservare uxori suæ acceptam dotem, sive quoad qualitatem, seu rem determinatam, si dos fuerit qualificativa, sive quoad æstimationem et valorem si dos fuerit quantitativa.

Quod si dos solummodo promissa fuerit, qui promisit tenetur respondentes fructus solvere viro, quia dos est natura sua frugifera, eo quod traditur vel promittitur ad sustinenda onera matrimonii.

10. Præter dotem uxor potest afferre secum alia bona, quæ remaneant penes ipsam tum quoad proprietatem, tum quoad usumfructum, quæque dicuntur *extradotalia.* Vir nullum jus habet circa bona hujusmodi, quia non sunt ordinata ad sustinenda onera matrimonii. Quod si hæc bona tradantur viro administranda, appellantur *paraphernalia.* In his autem bonis vir habet nudam custodiam et administrationem ad uxoris beneplacitum, cui etiam uxori cedunt fructus eorumdem bonorum.

11. Doti quam affert mulier respondet *donatio propter nuptias seu contrados,* cujus nomine venit quidquid vir ante vel post nuptias uxori adsignat in securitatem dotis, retinens apud se administrationem et usum fructum rerum adsignatarum.

12. Donatio propter nuptias distinguitur a *sponsalitia largitate.* Etenim sponsalitia largitas est quidquid sponsi sibi invicem donant sub tacita conditione ineundi matrimonium futurum. Hinc sponsalitia largitas est restituenda quoties matrimonium absque alterius sponsi culpa non sequatur. *l. 15. Cod. De Donat. ante Nupt.* Transit vero in plenum et perpetuum dominium donatarii, quoties matrimonium fuerit contractum.

III°. De restitutione dotis.

13. Si matrimonium dissolvatur per divortium plenum, dos est restituenda uxori, vir autem contradotem liberam recuperat, nisi ex consuetudine aliud obtineat, vel nisi pactum intercesserit de lucranda dote vel donatione inter nuptias. Ita in cap. ult. h. t. in fine.

14. Quod si matrimonium fuerit resolutum per mortem alterutrius conjugis restitutio facienda est solummodo, liberis non extantibus. Liberi enim extantes succedunt in bona et jura parentum defunctorum.

15. Si divortium sit semiplenum distinguendum est utrum ex mutuo consensu, vel ex crimine separatio conjugum fiat. Si ex mutuo consensu separentur conjuges, mulier recuperat dotem, vir res donatas propter nuptias, si autem ex adulterio, vel in genere ex crimine viri, mulier recuperat dotem, cap. 1. h. t. et etiam suum faciet dotalitium seu donationem propter nuptias. Arg. cap. 4. h. t.

16. Si vero divortium fiat ex adulterio, vel ex alio crimine uxoris, ipsa amittet jus repetendæ dotis, quæ viro cedit. Cap. 4. h. t.

Causam restitutionis dotis videt et decernit idem Judex, qui causam divortii cognoscit. C. 3. h. t. Tandem in re nostra animadvertimus juxta canonicum jus expressum in can. 2. h. t. ea bona quæ, constante matrimonio, obveniunt et sunt effectus industriæ communis conjugum, æquitate suadente, utrique conjugi æquis partibus spectare, adeoque, soluto matrimonio, æque esse dividenda.

Titulus XXI.

De secundis nuptiis.

1. Secundæ et eo magis posteriores nuptiæ minus honorabiles in Ecclesia habitæ sunt, tum quia videntur insinuare intemperantiam, tum quia non repræsentant perfecto modo typum conjugii Christiani, nempe unionem Christi cum Ecclesia, quemadmodum hanc unionem repræsentat matrimonium unius cum una. *C. 5. 'De Bigam. non ord.'* Quare ex defectu significationis ob secundas nuptias inductum est impedimentum irregularitatis ad ordines suscipiendos, et in vetere Ecclesia imponebatur aliqua pœnitentia fidelibus secundas nuptias contrahentibus. Ita Can. 8. c. 31. q. 1. At hæc pœnitentia contraria consuetudine sublata est.

Secundæ autem et posteriores nuptiæ non solum validæ sunt, quia in ipsis ratio contractus naturalis, et ratio sacramenti reperitur, sed etiam licitæ revera sunt inter fideles. Sufficiat citare S. Paulum in Ep. ad Rom. 7. et in 1°. Cor. 7. ubi absolute ait mulierem posse alteri viro nubere in Domino, si vir ejus dormierit. Imo in 1°. ad Tim. 5. vult S. Paulus, 'viduas juniores nubere'.

2. Sive quia secundæ nuptiæ minus honorabiles sunt præ primis, sive quia semel data nuptialis benedictio iteranda non esse videtur benedictio interdicta fuit in secundis nuptiis, immo pres-

byter secundis nuptiis benedicens, pœna suspensionis plectebatur. C. 1. h. t.

3. Verum per consuetudinem communem introductum est, ut secundæ nuptiæ non quidem benedicerentur quando mulier esset *binuba,* benedicerentur autem quando vir esset *viduus* et duceret uxorem mulierem, quæ alias non fuit benedicta. Ratio est liturgica. Quia benedictio proprie dirigitur ad uxorem, hinc mulier, quæ aliud matrimonium non contraxit, benedictionem quam alias non recepit potest recipere.

4. Quæritur quandonam possint novæ nuptiæ contrahi.

Juxta leges civiles in Cod. Just. h. t. nuptiæ interdictæ erant intra annum luctus, ita ut mulier quæ ante completum annum a morte primi viri nupsisset alteri viro incurreret pœnam infamiæ, nec non alias pœnas, ex. gr. inhabilitatis ad quamcumque hæreditatem vel legatum obtinendum.

Hæc porro dispositio facta erat 1°. ut rigide et indubie definiretur paternitas filiorum, nec facile ad primum conjugium referrentur filii geniti in secundo conjugio; 2°. ut bonorum morum ratio servaretur, et evitaretur periculum in mulieribus cogitandi et conciliandi novas nuptias, prioribus adhuc existentibus.

5. Verum jus canonicum adhærens intentioni juris divini expressæ a S. Paulo in I. Cor. 7. et cupiens evitare periculum incontinentiæ in conjuge superstite correxit jus civile, et abstulit pœnas statutas contra conjugem superstitem, qui contraheret matrimonium ante completum annum luctus a morte prioris conjugis. Ita in capp. 4. et 5. h. t.

6. Sed juxta legem S. Pauli in l. c. requiritur ut cognoscatur mors alterius conjugis.

Lucius III. statuit ut nullus ad secundas nuptias migrare præsumeret, nisi constaret de morte alterius conjugis. Consonat *cap. 19. 'De Spons. et Matrim.'* Quod si nondum habita certa notitia mortis alterius conjugis, alter conjux matrimonium contraxerit, et proinde aliquatenus dubitet de valore hujus secundi matrimonii, poterit utique debitum reddere si ab alia parte petatur, quæ versatur in bona fide, quia fraudandum non est jus quod habet pars in bona fide; non poterit vero debitum petere, quia aliquis uti non potest jure quod certo non possidet. Si autem inde constiterit de vita prioris conjugis, matrimonium secundum est

solvendum prorsus, quia nihil est amplius quam connubium formaliter adulterinum. Ita in cit. cap. 2. h. t.

7. Quæritur quomodo legitime constare debeat resolutum fuisse primum conjugium morte alterius conjugis. Inquisitio est accurate facienda a Parocho et a Curia Episcopali, immo juxta intentionem Trid. Conc. in cap. 7. sess. 24. '*De Reform. Matrim.*' Parochus non videtur posse assistere matrimoniis, quando ex alienis testimoniis deprehendat factum resolutionis matrimonii per mortem alterius conjugis, nisi adsit Curiæ Episcopalis licentia.

Constare autem potest Curiæ Episcopali mors prioris conjugis ex fide authentica Parochi illius in cujus Parœcia conjux mortuus sit.

8. Nec aliqua documenta admittenda sunt, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii et recognita saltem per testes qui habeant notam manum aut sigillum, et attente consideretur ut fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur. Ita in speciali Inst. Cong. S. Inquis. Pariter de morte prioris conjugis constare potest per authenticam fidem rectoris hospitalis, vel capellani loci, aut exercitus, in quo conjux diem supremum occubuit.

Hisce deficientibus possunt admitti duo testes, qui sub juramento deponant revera solutum fuisse primum conjugium morte alterius conjugis.

Testes autem sunt interrogandi juxta normam statutam in cit. Inst. S. Cong. Inquisitionis an. 1670.

Referuntur quædam Instructiones S. Sedis, quæ practicam regulam exhibent in re matrimoniali servandam.

Instructio S. U. Inquisitionis jussu Clementis X. Ordinariis locorum aliisque præscripta, qua utantur ad legitime cognoscendum admittendumque statum liberum eorum, qui matrimonium contrahere velint.

'Decretum emanatum in Congregatione generali Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino nostro Clemente divina providentia Papa X., ac Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica christiana contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.'

Feria V. die XXI. Augusti MDCLXX.

9. 'Cum alias per sacram Congregationem S. Officii, iteratis Instructionibus ab eadem emanatis, de an. MDCLVIII et MDCLXV, locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit ut præscriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero conjuge, aut alias impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus Sanctissimus Dominus Noster quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios et Deputatos, ad excipiendas testium depositiones, nec non Parochos et Notarios, in casibus expressis aut omittere aut non observare earumdem instructionum tenorem, et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus.

§ 1°. Ideo volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re mature considerata cum Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus, generalibus Inquisitoribus, præsente Decreto, perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum injungit omnibus Vicariis seu Deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, necnon Parochis, Notariis et quibuscumque aliis respective, sub pœnis etiam gravibus corporalibus arbitrio S. Congregationis ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

§ 2°. Ut autem præsens Decretum et Instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit illa ad valvas Basilicæ Apostolorum et Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatio S. Officii ejusdem Urbis per aliquem ex Cursoribus Sanctitatis Suæ publicari ac eorum exempla itidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendæ numerandos, perinde afficere ac arctare, ac si illarum unicuique personaliter notificata et intimata fuissent.

Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Urbis Vicarii quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum.

10. 'I°. In primis testis moneatur de gravitate juramenti in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana majestas læditur ob rei de qua tractatur importantiam et

gravitatem, et quod imminet pœna triremium et fustigationis deponenti falsum.

11. 'II°. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione.

'III°. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

'IV°. An ad examen accesserit sponte vel requisitus; si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur quia præsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

'V°. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

'VI. Interrogetur an cognoscat contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis et conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

12. 'VII. Interrogetur an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel Diœcesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium et reddant sufficientem rationem causæ sententiæ eorum, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

13. 'Si vero responderit contrahere volentes esse cives,

'VIII. Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti.

'Item an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus, quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum ex quo non possit contrahi matrimonium.

'Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum, neque aliud impedimentum ut supra,

'IX. Interrogetur de causa scientiæ, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, vel aliud impedimentum etc., et quod ipse testis nesciat.

'Si responderit affirmative supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

'Si vero responderit negative,

'X. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde judex colligere poterit an testi sit danda fides.

14. 'Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos,

'XI. Interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a Rectore hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiæ in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ et sufficientes.

'XII. An post mortem dicti conjugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

'Si responderit negative,

'XIII. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

'Si responderit affirmative supersedeatur in licentia donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

'Si vero negative

'XIV. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia nec ne.

15. 'Si contrahentes sunt vagi non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis, servata forma Concilii Tridentini in *cap. 7. Sess. 24. De Ref. matr.*

16. 'Fides aliaque documenta, quæ producuntur a partibus non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum et sigillum, et attente consideretur, quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

17. 'Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia præsumuntur melius informati, et cives magis quam exteri; nec admittantur vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio, et Notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit utatur clausula 'mihi bene cognitus', sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita Notario, et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum.

18. 'Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario; si extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur Notarius arbitrio S. Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

'Ordinarii præcipiant omnibus et singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo vel ejus generali Vicario, prius teneantur, authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium.

'Contravenientes autem severe punientur.'

Non est opus animadvertere corporales pœnas de quibus in N°. I. Instructionis, non amplius in usu esse.

Instructio

Supæ Sacræ Congnis Inquisitionis ad probandum obitum alicujus conjugis. Die 13. Maji 1868.

19. 'Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et conjungi posse, alterutro vero conjuge vita functo, secundas, immo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiæ Catholicæ doctrina est.

'Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quæ difficultatibus ac fraudibus haud raro est obno-

xia, hinc sancta Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, sæpius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut prædicti matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

'Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti cap. *'Dominus', De secundis nuptiis* vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti in cap. *'In præsentia' De sponsalibus et matrimonio.* Inde etiam ea, quæ explanatius traduntur in Instructione *'Cum alias' 21. Augusti 1670* a Clemente X. sancita et in Bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Eminentissimi Vicarii Urbis, et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quæ propius ad rem facientia ibi habentur n. 12. et 13. (Hanc Instruct. superius retulimus).

'Et hæc quidem abunde sufficerent, si in ejusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius conjugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitæ vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis:

20. 'Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo legitimæ sint et sufficientes,') sequitur quod stantibus licet principiis generalibus præstitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Præsidum judicia hærere solent in vera justaque probatione dignoscenda ac statuenda; immo cum pro summa illa facilitate, quæ ætate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas, pro re nata, ut ajunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

'Quapropter S. eadem Congregatio hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis præsertim missionum locis, Ecclesiasticos Præsides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, necesse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quæ jam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulæ indigitentur, quas in

ejusmodi casibus hæc ipsa sacra Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad S. Sedem possint judicia fieri, vel certe si recurrendum sit, status quæstionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententiæ non debeat. Itaque

21. 'I. Cum de conjugis morte quæstio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ejus absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris Canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde s. mem. Pius VI. ad Archiepiscopum Pragensem die 11. Julii 1789 rescripsit, solam conjugis absentiam atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullumque suimet indicium dederit. *'Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit quam ejus contumacia'*.

22. 'II. Hinc ad præscriptum eorumdem Sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis parœciæ, vel xenodochii, vel militiæ, vel etiam si haberi nequeat ab auctoritate Ecclesiastica, a Gubernio civili loci, in quo, ut supponitur, persona obierit.

23. 'III. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes autem duo saltem esse debent jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriæ vel etiam militiæ, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

24. 'IV. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux alias nuptias inire peroptans vitam cœlibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit præditus, nulli exceptioni obnoxius, ac præterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri, quod non sit congruum et omnino verisimile.

25. 'V. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur, se tempore non suspecto mortem conjugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel etiam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutæ mortis prudenti judicio.

26. 'VI. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, præsumptionibus, indiciis et adjunctis quibuscumque sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio id prudenti relinquendum est judicis arbitrio.

Hinc tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illæ sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

27. 'VII. Itaque in primis illæ præsumptiones investigandæ erunt, quæ *personam ipsius* asserti *defuncti* respiciunt, quæque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur ex. gr.

'An ille de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret, nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

'An discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quæ tunc ejus ætas, et valetudo esset.

'An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quam primum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

'Alia *ex rerum adjunctis* pro varia absentiæ causa colligi indicia sic poterunt:

'Si ob *militiam abierit,* a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnæ interfuerit, utrum ab hostibus fuerit

captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

'Si *negotiationis causa iter susceperit*, inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit vel pluribus comitatus; utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiæ etc. etc.

'Si *maritimum iter fuerit aggressus*, sedulo investigatio fiat a quo portu discesserit, quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit, quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quæ navis cautionem forsan dederit, pretium ejus solverit: aliæque circumstantiæ, si quæ sint diligenter perpendantur.

28. 'VIII. Fama quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus: [nimirum quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famæ; an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

29. 'IX. Tandem si opus fuerit, prætereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personæ indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

30. 'X. Hæc omnia pro opportunitate casuum Sacra hæc Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis æqua lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum, et juris prudentum suffragiis, denique suum judicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

31. 'XI. Ex his omnibus Ecclesiastici Præsides certam desumere possunt normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

Instructio Secretariæ Status

ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtæ religionis quoad promiscua conjugia.

32. Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX., Pontifex Maximus, gravissimis causis impulsus, aliquid immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quæ ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti amplitudo tua ex adjecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex, de universi Dominici gregis salute sibi divinitus commissa vel maxime sollicitus, pro Apostolici ministerii sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicæ Ecclesiæ de hisce conjugiis documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de hujusmodi, Catholicos inter et Acatholicos, nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum sanctiones, de quibus immortalis memoriæ Benedictus XIV. loquitur in suis Encyclicis litteris ad Poloniæ Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere quod '*De Synodo Diœcesana*' inscribitur.

33. Hinc porro evenit, ut hæc Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super hujusmodi mixtæ religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta hæc conjugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis, ægre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de præmittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate Catholicæ Religionis educari omnino deberet. Quæ quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et hæc

Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt.

34. 'Insuper in tribuendis hujusmodi dispensationibus, præter enunciatas cautiones, quæ præmitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adjectæ quoque fuere conditiones, ut hæc mixta conjugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quæ quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi matrimonia mixta detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac deterrere ab iisdem mixtis conjugiis, in eorum et futuræ prolis perniciem contrahendis.

'Jam vero quod attinet ad prædictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsæ in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciatæ, in aliis vero permultis Rescriptis implicite continerentur; idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa ac singulari sua prudentia, hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas hæc Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtæ religionis impedimento concedere solet.

35. 'Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis temporumque ratione habita, et iis consideratis, quæ a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendum esse formula illius rescripti, quo etiamsi conditiones prædictæ de mixtis hisce conjugiis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarentur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur et excitat, eisque mandat, cum ipsi in posterum hujus Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtæ religionis, in eadem facultate

exequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra Ecclesiam, absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis.

36. 'Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri non posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi salvis, firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicæ religionis omnino educanda, judicent quando commemoratæ conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Diœcesano Rituali legitime præscriptum, exclusa tamen semper Missæ celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientiæ omnino commissam, majori, quo fieri potest silentio, ac secreto servent. Cum vero contingere possit ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum rescripta, quæ ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse jussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere, in commemoratis exequendis rescriptis.

37. 'Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes sacrorum Antistites, ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo catholicos sibi concreditos a mixtis hisce conjugiis avertere, eosque accurate edocere Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, legesque ad eadem conjugia pertinentes; atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos sacrorum Antistites præ oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quæ a suis felicis recordationis Prædecessoribus, ac præsertim a Pio VI. (*Epist. ad Archiep. Mechliniensem Episcoposque Belgii 'Exequendo nunc'*

die 13. Juni. 1782,) Pio VII. *(Epist. ad Archiep. Moguntinum 'Etsi fraternitatis tuæ' die 8. Octob. 1803);* Pio VIII. *(Epist. ad Archiep. Coloniensem et Episcopos Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem 'Litteris altero abhinc anno' die 25. Martii 1830. Instructio ad eosdem Archiep. et Episcopos die 27. Martii 1830)*; et Gregorio XVI. *(Epist. ad Archiep. et Episc. Bavariæ 'Summo igitur studio' die 27. Maji 1832. Instructio ad eosdem die 12. Septembris 1834. Epist. ad Archiepiscopum et Episcopos Hungariæ 'Quas vestro' die 30. April. anni 1841. Instructio ad Archiep. et Episcopos Austriacæ Ditionis in fœderatis Germaniæ partibus die 22. Maji 1841)* de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptæ fuerunt.

Hæc Amplitudini Tuæ erant significanda jussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX., cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicæ Ecclesiæ doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur atque servetur.

Datum Romæ die 15. Nov. 1858.

J. Card. Antonelli.

Notandum. Hæc Instructio quam supra retulimus est omnium recentissima pro mixtis conjugiis, et secundum eam matrimonia mixta a S. Sede permittuntur.

Appendix
ad Commentarium in Lib. IV. Decretalium.

De Dispensatione in impedimentis matrimonii.

1. Conceptus dispensationis in eo consistit ut Superior Ecclesiasticus, integra manente dispositione legis pro tota communitate, eximat a lege aliquem individuum communitatis ejusdem.

2. Ex data notione sequitur dispensationem considerandam esse tamquam vulnus legi, adeoque ceu odiosam juri, strictam interpretationem pati. Adeo autem in stylo Curiæ urgetur interpretationis rigor, ut practica regula sequens adoptata fuerit: 'Dispensatio tantum valet, quantum sonat'. Quare excluditur extensio ad casus similes, nec valet argumentum de majori ad minus. Unde ex. gr. dispensatio concessa in secundo gradu consanguinitatis lineæ obliquæ non valet si oratores non in secundo gradu, sed in tertio vel quarto gradu consanguinitatis ejusdem lineæ constituti sint. Conf. Riganti ad Regulam 14. Cancellariæ Apostolicæ nn. 71. et 72.

Hanc regulam vidi ego recognitam in Tribunali S. Pœnitentiariæ.

3. Ex data notione sequitur etiam dispensare non posse in impedimentis, nisi eum qui jurisdictione seu potestate pollet supra legem. Hinc potestas suprema ecclesiastica, quæ ordinario modo in Romano Pontifice residet, et extraordinarie residet in Concilio Generali cum Romano Pontifice, dispensare potest in impedimentis sive impedientibus sive dirimentibus a jure ecclesiastico inductis. Quæ dispensatio non solum internum sed etiam afficit forum externum, quoties dispensatio detur pro utroque foro.

4. Dixi 'quoties dispensatio detur pro utroque foro'. Nam Sacra Pœnitentiaria quando agitur de impedimento occulto, dispensationem concedit pro foro tantum interno cum clausula: 'Ita quod hujusmodi dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur'.

5. Ex exposito conceptu dispensationis sequitur insuper Episcopum posse auctoritate propria dispensare in interdicto Ecclesiæ vetante matrimonium aliquod in particulari, sive interdictum fuerit positum ab ipso Episcopo, sive a Parocho intimatum fuerit, non autem dispensare posse in aliis impedimentis sive impedientibus sive dirimentibus. Notum enim est peræque acceptum principium, non posse inferiorem derogare legi superioris, nisi ex facultate delegata ab ipso superiore.

6. Porro delegatio potest esse expressa vel tacita, vel præsumpta. Etenim aliquando superior expresse, aliquando tacite concedit facultatem, aliquando autem voluntas superioris delegandi facultatem quamdam argui potest ex circumstantiis. Videlicet dantur quandoque facti cujusdam conditiones, et circumstantiæ, quæ ignorantur quidem a superiore, sed adeo graves reputantur, ut si eas superior cognosceret facultatem agendi indubitanter concederet inferiori.

7. Dispensat Episcopus ex delegatione expressa 1°. quando Summus Pontifex committit eidem facultatem dispensandi in aliquo casu particulari inter determinatas personas.

2°. Quoties Summus Pontifex concedit Episcopo indultum in genere ad dispensandum sive in determinatis impedimentis et determinatis gradibus, sive pro casibus numero definitis ex. gr. pro decem casibus in anno. In utraque hypothesi regula est ut delegatus fideliter stet tenori et formæ mandati Summi Pontificis.

8. In ordine autem ad indultum, cum sit beneficium Principis, hinc favorabile est et latam interpretationem recipit. Quare ex. gr. si concessum fuit in genere indultum ad dispensandum in impedimento affinitas absque ulla limitatione, hæc facultas exerceri potest sive affinitatis oriatur ex copula licita, sive ea oriatur ex copula illicita. *Cf. Giovine De Dispensationibus tomo 1°. part. 1. § 102. n. 2.*

Pariter concessa facultate dispensandi super gradu superiori, nempe tertio, censetur concessa dispensandi facultas super inferiori, nempe quarto. Ita Riganti ad Regulam 14. Cancellariæ Apost. n. 69.

9. Ceterum nequit fieri extensio de uno genere ad aliud genus impedimentorum, nec de gradu simplici ad gradus mixtos. Pariter si concessum fuerit indultum dispensandi cum pauperibus, dispensatio non valet si concedatur personis non pauperibus.

10. Ex facultate tacite delegata ordinarie Episcopus potest dispensare in impedimento derivante ex quocumque voto simplici Pontifici non reservato. Talia sunt: votum temporaneum castitatis, votum perpetuæ castitatis conditionatum vel pœnale; sic etiam votum non nubendi, et votum suscipiendi ordines. Et ratio est quia hæc vota Summus Pontifex sibi non reservavit. Hinc censetur tacite concessa facultas Episcopis dispensandi super iisdem.

Verum Episcopus dispensare nequit in impedimento impediente ex voto absoluto perpetuæ castitatis, vel ex voto ingrediendi religionem. Vota enim hæc duo reservata sunt Romano Pontifici. Ita communis sententia Doctorum tenet et ab experientia confirmatur.

11. Ex præsumpta autem delegatione Episcopus, juxta Doctorum sententiam pro foro conscientiæ in impedimentis etiam dirimentibus juris ecclesiastici dispensare potest in causa urgentissimæ necessitatis, dummodo simul hæc tria concurrant: 1°. ut impedimentum sit occultum et tale ut si publicaretur, notabilis infamia exurgeret contrahentibus, 2°. ut adsit causa gravis; et 3°. adeo debet periculum esse in mora, ut differri nequeat matrimonium, quoadusque postuletur et obtineatur dispensatio a Romano Pontifice.

12. Doctores duplicem casum ad instar exempli afferunt, 1°. s. aliquis morti proximus ad legitimandam prolem contrahere vellet cum concubina, cum qua ligatur impedimento occulto, nec adiri potest Romanus Pontifex, 2°. cum omnia sint parata ad matrimonium contrahendum, nec celebratio differri potest, et pariter contrahentes ligentur impedimento occulto. Ita fert communissima inter Doctores sententia necnon experientia et longæva consuetudo Episcoporum. Cui accedit ratio præsumptæ facultatis, nam tales sunt supra expositæ conditiones, quas si cognosceret Romanus Pontifex, procul dubio concederet Episcopo facultatem dispensandi Cf. Ben. XIV. De Syn. Diœc. lib. IX. c. II. n. II. et S. Alphonsus Th. mor. lib. 6. 1122.

Cæterum Sancta Sedes non semel interrogata de valore hujus sententiæ, sese semper abstinuit ab eadem sive probanda, sive reprobanda.

13. Verum si agatur de matrimonio jam contracto eoque nullo ob impedimentum dirimens, Benedictus XIV. in cit. loc. n. 1°.

ita scribit: 'Ultro concedimus Episcopo illud (impedimentum) relaxandi facultatem, quam eidem adscribunt Sylvester verbo '*Dispensatio*' § 9; Sanchez. *de mat. disp. 40. n. 3.* . . Fagnanus in cap. 'Nimis' n. 33. *De filiis Presbyterorum*' etc. qui tamen unanimiter monent non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare nisi simul concurrant sex circumstantiæ.'

14. Porro circumstantiæ hujusmodi sunt sequentes videlicet 1°. ut matrimonium sit contractum in facie Ecclesiæ, omnibus adhibitis solemnitatibus, 2°. ut contractum sit bona fide, 3°. ut sit consummatum, 4°. ut impedimentum sit occultum, 5°. ut non possit facile adiri S. Sedes, ob paupertatem vel rusticitatem conjugum, vel ob distantiam, 6°. ut non possit fieri separatio putatorum conjugum absque scandalo.

15. Diximus Episcopum suppositis conditionibus supradictis in foro interno, non autem in externo dispensare posse. Nam experientia et consuetudo numquam facultatem asseruit Episcopo dispensandi in foro externo in impedimentis dirimentibus. Ratio autem juridica est, quia præsumptiva delegatio tota fundatur in necessitate consulendi bono animarum, seu conscientiæ fidelium, non autem providendi convenientiæ exteriori et famæ seu opinionum individuorum relate ad societatem. Insuper urgentissima necessitas dispensationis in foro conscientiæ optime cognita non semper exterius patere potest, ita ut legitima reddatur appositio manuum inferioris in lege superioris. Hinc facile possent ex dispensatione Episcopi scandala oriri. Quare S. Congr. Concilii die 19. Jan. 1601 audita declaratione qualificatorum S. Congr. Inquisitionis judicavit falsam esse ac temerariam propositionem quæ asserit posse Episcopum dispensare in impedimento publico dirimente consanguinitatis ad matrimonium contrahendum, sive in periculo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possunt expectare dispensationem Sedis Apostolicæ. *Riganti ad reg. 49. Canc. Apost. n. 2. Bened. XIV. De Synod. Diœc. l. c. n. 3.*

16. Quæritur quando impedimentum censeatur occultum.

Impedimentum tunc in genere censetur occultum, quando non publice constat nec facile constare potest, ac periculum non est ut in foro externo detegatur. Ita Pyrrus Corradus *Praxis Dispens. Apost. lib. 7. n. 12.*

Hæc notio præsertim convenire potest impedimento criminis ex adulterio utrinque formali cum promissione mutua futuri matrimonii, et impedimento affinitatis ex copula illicita. Unde impedimenta consanguinitatis et affinitatis ex copula licita, et alia quæ probari possunt ex publicis libris in genere occulta non sunt. At Bened. XIV. in Const. *'Pastor bonus' § 7.* concedit majori Pœnitentiario facultatem dispensandi in tertio et quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita occultis, ad revalidandum matrimonium nulliter contractum. Quare etiam impedimenta ex consanguinitate vel affinitate possunt esse occulta. Et revera distantia domicilii a loco originis efficere potest, ut in loco domicilii ignota sit omnibus consanguinitas vel affinitas inter duos.

17. Hisce positis, regula hæc, juxta Doctores magnæ notæ relatos a Bened. XIV. *Inst. Eccl. 87. n. 44. 45.*, constitui potest, ut censeri possit occultum impedimentum, quando scilicet a paucis ex. gr. tribus, vel quatuor in oppido, vel a septem vel octo in civitate cognoscatur, tamen periculum moraliter nullum est publicationis ejusdem impedimenti. Quare quando possibilitas cognitionis impedimenti restringitur ad testes, qui impedimentum cognoscunt, attendendus utique est numerus personarum quæ impedimentum sciant, sed magis considerandæ sunt qualitates testium ipsorum, utrum timeri possit evulgatio impedimenti necne. Si enim testes bonæ opinionis non sunt, etiam duo soli testes possunt timorem ingerere propagationis notitiæ impedimenti, et denunciationis impedimenti ad Tribunal publicum Ecclesiæ, ita ut matrimonium ex dispensatione occulta Episcopi valide contractum, cum scandalo dissociari debeat, et in foro externo ceu nullum haberi.

18. Qua in re animadverti etiam debet, non sufficere si impedimentum sit solummodo formaliter occultum, sit vero materialiter publicum, sed requiri ut impedimentum sit etiam materialiter occultum. Dicitur materialiter publicum impedimentum, sed formaliter occultum quando ab omnibus vel a pluribus in loco cognoscitur factum, quod gignit impedimentum, sed tamen ex errore juris non noscitur ex facto illo impedimentum oriri. *Cf. cit. Inst. Eccl. n. 48.*

Hæc dicta sint de potestate Episcoporum in dispensationibus concedendis ab impedimentis.

De Dispensationibus, quæ a Sede Apostolica conceduntur.

19. In Apostolica Sede duplex fuit institutum organum pro dispensationibus matrimonialibus concedendis, nempe Dataria Apostolica et sacra Pœnitentiaria. In Dataria Apostolica conceduntur dispensationes pro impedimentis publicis. In S. Pœnitentiaria juxta primitivam institutionem concedebantur dispensationes solummodo pro impedimentis occultis. Hinc in Dataria concedebantur dispensationes etiam pro pauperibus, unde distincta est concessio dispensationum in forma ordinaria, et concessio in forma pauperum. Quoniam vero in Dataria conceduntur dispensationes in impedimentis publicis, in precibus exprimenda sunt nomina et cognomina nupturientium, et documentum dispensationis debet esse publicum. Quare literæ Apostolicæ dispensationum in Dataria concessarum expediuntur per Cancellariam Apostolicam. Quædam vero dispensationes expediuntur in ipsa Dataria per literas in forma *Brevis*.

20. Quoniam vero dispensationes, quæ juxta primitivam institutionem in Pœnitentiaria conceduntur respiciunt forum internum, et dantur super impedimentis occultis, non oportet, ut in precibus exprimantur nomina et cognomina postulantium, sed adhiberi solent nomina fictitia Titius, Cajus, Sempronia, Mœvia etc.

21. Pariter ex eodem conceptu habetur, quod si concedatur dispensatio in Dataria ad revalidandum matrimonium nulliter contractum, necesse est ut consensus renovetur in forma Tridentina, eo quia impedimentum publicum reddit nullum matrimonium coram Ecclesia. Quando autem dispensatio conceditur in S. Pœnitentiaria ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sufficit occulta renovatio consensus. *Reiffenstuel, Appendix, De Dispens. matrim. n. 610. et seqq.*

22. Verum hodierna praxis est ut etiam in Sacra Pœnitentiaria concedantur dispensationes super impedimentis publicis quando oratores sunt pauperes. Quapropter concessum est ut dispensationes in forma pauperum non concederentur solum in Dataria Apostolica sed etiam in S. Pœnitentiaria. Unde quando hæ dispensationes expostulantur in S. Pœnitentiaria ab oratoribus pauperibus, debent exprimi nomina et cognomina nupturientium. Quapropter ob paritatem rationis, quoties a S. Pœnitentiaria conceditur dispensatio ad convalidandum matrimonium nullum ob

impedimentum publicum, renovatio consensus inter conjuges fieri debet in forma Tridentina.

23. Jam quæritur quid dicendum sit, si dispensatio ab impedimento publico fuerit concessa in forma pauperum, cum tamen oratores revera pauperes non sint?

Quæstio hæc nuperrimis temporibus ter in Sacra Congregatione Concilii proposita fuit. 1°. In causa Granatensi diei 18. Apr. an. 1863. 2°. In causa cui titulus 'Dubia circa facultatem dispensandi' diei 26. Apr. an. 1873. 3°. In eadem causa diei 28. Junii ejusdem anni. Solummodo in postrema propositione quæstio resoluta esse aliquo modo videtur.

24. Ut autem rei claritati consulamus quædam historice præmittimus.

Sæculis superioribus ad Datariam Apostolicam pertinebant omnes dispensationes in foro externo, et pro impedimentis publicis, sive oratores fuissent pauperes sive non fuissent. Eversis publicis rebus sub finem sæculi elapsi et sub initio præsentis Dataria Apostolica impedita fuit, quominus negotia sua exerceret. Quare tunc dispensationes matrimoniales per Sacram Pœnitentiariam expediebantur.

25. Restituto autem ordine publico, Dataria Apostolica pristina sua negotia iterum exequi aggressa est, tamen praxis invaluit, ut quoties novus Major Pœnitentiarius constitueretur in suo officio reciperet a Summo Pontifice facultatem dispensandi in omnibus casibus etiam publicis 'quando occurrat vera oratorum paupertas per authenticam ordinariorum attestationem comprobanda'. Igitur major Pœnitentiarius ex hoc usu noviter inducto incepit ex speciali concessione Pontificis habere novam facultatem, quæ non reperitur expressa in Constitutione Benedicti XIV. *'Pastor Bonus'* in qua limites potestatis S. Pœnitentiariæ determinantur.

26. Hisce historice relatis, veniamus ad quæstionem nostram. Quid dicendum de dispensatione concessa in forma pauperum, quando constiterit oratores revera non esse pauperes? Valetne hæc dispensatio?

Præmitto quæstionem nostram non attingere hypothesim fraudis oratorum, qua nempe malitia velint decipere auctoritatem Ecclesiæ. Ista enim in hypothesi subingrederetur dispositio capitis 20. *'Super Literis, De Rescriptis'* in quo principium sequens statuitur 'Mendax precator carere debet penitus impetratis'.

27. Hisce præmissis auctores antiqui, inter quos eminet Reiffenstuel in Appendice ad librum IV. Decretalium § 8. n. 205. et seqq. communiter docent dispensationem in forma pauperum concessam valere quamvis oratores revera pauperes non sint. Ratio præcipua hujus sententiæ hæc est: Valor dispensationis est æstimandus ex causa motiva, non ex causa solummodo impulsiva, scilicet accessoria. Jamvero juxta stylum curiæ paupertas non est proprie causa dispensationis concedendæ. Ad summum vero est causa tantum accessoria et impulsiva, et paupertas est potius solummodo ratio adhibendi specialem formam dispensationis, quæ dicitur *'forma pauperum'*. Quare quæstio est, ut ajunt de forma expeditionis non de substantiæ.

Porro hæc ratio optima est si sermo sit de dispensationibus in forma pauperum concessis a Dataria Apostolica, quia Dataria Apostolica consideratur tamquam organum ordinarium Pontificis, cui a Pontifice absolute demandatum est munus dispensandi pro omnibus fidelibus indiscriminatim, sive divitibus sive pauperibus, ita ut pro utrisque sola differentia sit in forma expeditionis. Hinc Sacra Congregatio Concilii die 9. Septembris anni 1679. declaravit, validam esse dispensationem in forma pauperum concessam, licet cognitum esset, oratores revera pauperes non fuisse.

28. At eadem conclusio dispensationibus pro pauperibus, quæ a S. Pœnitentiaria concedi solent vi facultatum Majori Pœnitentiario tributarum, applicari non posse videtur. Etenim in S. Pœnitentiaria quando agitur de paupertate vera vel non vera, non est quæstio de diversitate formæ expeditionis, sed potius de substantia dispensationis et de facultate dispensandi. Etenim Major Pœnitentiarius non assequitur a Summo Pontifice facultatem dispensandi absolute et pro fidelibus cujuscumque conditionis, sed solum quando occurrat vera paupertas. Igitur non existente paupertate deficere videtur in dispensante facultas dispensandi. Delegatus autem extra mandatum agens, nihil agit.

29. Utique ex adverso dici posset mandatum Pontificis quoad majorem Pœnitentiarium ita esse conceptum ut possit dispensare, quando occurrat vera paupertas, per authenticam ordinariorum attestationem comprobanda, et per consequens videretur alligata facultas dispensandi authenticæ attestationi Ordinariorum, unde Pœnitentiarius Major non videtur esse de veritate paupertatis judex, sed judex est Ordinarius Oratorum, et per consequens Major

Pœnitentiarius legitime utitur potestate sua, quando in Actis Sacri Tribunalis attestatio authentica Ordinarii de Oratorum paupertate existit.

30. Verum praxis S. Pœnitentiariæ aliter explicasse videtur mandatum Pontificis, quod Majori Pœnitentiario conceditur in hypothesi, qua oratores non sint vere pauperes, licet de eorum paupertate fidem fecerit Ordinarius. Nam juxta praxim S. Pœnitentiariæ triplex tempus distingui solet, in ordine ad cognitionem non existentiæ paupertatis, primum quod præcedit ipsam dispensationem, secundum, quod elabitur a dispensatione concessa usque ad executionem ejusdem, quæ executio Ordinariis committitur, tertium, quod discurrere incipit post executionem datam rescripto dispensationis. Si agatur de primo tempore, quoties in S. Pœnitentiaria cognoscatur oratores pauperes non esse, remittuntur ad Datariam Apostolicam, ut in ea negotium dispensationis pertractetur. Si autem oriatur solummodo fundatum dubium de non veritate paupertatis, suspenditur in S. Pœnitentiaria negotium, et simul nova ab Ordinario exposcitur informatio de veritate rei. Si tamen necessitas urgeat contrahendi matrimonium, dispensatio illico conceditur, sed conditio apponitur 'dummodo oratores vere pauperes sint'. Hinc gravatur conscientia Ordinarii, ut antequam edat decretum executionis dispensationis, cognoscat de veritate paupertatis. Si sermo sit de secundo tempore et S. Pœnitentiaria cognoscat oratores non esse vere pauperes, S. Tribunal vel remittit negotium ad Apostolicam Datariam, vel speciales facultates pro illo casu exposcit a Summo Pontifice ad roborandam dispensationem datam.

Tandem si sermo sit de tertio tempore, et cognoscitur oratores pauperes non esse, S. Pœnitentiaria rem deferre solet ad Summum Pontificem, et ex audientia Sanctissimi, si rationes adsint, concedere solet sanationem defectus in remedium conscientiæ.

31. Hac praxi exposita in S. Cong. Concilii d. 28. Junii 1873 propositoque dubio: 'An validæ sint matrimoniales dispensationes pro pauperibus a S. Pœnitentiaria in foro externo concessæ, quando paupertas falso allegata fuerit in casu', responsum est 'Nil esse innovandum'. Si rite hæc responsio accipiatur, habebimus S. Cong. Concilii approbasse stylum Curiæ servatum in S. Pœnitentiaria, stylus autem Curiæ hac intentione seu hoc consilio regitur, ut nempe in casibus particularibus qui proponuntur, aptetur remedium,

et in tuto ponatur validitas dispensationis. Unde dici potest S. Congregationem sese abstinuisse in puncto juris explicite resolvendo.

32. Quidquid vero sit credo nullitatem dispensationum in facta hypothesi restringi ad dispensationes, quas Major Pœnitentiarius concedit ex facultatibus sibi tributis, non autem extendi ad eas, quæ conceduntur ab ipso Pontifice per organum S. Pœnitentiariæ, quia hisce dispensationibus potest aptari ratio a Doctoribus citatis allata.

In mandato dispensationis, quod a S. Sede Apostolica conceditur apponi solet clausula: 'Si preces veritati innitantur'. Quare videndum est, quænam in precibus sint exponenda ab oratoribus.

33. In precibus, quæ afferuntur sive Datariæ Apostolicæ sive Sacræ Pœnitentiariæ ad dispensationem obtinendam 1°. sincere est exponenda series circumstantiarum facti, namque in dispensatione habetur clausula 'Si vera sint exposita' 2°. exponenda est causa, vel exponendæ sunt causæ, quæ rationabilem reddant actum superioris in dispensando. Porro causæ hujusmodi sunt a) Excellentia personarum; b) eximia merita in Ecclesiam; c) spes componendi lites vel avertendi periculum futurarum controversiarum inter familias; d) evitatio vel reparatio scandali; e) angustia locorum vel saltem angustia loci mulieris; f) defectus dotis; g) infamia mulieris; h) ætas mulieris ipsius, quæ excesserit annum vigesimum quartum, idest saltem vigesimum quintum attigerit, quando tamen agitur de puella nubili non autem de vidua pro qua magis attenditur ætas junior. Quatuor postremæ causæ statutæ sunt in favorem mulieris, eo quia posita aliqua ex his causis mulier difficilius inveniret alium virum, qui non esset sibi conjunctus aliquo vinculo impedimenti.

34. Quærunt Doctores quo tempore verificari debeant hujusmodi causæ ut valeat dispensatio, an tempore datæ dispensationis, an sufficiat verificentur causæ tempore executionis. Supponimus in precibus locum non habuisse malam fidem sed circumstantias facti expositas fuisse in bona fide.

Quo posito communissima Doctorum sententia tenet satis esse si causæ verificentur tempore executionis dispensationis. Ratio est quia quando Romanus Pontifex literas Apostolicas concedit, ipse neque expendit veritatem causarum, neque revera concedit dispensationem, sed constituit executorem tamquam judicem, qui

videat utrum causæ veræ sint, et posita veritate causarum ipse dispensat, nempe dat mandatum ad dispensandum.

Præstat afferre verba Pyrri Corradi, qui in materia disputationum vere est magister. Hic in cit. opere *'Praxis dispens.' lib. 7. cap. 6. n. 25.* alludens ad regulam practicam ita scribit: 'Et sufficit, ut alias diximus, causam ipsam verificari tempore executionis literarum, licet tempore impetrationis illarum non esset vera.'

Et ita practicatur: nam quamvis Abbas in cap. *'Quia circa' De consang. et aff.* dicat causam debere verificari tempore datæ, loquitur tamen de dispensatione jam facta, prout antiquitus fiebat, cum hujusmodi dispensationes concederentur in forma gratiosa, et sic erat gratia facta, non autem his temporibus, quibus non dantur amplius sub dicta forma, sed datur tantummodo mandatum de dispensando.

35. Quæritur utrum si duplex vel plures causæ sint expositæ, et quidem omnes in bona fide, et non omnes tamen veræ sint, utrum in hoc casu valeat dispensatio.

Respondemus: Duplex hypothesis fingi potest: 1°. Si singulæ causæ expositæ ex se non sint sufficientes, sed tamen earum complexus talis sit, ut rationabilem reddat dispensationem et sufficiat ad movendum animum dispensantis; in hypothesi ista si una ex allegatis causis deficiat dispensatio non valet, nam quando uti singulæ non valent causæ attenditur complexus, qui ex pluribus resultat, juxta principium juris 'Singula, quæ non prosunt simul collecta juvant'. Atqui quando agitur de aliquo composito si unum ex elementis deficiat, totum non subsistit. Ergo a pari in casu nostro non verificatur motivum sufficiens dispensationis. Ita de Justis, *De dispens. l. 3. c. 1. n. 64.*

36. 2ª hypothesis est si ex allegatis causis saltem una sit canonica et sufficiens, ac insuper veritate nitatur, error autem cadat super reliquas causas. In hac hypothesi dispensatio sustinetur, quia verificatur causa motiva ad dispensandum. Unde propositio copulativa (ut notat Sanchez) referens varias causas resolvitur in propositionem disjunctivam, et sic dispensatio valet.

37. In ordine ad sinceram expositionem circumstantiarum facti debet attendi stylus Curiæ, videlicet omnia debent exponi, quæ juxta hunc stylum requiruntur pro valore dispensationum. Hinc 1°. si plura adsint impedimenta inter nupturientes omnia debent exprimi in eodem supplici libello, scilicet non potest dispensatio

peti singillatim pro singulis impedimentis. Ratio est quia quando inter duos plura adsunt impedimenta, majus vinculum propinquitatis intercedit inter eosdem et per consequens major est difficultas obtinendæ dispensationis. Hinc si unum tantum exponeretur impedimentum superior dispensans non cognosceret verum statum rerum.

38. Et quidem hac in re adeo sunt rigidi Doctores, ut dispensationem a nullitate non liberent, licet aliud impedimentum reticitum fuerit ab oratoribus ex ignorantia.

39. Ex dictis enasci potest quæstio. Duo oratores ligantur duplici impedimento. Unum est circa quod dispensare potest Episcopus virtute indulti Apostolici, aliud autem reservatur Sanctæ Sedi. Petita et obtenta est a Sancta Sede dispensatio circa impedimentum reservatum. Deinde cognitum est aliud impedimentum non reservatum. Poteritne Episcopus uti indulto Apostolico, ad dispensandum circa hoc alterum impedimentum, aut exposcenda est revalidatio dispensationis Apostolicæ etiam circa primum? Respondemus, Episcopum non posse dispensationem in casu concedere sed rem iterum integre Summo Pontifici referendam esse. Et ratio est quia dispensatio prius concessa ab Apostolica Sede nulla fuit, eo quod Summus Pontifex alterum impedimentum ignoravit.

40. Quæritur quid si ex duobus impedimentis unum publicum sit, alterum vero sit occultum, ita ut absque periculo infamiæ non possit manifestari?

Respondemus: Praxis hæc inducta est, ut nempe expostuletur in forma publica dispensatio quoad impedimentum publicum, et deinde postuletur a S. Pœnitentiaria dispensatio quoad impedimentum occultum, reticitis omnino nominibus oratorum. Attamen in precibus Sacræ Pœnitentiariæ hæc circumstantia debet notari, quod nempe oratores ligati alio impedimento publico de illo obtinuerint dispensationem in forma publica.

41. 2°. Si incestuosa copula inter oratores locum habuerit, ad facilius impetrandam dispensationem, hæc circumstantia antiquitus erat exponenda. Nam in Rescriptis Apostolicis hæc clausula apponi solebat 'dummodo incestus non intervenerit ad facilius obtinendam dispensationem'. Quin immo juxta Constitutionem Benedicti XIV. *'Pastor Bonus' § 41.* factum incestuosæ copulæ habitæ inter ora-

tores erat exponendum sub pœna nullitatis dispensationis, licet oratores non habuissent intentionem facilius obtinendi dispensationem prædictam.

Verum hoc immutatum fuit per decretum datum ex Cancellaria S. Officii die 25. Junii 1885, quo statutum fuit et declaratum 'dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa, vel consilium et intentio, per eam facilius dispensationem impetrandi, reticita fuerint, validas futuras: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus'.

42. 3°. Si matrimonium nulliter contractum fuerit et expostuletur dispensatio, debebit in precibus exponi matrimonium fuisse contractum et utrum contractum fuerit in bona fide et præmissis vel dispensatis publicationibus, et utrum consummatum fuerit, et an consummatum fuerit ad facilius obtinendam dispensationem.

43. 4°. Si oratores duplici impedimento vel consanguinitatis vel affinitatis ligentur ob distinctum stipitem, hæc circumstantia exponi debet. Ita ex. gr. si matrimonium fuerit contractum a duobus fratribus, cum duabus sororibus, filii qui nascuntur, ex duplici capite sunt consanguinei paterno et materno, et per consequens in precibus debet exponi duplex origo.

44. 5°. Si oratores procedant quidem ab uno eodemque stipite, tamen non sint in gradu æquales, hæc circumstantia exponi debet quando unus ex contrahentibus conjungatur cum stipite in primo gradu. Hinc si duo oratores sint in primo et secundo, vel in primo et tertio gradu, vel in primo et quarto, uterque gradus est exprimendus sub pœna nullitatis. Ita ex Const. S. Pii V. *'Sanctissimus'* diei 26. Aug. 1566.

45. Quin immo in praxi introductum est ut in genere quoties oratores constituuntur in gradibus inæqualibus, semper manifestetur nedum remotior sed et proximior gradus. Licet enim dispensatio directe cadat super remotiorem gradum eo quia juxta regulam canonicam remotior gradus propinquitatis attenditur, tamen in dispensationibus solet apponi hæc clausula 'proximiore non obstante'. Hinc juxta pragmaticos si judex delegatus agnoscat oratores esse adstrictos duplici et inæquali gradu consanguinitatis, simulque videat in dispensatione non reperiri clausulam 'proximiore non obstante', debet sese abstinere ab exequenda dispensatione.

De executione Literarum Apostolicarum dispensationum matrimonialium.

46. Quamvis Romanus Pontifex possit dispensationes connubiales concedere in forma gratiosa, idest quamvis possit per se ipsum dispensationem concedere, tamen usus ordinarius invaluit, ut potius in singulis casibus tribueret alteri facultatem ad dispensationem concedendam. Quare in praxi ordinaria tum Datariæ Apostolicæ tum Sacræ Pœnitentiariæ in dispensationibus pro utroque foro observatur forma commissoria, idest conceditur mandatum ad dispensandum.

47. Porro Concilium Tridentinum *Sess. 22. De Reform. Matrim. c. 5.* decernit ut 'Dispensationes quacumque auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur ordinariis illorum qui eas impetraverint'.

48. Huic normæ adhærens Sancta Sedes Literas dispensationum exequendas committit Ordinariis locorum. Et quidem juxta praxim regularem delegatio non fit personæ nominatim, sed fit dignitati et officio. Hinc in delegatione directe venit dignitas aut officium, persona autem venit solummodo indirecte; et per consequens, cessante persona, successor in dignitate vel officio potest Literas dispensationis executioni mandare. *Cap. 'Quoniam' Abbas 'De Officio Delegati'.* Hoc idem probat Giovine *'De dispensationibus Const. V. § 94.* per totum.

49. Solet vero committi executio Literarum dispensationis aliquando proprio oratorum ordinario. Aliquando vero commissio fit Episcopo, aliquando vero Vicario Generali, vel Officiali. Porro quando commissio conceditur Ordinario, executio Literarum perfici potest sive ab Episcopo, sive ab ejus Vicario Generali, seu ab Officiali; quando autem commissio fit Episcopo, aut Vicario Generali seu Officiali, solus Episcopus, aut solus Vicarius Generalis aut Officialis possunt Literas dispensationis executioni mandare. Hinc Episcopus non potest exequi Literas dispensationis Vicario suo seu Officiali directas. Ratio est, quia jurisdictio censetur concessa personæ, quæ ab officio determinatur. Unde si aliter fieret ob defectum jurisdictionis fulminatio dispensationis esset nulla.

Qua in re juxta mentem Sacræ Pœnitentiariæ in variis resolutionibus expressam, sequentes normæ præ oculis haberi possunt.

50. I°. Vicarius Capitularis, sede vacante, executioni mandare nequit Literas dispensationis a Dataria Apostolica vel a Sacra Pœni-

tentiaria Episcopo ante vel post ejus mortem, vel ejus Vicario Generali seu Officiali commissæ. Vicarius enim Capitularis non succedit in jurisdictionem specialiter delegatam personæ Episcopi, nec pariter Vicarius Capitularis in officio censeri potest ceu successor Vicarii Generalis demortui Episcopi.

51. II°. Juxta antiquam praxim, sede vacante, Sancta Sedes numquam Vicario Capitulari, sed Episcopo viciniori committebat executionem Literarum dispensationis, teste Pyrrho Corrado *'Praxis etc. lib. 7. c. 4. n. 11'*. At postremis temporibus nova praxis inducta est, qua fit ut Dataria de morte Episcopi edocta, dispensationum executionem Vicario Capitulari committat.

52. III°. Vicarius Capitularis potest exequi Literas dispensationis commissæ sub formula 'proprio oratorum Ordinario.' Quin immo potest exequi etiam Literas sub prædicta formula concessas, quæ expeditæ fuerunt ante mortem Episcopi et ab eodem vel ab ejus Vicario Generali executioni demandatæ non fuerant. Et ratio est quia Vicarius Capitularis est verus Ordinarius in Diœcesi.

53. IV°. Delegatus licet ex certa notitia cognoverit sibi a Summo Pontifice commissam esse executionem alicujus dispensationis, tamen sub pœna nullitatis actorum nequit dispensationem fulminare, nisi antea sibi fuerint exhibitæ hæ Literæ Apostolicæ delegationem continentes.

54. V°. Delegatus Apostolicus potest quidem alteri subdelegare facultatem complendi actus ordinarios executionis, non vero potest alteri subdelegare ipsam executionem, nisi forte speciatim data fuerit delegato eadem subdelegandi facultas. In delegatione enim facta ad Literas dispensationis executioni mandandas censetur commissum fuisse nudum ministerium, circa quod præsumitur, electam fuisse industriam illius personæ, quæ dignitate aliqua particulari vel officio peculiari potitur. Unde negotium executionis ab ipsa delegata persona compleri debet.

55. VI. Delegatus executor debet mandato delegationis fideliter inhærere, nec fulminare dispensationem potest, nisi antea omnia compleverit, quæ in clausulis delegationis exprimuntur.

56. VII°. Delegatus executor in præscriptione eidem in Literis Apostolicis facta gratis omnino operam suam præstare tenetur, et quidem sub pœna excommunicationis majoris Summo Pontifici reservatæ, nec non nullitatis executionis Literarum dispensationis, si aliquod munus, vel præmium etiam sponte oblatum receperit.

Notarius vero seu Cancellarius moderatam taxam pro suo labore et opere in actis conficiendis exigere potest.

57. Quo posito, mense Augusto anni 1870 Episcopus Granatensis Sacræ Congregationi Concilii exponebat, in Hispania consuetudinem invaluisse ut Officiales seu Vicarii Generales in exequendis Literis Apostolicis dispensationis quædam munera vel stipendia non solum accipere sed etiam exigere solerent. Sacra Congregatio quæstionem in proposita materia expendit die 22. Junii anni 1871, sed eam resolvere noluit.

Verum anno 1880 vertente, Episcopus Mindoniensis eamdem excitavit quæstionem sequentia dubia proponens.

1°. 'Potestne Episcopus aliquid muneris exigere in dispensationibus matrimonialibus eidem directe a Sacra Pœnitentiaria commissis, ratione informationum cæterorumque actuum executioni earumdem præcedentium?

2°. 'Potest aliquid ob eamdem rationem muneris exigere in prædictis dispensationibus Cancellarius, vel secretarius Episcopalis?

3°. 'Potest Vicarius Generalis munera percipere in unaquaque Diœcesi consueta, eo quod careat salario eidem ratione sui officii assignato, quin pœnas canonicas in Brevibus dispensationum eidem commissarum contentas incurrat, et quin ipsæ dispensationes anullentur?'

4°. Possunt aliquid ob eamdem rationem muneris exigere in prædictis dispensationibus Notarii Curiæ Ecclesiasticæ juxta consuetudinem in unaquaque Diœcesi stabilitam?'

Sacra Congregatio, postquam ex informationibus requisitis consuetudinem in themate de taxis exigendis esse universalem et immemorialem deprehendisset, licet non in omnibus Curiis Vicarius Generalis de prædictis taxis participet die 28. Januarii 1882, ut propositis quæstionibus satisfaceret, sibi resolvenda duo dubia proposuit videlicet

1m 'An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu?'

Et quatenus negative

2m An et quomodo consulendum in casu?'

Responsio prodiit:

'Ad primum quoad executores negative in omnibus.'

'Ad 2m consulendum Sanctissimo pro sanatione in radice dispensationum et matrimoniorum, quæ nullitatis vitio laborant, et pro absolutione ad cautelam, et condonatione quoad executores.'

Quare Sacra Congregatio tenuit executionem dispensationum gratuitam prorsus esse debere ex parte executoris delegati, et quidem sub pœna excommunicationis et nullitatis executionis, nec robur habere contrariam consuetudinem etiam privilegiatam.

Adhibuit vero S. Congregatio phrasim 'absolutione ad cautelam' eo quia executores in Hispania ob usum fere communem sibi favorabilem poterant excusari a censuris ex bona fide in qua fortasse versabantur.

De sanatione in radice.

58. Sanatio in radice nihil aliud est quam abrogatio legis irritantis matrimonium in casu speciali quoad matrimonium contractum, ita ut simul tollantur effectus, qui ex illa lege irritante secuti sunt. Videlicet Ecclesia hic et nunc dispensat super aliquod impedimentum dirimens matrimonium, et simul tollit effectus, qui ex illo impedimento secuti sunt.

59. In hoc autem sanatio in radice distinguitur ab aliis dispensationibus in forma communi concessis, ut nempe dispensationes in forma communi a momento quo applicantur incipiant vires suas exercere, et per consequens respiciant futurum, sanatio autem in radice retrotrahitur ad momentum celebrati contractus matrimonii. Quamvis lex retro non respiciat, tamen potest legislator declarare et habere uti legitimos actus illos et effectus qui fuerunt illegitimi eo quod adversarentur legi irritanti.

60. Exemplum Doctores desumunt ex facto Clementis V., qui recognovit uti legitimas collationes beneficiorum, quæ ex lege Bonif. VIII. fuerant illegitimæ et nullæ, simulque sanavit defectus illegitimæ possessionis præcedentis. *Cf. Clem. 'Quoniam' 'De Immunitate'.* Quapropter conceptus sanationis in radice in eo consistit ut Ecclesia dispensando ab impedimento dirimente recognoscat uti legitimum consensum conjugalem a contrahentibus nulliter exhibitum, ob impedimentum quod obstabat. Quare formula quæ adhiberi solet hæc est 'Ecclesia dispensando sanat in radice'.

61. Exempla sanationis in radice antiquis temporibus rarissima erant. Historia tamen refert a Bonifacio VIII. fuisse concessam sanationem in radice. Frequentiores autem cœperunt esse sanationes in radice sub fine sæculi elapsi et nostris temporibus, ob mutatas temporum circumstantias. Notandum est per sanationem in radice legitimos reddi actus ex matrimonio nulliter con-

tracto derivantes, qui tamen subsunt potestati Ecclesiæ. Hinc Ecclesia sanare nequit effectus ab ea independentes quique descendunt essentialiter ex matrimonio nullo. Hinc si prætensi contrahentes mala fide matrimonium consummaverint, per sanationem in radice non censetur sublata culpa.

62. Requisita ut sanatio concedatur hæc sunt. 1°. Ut impedimentum sit juris Ecclesiastici, super quo Ecclesia possit et soleat dispensare. 2°. Ut unio inter virum et mulierem habeat figuram matrimonii, id est, requiritur ut revera contractum fuerit matrimonium licet nulliter ob impedimentum obstans. Nam sanatio in radice eo dirigitur ut consensum maritalem illegitime positum reddat legitimum. Si ergo desit consensus in forma matrimonii positus, deest radix circa quam sanatio facienda est. Quare unio concubinatus non potest in radicem sanari. *Cf. Ben. XIV. Quæst. Can. 174. Pyrrhus Corr. L. 8. c. 3. De Disp. Mat. n. 53. Giovine, De Dispen. Tom. 1. p. 3. consult. 23. § 324. n. 8.* 3°. Requiritur ut consensus primitus positus in forma matrimoniali non fuerit revocatus, sed necesse est ut saltem virtualiter perseveret. Si enim consensus hic fuerit revocatus, licet inter virum et mulierem removeatur impedimentum obstans, tamen non potest consistere matrimonium ob defectum consensus. 4°. Requiritur causa gravis, immo juxta Ben. XIV. quando agitur de sanatione quoad forum externum requiritur causa urgens.

63. Concedi solet dispensatio seu sanatio in radice quando unus ex contrahentibus cognoscat impedimentum et velit consulere conscientiæ suæ ad vitandum statum peccati, prævidet autem alterum prætensum conjugem non esse renovaturum consensum si dispensatio obtineatur in forma communi ad revalidandum matrimonium.

Hinc ad evitanda scandala, et ad evitandam reparationem expostulatur sanatio in radice, qua consensus primitus positus et virtualiter adhuc perseverans legitimus ab ecclesia redditur. Hæc postulatio regulariter a Confessario proponitur Sacræ Pœnitentiariæ.

64. Sanatio in radice licet plerumque expostuletur pro impedimentis occultis, et in remedium conscientiæ putatorum conjugum; tamen expostulari etiam potest pro impedimentis publicis, nec non quoties dispensatio concessa vel ejus executio vitio aliquo substantiali laboraverit.

Et quidem hoc in casu potest expostulari sanatio in radice ex officio vel a Curia Episcopali, vel a Parocho proprio. Nec officit ignorantia putatorum conjugum. Nam Ecclesia auctoritate propria independenter a contrahentibus potest optime auferre impedimentum, quod obstat valori alicujus matrimonii.

65. Quando impedimentum obstans valori matrimonii est natura sua occultum, ita ut in foro externo nullimode probari possit, tunc conceditur sanatio in radice pro solo foro interno; quando autem impedimentum est de sui natura publicum vel vitium in dispensatione detegi possit, tunc sanatio conceditur pro utroque foro, et memoria in forma authentica concessionis facta, asservatur vel in Curia Episcopali Diœcesana, vel in actis propriæ Parœciæ ut difficultatibus quæ forte in futurum occurrere possint, solutio præbeatur.

66. Ad sanationem in radice quoad impedimentum publicum frequentiores casus petitionis et concessionis respiciunt sanationem matrimonii nulliter contracti ob impedimentum clandestinitatis. Videlicet sanatur in radice consensus conjugalis præstitus in forma civili, quando tamen causa gravis verificetur, et non possit obtineri renovatio consensus antea præstiti ab altero conjuge coram Ecclesia, et interea prætensi conjuges maritale commercium inter sese exercuerunt.

67. Tandem sanatio in radice potest expostulari et obtineri etiam demortuis præsumptis conjugibus, vel defuncto tantum alterutro ex eis, ad legitimationem prolis ex illo putato matrimonio enatæ obtinendam. Idest ipsi filii poterunt expostulare ab auctoritate ecclesiastica sanationem in radice matrimonii quod parentes ipsorum contraxerant, ut obtineant effectus legitimitatis. Hæc vero sanatio conceditur tantum, quando filii ipsi geniti fuerint ex unione parentum suorum, quæ unio habebat coram hominibus figuram matrimonii.

Index rerum.

Titulus I.

De Sponsalibus et Matrimonio.

pag. 5—55.

1. Matrimonii elevatio ad sacramentum novæ legis.

De Sponsalibus.

2. Definitio.
3. Fictus consensus non sufficit.
4. Species cap. 26. h. t.
5. Neque velleitas, desiderium, propositum.
6. Libertas requisita, 1°. pro cognitione habenda.
7. 2°. pro immunitate a vi.
8. Quid de metu?
9. Actus invalidi et irritabiles.
10. Præfertur sententia affirmans validitatem sponsalium initorum sub metu.
11. Mutua promissio.
12. Quid si una pars tantum promittat et altera acceptet quin repromittat?
13. Signum sensibile.
14. Non sufficit taciturnitas.
15. Nulla solemnitas requiritur.
16. Neque ab alio quam a Summo Pontifice, præscribi potest.
17. In dubio de valore sponsalium, in foro interno nulla est obligatio.
18. Item in foro externo.
19. Sed si contra negantem militent gravia judicia, cogi poterit ad juramentum purgatorium.
20. Si tamen signa fuerint clara, non admittitur et stat valor sponsalium.
21. Copula per se non est signum sufficiens sponsalium.
22. Sponsalia oportet sint inter personas de jure habiles, saltem habitualiter.
23. Contrahi possunt et per procuratorem ex speciali mandato.
24. Si parentes contrahant pro filiis, sufficit consensus tacitus, si fuerint præsentes.
25. Si absentes, requiritur ratihabitio saltem tacita.
26. Sponsalia contrahi possunt tum absolute, tum conditionate.
27. Arrhæ in sponsalibus permittuntur.
28. Pœnæ, jure romano sunt prohibitæ.
29. Verius et jure canonico.
30. Proponitur difficultus patronorum adversæ sententiæ.
31. Resolvitur.
32. Tamen valent pœnæ adjectæ ab extraneis.

De effectibus Sponsalium.

33. Præter impedimentum publicæ honestatis, important obligationem contrahendi.
34. Etsi jure civili romano liceat recedere.

35. Et jure italico, computatis expensis, infra annum petitis.
36. Quando obligent sponsalia conditionata, vel habentia tempus adjectum.
37. Quando obligent cum simpliciter contracta sunt.
38. An renuens illegitime, possit compelli?
39. Conciliationes non admittendæ inter cap. X. et cap. XVII. h. t.
40. Caput X. continent regulam, et cap. XVII. exceptionem.
41. Examinatur cap. X.
42. Media coactiva quæ?

De Dissolutione Sponsalium.

43. I°. Mutuo consensu.
44. Etsi firmata juramento.
45. Non tamen impuberes.
46. II°. Per ingressum in religionem, aut promotionem ad sacros ordines.
47. Non tamen merus ingressus in religionem liberat ingredientem, sed tantum alteram partem.
48. Idem est in susceptione ordinum minorum.
49. III°. Per subsequens matrimonium, etsi tantum ratum.
50. Sed soluto matrimonio, reviviscit obligatio ex parte ejus qui contra fidem nupserat.
51. VI. Per discessum sponsi.
52. Eamdem vim habet nimia dilatio.
53. Tempus præfiniri potest ad finiendam obligationem vel ad eam tantum differendam.
54. V°. Ob fornicationem, et I. subsequentem sponsalia.
55. Sed dissolutio fit favore partis innocentis tantum.
56. 2°. Si præcedat et fuerit cognita, censetur remissa et non solvit.
57. Si ignorata nocet certo mulieri.
58. Probabilius non nocet viro.
59. Cap. XXV. de Jurej. loquitur de fornicatione præcedenti.
60. VI°. Causa dissolutionis sponsalium est notabilis mutatio.
61. 1°. Animi.
62. 2°. Corporis.
63. 3°. Fortunæ.
64. Mutatio notabilis sunt etiam graves inimicitiæ.
65. VII°. Causa est impedimentum superveniens.
66. Sed si sit ex culpa unius, tenetur hic procurare dispensationem.
67. De probatione causæ dissolutionis.
Si procedat ex impedimento canonico etiam impediente, sufficit semiplena probatio.
68. Si faveat uni tantum parti, requiritur plena.
69. Si causa sit certa, regulariter non requiritur sententia judicis, secus si dubia.
70. Sed aliquando requiritur sententia judicis, per accidens.

De Matrimonio.

71. Definitio ut contractus.
72. Ut sacramentum.
73. Explicatur definitio.
74. Divisiones matrimonii. 1°. In legitimum, ratum, consummatum.
75. 2°. Publicum, conscientiæ et morganaticum.
76. 3°. Verum, putativum et præsumptum.
77. De præsumpto speciatim.
78. Admittit tantum probationem contrariam indirectam.
79. Instructio S. C. de Propaganda fide.
80. Quæstiones speciales de mutuo consensu.
Necessitas veri consensus interioris.
81. Oportet consensus sit personalis.
82. Consensus parentum non est necessarius pro validitate matrimonii filiorum familias.
83. Contraria petitio regis Franciæ, non admissa a Conc. Trid.

84. Tamen matrimonium contrahi potest per procuratorem.
85. Dummodo 1°. habeat speciale mandatum et quidem in ordine ad determinatam personam.
86. 2°. Mandatum exequatur per seipsum, nisi habeat facultatem subdelegandi.
87. 3°. Non fuerit retractatum.
88. 4°. Neque præmoriatur mandans.
89. Proponitur quæstio an inter fideles haberi possit verum matrimonium quin sit sacramentum.
90. In abstracto ratio contractus et sacramenti distinguitur.
91. Nonnulli putaverunt et in concreto.
92. Sed omnino erronee.
93. Ratio loquendi ss. canonum.
94. Matrimonium quod a ss. canonibus dicitur ratum, est sacramentum.
95. Matrimonia clandestina erant merito reprobata ut illicita.
96. Literæ Pii PP. IX. 9. Sept. 1852, quibus declaratur inseparabilitas contractus matrimonialis et sacramenti inter baptizatos.
97. Hinc ministri sacramenti matrimonii sunt ipsi contrahentes.
98. Ex identitate contractus matrimonialis et sacramenti sequitur Ecclesiam exclusive de vinculo matrimonii legem dicere.

De potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus.

99. Doctrina Conc. Tridentini.
100. Jansenistarum et regalistarum effugia.
101. Pseudosynodus pistoriensis et damnatio ejusdem facta a Pio VI.
102. Doctrina Pii PP. IX.

De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta præsertim matrimonium dirimentia.

103. 1°. Sequitur ex matrimonii elevatione.
104. 2°. Probatur facto perenni Ecclesiæ.
105. Agendi ratio Conc. Tridentini.
106. Bulla Auctorem fidei, Pii VI.

De potestate principum in matrimonium.

107. Nihil possunt quoad substantiam et quoad effectus inseparabiles.
108. Sed valet princeps præscribere conditiones quasdam pro effectibus separabilibus.
109. Cuinam in Ecclesia competat potestas constituendi impedimenta dirimentia?
Antiquitus et Conciliis particularibus.
110. Nunc est causa major.
111. Neque consuetudo particularis procedere potest.
112. Quis valeat statuere impedimenta impedientia.
Olim et Episcopi.
113. Nunc est pariter causa major, si per modum legis inducantur.
114. Sed Episcopi valent in casibus particularibus.
115. Immo et Parochi valent ad tempus differre matrimonii celebrationem.
116. Quinam subjiciantur impedimentis matrimonialibus.
Omnes homines subjiciuntur impedimentis juris divini.
117. Hinc 1°. impedimento erroris, circa personam.
118. 2°. Impedimento impotentiæ antecedentis et perpetuæ.
119. 3°. Consanguinitatis saltem in primo gradu lineæ rectæ.
120. 4°. Ligaminis.
121. 5°. Ætatis.
122. Infideles non subduntur impedimentis mere ecclesiasticis.
123. Quoad hæreticos, et schismaticos, tenentur impedimentis quæ vigebant cum ab Ecclesia separati sunt.
124. Hinc Ecclesia dispensat cum heterodoxis redeuntibus ad unitatem.

125. Filii autem ob præsumptam bonam fidem saltem alterutrius ex parentibus, habentur ut legitimi.

De impedimentis impedientibus.

126. I. Ecclesiæ vetitum.
127. Summus Pontifex valet illud reddere impedimentum dirimens; sed non præsumitur.
128. II. Tempus feriatum; prohibentur tantum solemnitates et benedictiones nuptiarum.
129. III. Sponsalia valida nec resoluta.
130. IV. Votum simplex castitatis perpetuæ, vel ingrediendi religionem vel suscipiendi ordines sacros.
131. V. Clandestinitas, ubi Decretum Concilii Tridentini non est promulgatum.
132. VI. Omissio trium denunciationum.
133. VII. Cultus disparitas inter partem catholicam et heterodoxam.

De impedimentis dirimentibus.

134. Enumerantur.

1°. De impedimento erroris.

135. Error in personam, dirimit.
136. Error circa qualitates non dirimit.
137. Nisi 1°. sit circa conditionem servilem.
138. Nisi 2°. refundatur in personam.
139. Vel 3°. qualitas fuerit considerata actu aut virtualiter ut conditio sine qua non.
140. Vel 4°. ut finis unicus.

2°. De impedimento vis et metus.

141. Vis cadit in actum imperatum, et dirimit jure naturæ.
142. Metus gravis ab extrinseco, injustus, directe incussus ad extorquendum consensum, dirimit jure positivo.
143. I. Gravis. In gravitate ponderanda, attendenda qualitas personarum.
144. Hinc et metus reverentialis esse potest aliquando gravis.
145. Gravitas metus ponderanda, prudentia judicis.
146. II. Explicatur quando metus sit ab extrinseco.
147. III. Quando injustus.
148. IV. Quando directe incussus.
149. Hoc impedimentum cum proprie sit juris positivi, est odiosum utpote lex irritans.
150. Metus purgari potest; ante Tridentinum longa spontanea cohabitatione vel libera copula præsumebatur purgatum.
151. Idem jus est post Tridentinum, si metus impedimentum sit occultum.
152. Si publicum, renovandum matrimonium in facie Ecclesiæ.

3°. De impedimento raptus.

153. Jure Decretalium confunditur cum impedimento vis et metus.
154. Ex Tridentino est speciale impedimentum.
155. Ejus definitio.
156. Oportet mulier rapiatur matrimonii ineundi causa.
157. Raptus seductionis.
158. Est impedimentum cum mulier seducitur ut abducatur et ponatur sub potestate viri.
159. Quid si mulier volens rapiatur?
160. Aut ex nolente fiat volens blanditiis?
161. Nonnulli putaverunt in his casibus adhuc dari impedimentum; sed melius negandum; in primo casu injuria infertur iis sub quorum potestate est mulier, non autem ipsi libertati mulieris.
162. In utroque casu aderit crimen raptus, sed non impedimentum.
163. Lex romana male invocatur, cum correcta sit ab Innocentio III.
164. Hinc male citantur Doctores et canones Innocentio III. antiquiores.
165. Et quædam sententiæ S. C. C. correctæ sunt per subsequentes.

166. An raptus viri sit impedimentum? Quidam affirmarunt.
167. Sed negandum.
168. Dissolvuntur contraria argumenta.

4°. De impedimento disparitatis cultus.

169. Disparitas perfecta seu proprie dicta, idest inter personam non baptizatam et baptizatam, est impedimentum dirimens.
170. Disparitas imperfecta, seu inter personam catholicam et acatholicam est tantum impedimentum impediens.
171. Disparitas perfecta dirimit matrimonium jure ecclesiastico.
172. Nequit in re disciplinari argui concludenter a veteri ad N. Testamentum.
173. S. Paulus ponit tantum prohibitionem conjunctionis inter fidelem et infidelem, et quidem regulariter loquendo.
174. Item antiqui canones.
175. Hinc impedimentum dirimens ortum habuit a jure consuetudinario.
176. An obtineat ubi primo fides prædicatur et Ecclesiæ constituuntur?
177. Et an obliget hæreticos ibi degentes?
178. Benedictus XIV. statuit obligare omnes.
179. Et unus Papa dispensat.

De matrimoniis mixtis.

180. Imperfecta disparitas, saltem nunc, est tantum impedimentum impediens.
181. Dispensat unus Papa.
182. Conditiones olim requisitæ.
183. Conditiones nunc requisitæ de jure.
184. Quænam remitti valeant, ad majora præcavenda mala.
185. Semper pro matrimonio mixto permittendo, requiritur gravis causa.
186. De jure parochus præstat assistentiam mere passivam.

Titulus II.

De desponsatione impuberum.

pag. 55—59.

1. Quinam impuberes.

De Sponsalibus impuberum.

2. Ad sponsalia contrahenda sufficit usus rationis, qui non præsumitur ante septennium.
3. Sponsalia inita a parentibus pro filiis infantibus, indigent ipsorum ratihabitione cum ad annos discretionis pervenerint.
4. Si prudentia suppleat ætatem valent sponsalia ante septennium.
5. Sponsalia impuberum ante pubertatem nequeunt dissolvi.
6. Sed ab eo qui fit pubes, statim recedi potest.
7. Sed si pubes contrahat cum impubere, hic tantum adepta pubertate recedere valet.
8. Si neuter adepta pubertate statim reclamet, sponsalia fiunt perpetua.

De matrimoniis impuberum.

9. Requiritur pro validitate matrimonii, regulariter ætas 14 annorum completorum in viris, et 12 in mulieribus.
10. Nisi malitia suppleat ætatem.
11. Quo jure dirimat hoc impedimentum. Si non adsit usus rationis dirimit jure naturæ.
12. Secus ex jure positivo.
13. Hinc distinguitur ab impedimento impotentiæ antecedentis perpetuæ, et Papa in eo dispensat.
14. Matrimonium nullum impuberum habet valorem sponsalium.
15. Nisi expresse obstet contrahentium voluntas.
16. Matrimonium impuberum, nullum, est renovandum in facie Ecclesiæ.

Titulus III.

De clandestina desponsatione.

pag. 59—85.

1. Triplex clandestinitas.

I. De Denunciationibus.

2. Investigatio præmittenda a Parocho.
3. Denunciationes generaliter præscriptæ a Lateranensi IV.
4. Decretum Tridentini.
5. Episcopus valet dispensare.
6. Denunciationes faciendæ a parocho utriusque nupturientis.
7. Et quidem a parocho actuali, si a longo tempore ibi morentur.
8. Secus ab antiquo parocho.
9. Denunciationes faciendæ tribus diebus continuis, festis de præcepto, vel etiam suppressis, dummodo adsit concursus populi, ex Episcopi concessione.
10. Item in vesperis, ex Episcopi concessione.
11. Dispensat non modo Episcopus, sed et Prælatus Nullius, et Vicarius Capitularis ac Generalis, ac Legatus Papæ.
12. Si nupturientes sint diversæ diœcesis, utriusque episcopus dispensare debet.
13. Sed dispensatio concedenda ex justa causa.
14. Plures causæ demonstrative efferuntur.
15. Omnes fideles tenentur manifestare impedimenta.
16. Neque obstat cap. 3. h. t.
17. Excusat tamen grave incommodum.
18. Omissio denunciationum est impedimentum mere impediens.
19. Et si matrimonium contrahatur omissis denunciationibus, absque dispensatione, faciendæ sunt ante ejus consummationem.
20. Pœnæ in parochum omittentem denunciationes.
21. Pœnæ in testes matrimonii.
22. Pœnæ in contrahentes.

De Matrimonio conscientiæ.

23. In quo consistat.
24. Necessaria auctoritas episcopi.
25. Secreta præmittenda inquisitio.
26. Matrimonium describendum in libro speciali, clauso, apud Curiam.
27. Proles denuncianda intra 30 dies.
28. Et adnotatur in libro speciali apud Curiam.
29. Si ex conversatione conjugum oriatur scandalum, primo monendi.
30. Deinde publicatur matrimonium.

II. De forma substantiali contractus matrimonialis.

31. Ante Tridentinum aderant matrimonia publica, clandestina et præsumpta.
32. Tamen clandestina erant illicita.
33. Sed suscipiebantur ut valida, ex utriusque confessione.
34. Ex iisdem multa mala.
35. Quidam Theologi putabant ab Ecclesia non posse irritari.
36. Sed immerito, cum secus nulla valerent lege ecclesiastica opponi impedimenta dirimentia.
37. Hinc Tridentinum tulit legem irritantem.
38. Et proinde ubi hoc Tridentinum decretum viget, cessarunt matrimonia præsumpta.
39. Hoc decretum utpote latum ex præsumptione periculi generalis, non admittit epikejam.
40. Sed Concilium præscripsit specialem promulgationem in singulis parochiis.
41. Qua omissa, etiam culpabiliter, non obligat.
42. Secuta promulgatio constat 1°. ex positivis documentis; 2°. observantia.
43. Sed facienda est nomine ipsius Concilii.

44. Hinc non valet, nomine Concilii provincialis.
45. Quia Concilium provinciale nequit nomine proprio condere impedimenta dirimentia.
46. Papa tamen valet aliter statuere.
47. Tamen et ubi publicatum hoc Decretum Tridentinum, ex impossibilitate communi celebrandi coram parocho, valet matrimonium coram testibus.
48. Sed non valet si impotentia adeundi parochum sit personalis.
49. De matrimonio civili.

De se nullum habet valorem.

50. Tamen ab Ecclesia recognosci posset.
51. Difficultates quæ huic recognitioni obstant.
52. Tamen toleratur ut cæremonia mere civilis.
53. Sed expedit præmittere celebrationem coram Ecclesia.
54. Etiam toleratur catholicum fungi munere officialis civilis in matrimonio civili, dummodo illud habeat ut meram cæremoniam.
55. Sed si prævideretur contrahentes spreturos esse formam ecclesiasticam et ligarentur impedimento dirimente, aliquando ex scandalo esse posset illicita talis assistentia.
56. Secus ad vitandum grave incommodum, licita esse potest.
57. Poterit tamen teneri officialis civilis, ad monendos tales contrahentes.
58. Nec tenetur respicere ad impedimenta ecclesiastica occulta.

De acatholicorum conjugiis, respectu legis Tridentinæ.

59. Rationes dubitandi.
60. Ostenditur legem Tridentinam, debite promulgatam, obligare etiam acatholicos.
61. Respondetur objectis.
62. Declaratio Benedicti XIV. pro Belgio et Hollandia.
63. Rationes talis concessionis.
64. Hinc ratione contraria, lex viget in rĕliquis provinciis, nisi ad eas extensa fuerit Benedictina declaratio, ut pro multis factum est.
65. An lex Tridentina obliget et hæreticos qui tempore promulgationis constituebant societatem omnino separatam a catholica, vel eam constituerunt tempore procedente.
66. Negandum videtur.
67. Lex enim afficit territorium ratione personarum.

De Parocho proprio in matrimonio.

68. Parochus originis, domicilii, quasi-domicilii, et momentaneus.
69. Parochus originis non attenditur.
70. Sed domicilii.
71. Alterutrius nupturientis.
72. Et quidem quovis in loco contrahatur.
73. Etiam invito parocho locali.
74. Item sufficit parochus quasi-domicilii.
75. Ejus genericus conceptus.
76. Inspicienda natura finis commorationis.
77. Si finis importet longam moram, quasi-domicilium statim acquiritur, et valent contrahere post aliqualem moram.
78. In ordine ad matrimonium, et ipsa longa mora constituit quasi-domicilium.
79. Et requiritur saltem mensis moræ cum intentione acquirendi quasi-domicilium.
80. Qui habitationem mutant in fraudem legis, idest non acquirendi ibi quasi-domicilium, invalide ibi contrahunt.
81. Non tamen est in fraudem legis, si ideo vere acquiratur quasi-domicilium ut ibi contrahi possit.

De matrimonio vagorum.

82. Vagus distinguitur a peregrino.
83. Valide contrahit ubi actu moratur.

84. Etiam clandestine si ibi non publicatum Tridentinum.
85. Et sufficit alteruter sit vagus.
86. Etsi vagus factus sit causa contrahendi matrimonium.
87. Nisi agat in fraudem legis, idest serio vagus non fiat.
88. Sed pro liceitate matrimonii vagorum requiritur licentia Episcopi.

De qualitate parochi proprii.

89. Parochus valet assistere matrimonio etsi sit tantum clericus, et quamvis intra annum non fuerit ordinatus presbyter.
90. Item etsi sit suspensus.
91. Nisi titulus fuerit ei ablatus; sed sufficit titulus coloratus.
92. Valet matrimonium contractum et coram ordinario, idest Episcopo, Prælato Nullius, Vicario Generali.
93. Item coram sacerdote ab his delegato.
94. Et sufficit delegatio generalis.
95. Testes sufficiunt quicumque, naturaliter habiles ad testimonium reddendum.
96. Præsentia Parochi et testium oportet sit moralis et formalis.
97. Tamen valet etsi fuerit casualis, vel sit invitus.
98. Hinc parochus assistit ut testis qualificatus seu auctorabilis.

Titulus IV.

De sponsa duorum.

pag. 86—100.

1. Triplex casus.
2. Ius. est de concurrentia duplicis matrimonii.
3. Polyandria vetita est jure naturæ.
4. Polygamia prohibetur lege evangelica.
5. Quidam affirmarunt prohiberi jure naturæ secundario.
6. Et dispensatum fuisse a Deo cum Patriarchis et Hebræis.
7. Sed melius negatur jure naturæ prohiberi, quamvis ab eo non laudetur.
8. Sed prohibita fuit jure divino positivo ab initio mundi.
9. Christus Dominus sustulit dispensationem serius datam a Deo.
10. Impedimentum ligaminis oritur ex præcedenti matrimonio etiam simpliciter rato.
11. Difficultas ex pericope finali cap. 3. h. t.
12. 1°. Quidam tenuerunt prævalere secundum matrimonium consummatum, si primum esset tantum ratum.
13. Sed nulla antiqua decretalis ostendit aliquando Pontifices adhæsisse huic opinioni, neque in casibus particularibus.
14. Immo constat Romanam Ecclesiam semper tenuisse contrariam doctrinam.
15. Deinde hic error attingeret dogma.
16. 2°. Hinc alii dixerunt Pontifices aliquando relaxasse primum matrimonium ratum.
17. Hæc opinio theoretice est recta, sed historice non sustinetur.
18. 3°. Hinc melius dicendum est aliquando receptum fuisse secundum matrimonium, quia de primo sufficienter non constabat.
19. Pœnæ in bigamos.
20. IIus. casus est de concursu sponsalium cum subsequenti matrimonio.
21. Prævalet matrimonium, quamvis illicitum.
22. Nisi ex sponsalibus ortum sit.

Impedimentum publicæ honestatis.

23. Hoc impedimentum primo inductum est jure romano.
24. Jure antetridentino, dirimebat usque ad 4m. gradum consanguinitatis, tum ex sponsalibus tum ex matrimonio rato, etiam invalidis, dummodo non ex defectu consensus.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

25. Et est perpetuum.
26. Tridentinum limitavit ad primum gradum quoad sponsalia.
27. Et quidem attendit valida tantum.
28. Oritur tamen et ex sponsalibus clandestinis.
29. Ut declaravit S. Pœnitentiaria, 10. Sept. 1834.
30. Neque ignorantia excusat, cum sit lex irritans.
31. Circa hoc impedimentum ex matrimonio rato, Tridentinum nihil immutavit.
32. Matrimonium impuberum, non supplente malitia ætatem, regulariter æquivalet sponsalibus; hinc dirimit tantum usque ad Im. gradum.
33. Matrimonium clandestinum, ubi publicatum Tridentinum, neque sponsalium vim habet.
34. Quidam putaverunt ex eo neque oriri impedimentum publicæ honestatis quia non continent legitimum consensum.
35. Sed affirmandum est, cum consensum naturaliter verum quamvis illegitimum contineat.
36. Secus est cum deficit consensus saltem perfectus, idest cum adest vis, error et metus.
37. An impedimentum publicæ honestatis oriatur ex matrimonio civili.
38. Per se affirmandum esset, quando contrahentes intendunt vere contrahere.
39. Hinc et conceditur sanatio in radice.
40. Plures tamen negabant, cum jure dice considerandum sit ut mera cæremonia civilis.
41. In odium matrimonii civilis, S. C. C. decreto generali confirmato die 7. Apr. 1879. a Summo Pont. Leone XIII. declarando statuit, ipsum numquam producere impedimentum publicæ honestatis.
42. Verum producit alios effectus canonicos; ita excommunicationem etc. incurrit clericus major, attentando matrimonium civiliter.
43. Impedimentum publicæ honestatis non agit retrorsum.
44. IIIus. casus, est de sponsalibus concurrentibus cum sponsalibus.
45. Prævalent prima.
46. Neque obstat juramentum.
47. Neque copula cum secunda.

Titulus V.

De Conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus. p. 100—112.

1. Quid conditio proprie.
2. Improprie.
3. Eventus fortuitus et potestativus.
4. Conditiones possibiles et impossibiles.
5. Honestæ et inhonestæ.
6. Contra substantiam matrimonii vel non.
7. Matrimonio in genere valent adjici conditiones.
8. Sed non licet nisi ex gravi causa.
9. Si tamen fiat, et sint honestæ ac possibiles, suspendunt vim matrimonii.
10. Verificata conditione, quidam asseruerunt ad valorem matrimonii novum esse ponendum consensum.
11. Sed communiter et theoretice loquendo, negatur, dummodo perseveret primus consensus conditionatus.
12. Quæstio proposita est S. C. C. sub S. Pio V.
13. Et sub Clemente VIII.
14. Difficultas præcipue oriebatur ex necessaria præsentia parochi et testium ad matrimonium contrahendum.
15. Clemens VIII. voluit in praxi, exponerentur S. C. C. singuli casus.
16. Conditiones turpes vel impossibiles, habentur ut non appositæ.

17. Sed est ex mera præsumptione juris, quæ cedit veritati.
18. Conditiones contra substantiam matrimonii, impediunt ejus valorem.
19. Conditio vitandi generationem, si sit turpis, est contra substantiam.
20. Est honesta, cum paciscitur de non exercendis juribus matrimonialibus in ordine ad generationem prolis; et quidam tenuerunt non adversari substantiæ matrimonii etsi apponatur in eodem contractu initi matrimonii.
21. Sed præferenda sententia contraria.
22. Neque obstant matrimonia celebrata a sanctis cum proposito non utendi.
23. Item si habuissent votum castitatis, sed cognovissent ex divina revelatione alterum conjugem non esse petiturum, ut evenit B. Virgini et B. Joseph.
24. Hinc est nullum matrimonium, si contrahatur cum expressa conditione divortii, ut apud Calvinistas.
25. Non autem invalidat si tantum in mente existat et non deducatur in pactum.

De conditionibus appositis in sponsalibus.

26. Conditio honesta et possibilis suspendit vim sponsalium.
27. Et tunc non oritur impedimentum publicæ honestatis, donec evaserint absoluta.
28. Conditiones autem turpes vel impossibiles vitiant vim sponsalium.
29. Hinc non est eadem regula ac in matrimonio.
30. An valeant sponsalia sub conditione: 'Si Papa dispensaverit'.
31. Plures affirmant si agatur de impedimento in quo Papa solet aliquando dispensare, et adsit in casu motivum sufficiens.
32. Alii negant, cum hæc conditio sit de jure ponenda inter impossibiles.
33. Item quia sponsalia sunt inter personas de jure habiles.
34. Accedit analoga resolutio S. C. C. die 22. Febr. 1862.
35. Item 12. Dec. 1733.
36. Neque obstat quod actum sit de dispensatione in forma commissoria.
37. Accedit ratio œconomica impediendi amores illicitos et limitandi efficaciam sponsalium.
38. Modus.
39. Si sit contra substantiam matrimonii, dirimit.
40. Causa.
41. Demonstratio.
42. Dirimunt 1°. si importent errorem substantialem; 2°. si deductæ sint in conditiones.

Titulus VI.

Qui clerici vel voventes, matrimonium contrahere possunt.

pag. 112—118.

I. De Clericis.

1. Clerici majores nec licite nec valide contrahunt.
2. Cogendi sunt ad dimittendam mulierem.
3. Consummando, fiunt bigami.
4. Excommunicantur.
5. Clerici minores valide et licite contrahunt.

II. De Voto.

6. Votum solemne dirimit; simplex reddit tantum illicitum matrimonium.
7. Duæ exceptiones.
8. Votum simplex nulla reddit sponsalia subsequentia.
9. Excommunicatio incurritur a contrahentibus matrimonium civile.
10. 1°. Quia clerici majores et professi solemniter, capaces sunt tantum matrimonii attentati, figuram aliquam habentis coram societate.

11. 2°. Et ante Bullam Apostolicæ Sedis, clerici excommunicabantur.
12. Pius IX. extendit excommunicationem et ad regulares.
13. 3°. Ex fine legis.
14. 4°. Ne ubi publicatum est Tridentinum, tales clerici vel regulares melius se habeant.
15. Difficultatem non facit, quod Ecclesia actum civilem non vocet matrimonium.
16. Neque decretum S. C. C. 7. Apr. 1879.
17. In proclamatione hujus censuræ, attendenda opportunitas concreta.

Titulus VII.

De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

pag. 118—122.

1. Agitur de impedimento criminis.
2. 1°. Oritur ex adulterio utrinque formali, cum promissione acceptata futuri matrimonii.
3. 2°. Oritur ex adulterio utrinque formali, cum matrimonio attentato.
4. 3°. Ex conjugis occisione, utriusque contrahentis machinatione peracta, ad matrimonium contrahendum.
5. Antiquitus talibus criminosis interdicebatur quodlibet matrimonium.
6. 4°. Oritur impedimentum criminis ex adulterio utrinque formali cum occisione conjugis facto unius contrahentis, matrimonii ineundi, causa.
7. Impedimentum crimimis contrahitur et ab ignorantibus pœnam.
8. Allegans ignorantiam meræ pœnæ, in foro externo non auditur.
9. Non enim agitur de censura.
10. Finis autem legis non cadit sub lege, cum lex attendat quod fit ut plurimum.

Titulus VIII.

De conjugio leprosorum.

pag. 122—123.

1. Lepra et alii morbi supervenientes non dirimunt matrimonium neque simpliciter ratum.
2. Cap. ultimum hoc titulo loquitur de sponsalibus, quæ solvuntur, superveniente lepra.
3. Idem est si præcesserit sed fuerit ignorata.
4. Neque lepra superveniens jus dat divortii semipleni.
5. Sed debitum conjugale non obligat, si adsit periculum infectionis.
6. Sicut lepra, ita et alii morbi supervenientes solvunt sponsalia.

Titulus IX.

De conjugio servorum.

pag. 123—125.

1. Agitur de impedimento conditionis, seu status servilis caritati obnoxii.
2. Leges romanæ, servis non agnoscebant verum conjugium.
3. E contra antiquæ leges ecclesiasticæ, etiam insciis aut invitis dominis.
4. At sæculo saltem VIII. mutata disciplina.
5. Non constat directe an nova disciplina fuerit generalis.
6. Sæc. XII. restaurata antiqua disciplina.
7. Sed servus conjugatus debet domino consueta servitia.
8. Valet matrimonium personæ liberæ cum serva, scienter initum.
9. Non autem si ignoranter.
10. Hic enim error recidit in statum personæ.
11. Sed cognito errore, potest matrimonium confirmari libera voluntate, servata forma Tridentini, si impedimentum fuerit publicum; secus occultum.

Titulus X.

De natis ex libero ventre.

pag. 125.

1. Partus sequitur conditionem matris, quoad libertatem vel servitutem.
2. Sed pro libertate sufficit mater fuerit libera tempore conceptionis, gestationis vel partus.
3. Quoad dignitates, filius liber sequitur conditionem patris.
4. Et uxor viri.

Titulus XI.

De cognatione spirituali.

pag. 125—129.

1. Amor conjugalis non bene conciliatur cum amore reverentiali vel ex propinquitate.
2. Cognatio triplex; I°. naturalis;
3. II°. spiritualis;
4. III°. legalis; hoc titulo de spirituali.
5. Oritur ex baptismo et confirmatione. Procedit ad modum paternitatis seu maternitatis, et filiationis.
6. Ante Tridentinum usque ad 4^{m}. gradum consanguinitatis et affinitatis.
7. Tridentinum limitavit.
8. Non contrahitur per baptisma invalidum.
9. Bene vero ex baptismo privatim collato, causa necessitatis.
10. Et a parentibus si non sint legitimi conjuges.
11. Et antiquitus etiam si essent conjuges.
12. Nunc non officit juribus conjugalibus.
13. Neque eis officit si levent prolem suam.
14. Tridentinum præscribit ad summum in patrinos designandos unum et unam, et ad contrahendum impedimentum requiritur animus et tactus physicus.
15. Sunt designandi a parentibus et in ipsorum defectu a parocho.
16. Si tamen plures fuerint designati et levaverint, omnes contrahunt impedimentum.
17. Patrinus in baptismo oportet sit baptizatus, et in confirmatione confirmatus.
18. Si quis teneat per procuratorem, disputatur an mandans contrahat.
19. Certo non contrahit procurator.

Titulus XII.

De cognatione legali. p. 129—134.

1. Adoptio quid?
2. Adoptio perfecta seu adrogatio.
3. Adoptio imperfecta.
4. Lex civilis romana canonizata est.
5. Ratio prima impedimentum hoc constituendi, fuit debita reverentia.
6. Deinde publica honestas.
7. An impedimentum oriatur etiam ex adoptione imperfecta, disputant Doctores antiqui et recentes.
8. Adoptio codicum modernorum discrepat a lege romana.
9. Hinc quidam negaverunt ex ea nunc oriri impedimentum.
10. Sed affirmandum est ex intentione.
11. Item ex declarationibus S. C. S. Officii.
12. Et ex praxi S. Pœnitentiariæ.
13. Extensio hujus impedimenti juxta legem romanam.
14. Jus canonicum adoptat extensionem legis civilis.
15. Hoc impedimentum est perpetuum quoad paternitatem et filiationem legalem.
16. Item quoad legalem affinitatem.
17. Non autem quoad fraternitatem.
18. Adoptio subsequens matrimonium non minuit jura conjugum.

Titulus XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ.

pag. 134—137.

1. Duplex cognatio naturalis, affinitas et consanguinitas.
2. Affinitas quid?
3. Hoc titulo, de affinitate ex copula illicita.
4. Olim extendebatur usque ad quartum gradum inclusive.
5. Tridentinum limitavit ad secundum; irritat matrimonium subsequens.
6. Rumpit sponsalia præcedentia.
7. Si matrimonio subsequatur, aufert adultero jus petendi.
8. Olim et impediebat novum matrimonium, primo soluto.
9. Deinde hæc pœna ponebatur ut conditio, concedendo dispensationem ad petendum debitum,

Titulus XIV.

De consanguinitate et affinitate.

pag. 137—145.

I. De consanguinitate.

1. Differt conceptus consanguinitatis qui habetur in jure civili, ab eo juris canonici.
2. Definitio canonica.
3. Stipes.
4. Gradus-Linea; recta et obliqua.
5. Descendentalis et ascendentalis.
6. Obliqua æqualis et inæqualis.
7. Graduum computatio in linea recta.
8. Item in linea obliqua.
9. In linea recta dirimit in infinitum.
10. In linea collaterali usque ad quartum gradum inclusive.
11. In 2°. 3°. et 4°. gradu inter collaterales dirimit mero jure ecclesiastico.
12. In 1°. gradu non dirimit mero jure ecclesiastico.
13. Et melius de jure divino positivo, quam de rigoroso jure naturæ.

II. De affinitate.

14. Affinitas quid?
15. Ex copula licita vel illicita; de illa hoc titulo.
16. Vir et uxor non sunt affines, sed principia affinitatis.
17. Eodem gradu et linea quo quis est consanguineus alicujus conjugis, fit affinis alterius.
18. Ante Lateranense IV^m. triplex genus affinitatis.
19. Exemplum.
20. Item oriebatur affinitas inter filios mulieris ex præcedenti matrimonio cum filiis viri, natis ex præcedenti matrimonio.
21. Nunc consistit matrimonium inter vitricum et uxorem privigni.
22. Affinitas ex copula licita, porrigitur ad 4^m. gradum inclusive.
23. Ex matrimonii mere civilis consummatione, non oritur affinitas usque ad 4^m. gradum.
24. Ab Ecclesia enim habetur ut merus concubinatus, absque figura matrimonii.
25. Affinitas contemplata in Lege Mosaica, nunc non viget jure divino.
26. In linea obliqua est semper juris ecclesiastici.
27. Quoad 1^m. gradum lineæ rectæ quidam putaverunt esse de jure naturali, ex instinctu omnium gentium, et ex S. Paulo I°. ad Cor. V.
28. Vel saltem de jure divino positivo.
29. Sed melius repetenda ex jure ecclesiastico, cum æque oriatur affinitas ex copula illicita, in qua ecclesia dispensat.
30. Non autem putat opportunum dispensare cum est ex copula licita.
31. Relatio inter vitricum et uxorem privigni, et inter privignum et novercam est fictio legalis.
32. Jus gentium probat tantum maximam rei convenientiam.

33. Textus Paulinus videtur intelligendus de noverca cognita vivente patre.

Titulus XV.

De frigidis et maleficiatis et de impotentia coëundi. p. 145—160.

1. Impotentia quid?
2. Naturalis et extrinseca.
3. Perpetua et temporanea.
4. Absoluta et relativa.
5. Antecedens et consequens.
6. Impotentia antecedens et perpetua dirimit matrimonium.
7. Quidam dixerunt dirimere tantum ex jure humano, cum 1°. salvi sint alii fines matrimonii.
8. 2°. Idem deducunt ex cap. 4. h. t.
9. 3°. Confirmant ex matrimonio eunuchorum, quod olim permittebatur.
10. Sed melius, negandum est, cum attendendus sit finis principalis, et non secundarii.
11. Solvitur argumentum ex cap. 4. h. t.
12. Antiquitus præscribebatur impotentibus cohabitatio ut sororis et fratris, ex prudentia.
13. Sed postea ad peccata præcavenda, soluta est talium unio.
14. Cœlestinus III. dedit optionem.
15. Inter eunuchos permittebatur simulacrum matrimonii.
16. Sed ad peccata præcavenda, fuit postea vetitum.
17. Quomodo in praxi expedienda sit quæstio impotentiæ.
18. Conjux impotens tantum relative, potest aliud inire connubium.
19. In dubio, concedebatur triennale experimentum.
20. Benedictus XIV. Const. Dei miseratione, normam servandam adsignavit.
21. Ex Trid. Concilio, cognitio causarum matrimonialium in prima instantia, reservatur episcopo.
22. Sede vacante, procedit Vicarius capitularis.
23. Adsignandus defensor vinculi ex officio.
24. Novum conjugium non permittitur, nisi saltem duæ sententiæ conformes habeantur.
25. Et quovis tempore appareat Ecclesia decepta, primum matrimonium reintegrandum est.
26. Instructio S. C. C., 22. Augusti 1840, super processu in causis matrimonialibus.
27. Acta conficienda lingua latina, exceptis quibusdam.
28. Causa judicanda ab Episcopo vel a speciali delegato.
29. Instantia conjugis actoris scripto exhibenda.
30. Defensor vinculi juramentum præstet; semper intimandus; omnia acta ei ostendenda; semper audiendus.
31. Defensor stata die, dat interrogatoria clausa et obsignata.
32. Defertur conjugi juramentum de veritate dicenda.
33. Responsiones scribendæ.
34. Relegendæ et subscribendæ.
35. Conjux citatus, potest ante publicationem processus, proponere articulos alteri conjugi.
36. Eadem methodo interrogatur alter conjux.
37. Deinde fit examen septimæ manus, indicatæ ab actore.
38. Similiter septimæ manus productæ a reo.
39. Nec non audiuntur alii testes producti sive a partibus sive a defensore vinculi.
40. Distantes interrogantur ab Episcopo loci in quo sunt.
41. Interrogationes præcipuæ faciendæ.
42. Speciatim si querela sit de impotentia, procedendum ad inspectionem.

43. Judex eligit inter peritos indicatos, et in defectu destinat ex officio, dummodo non sint legitime suspecti.
44. Virum inspiciunt singuli periti separatim.
45. Peracta relatione, defensor proponit interrogatoria clausa et obsignata.
46. Quoad inspectionem mulieris, eliguntur tres obstetrices, instruendæ a medico et a chirurgo, quæ seorsim cum matrona procedant.
47. Facta inspectione, interrogantur seorsim.
48. Et peritorum exquiritur judicium, audita relatione inspectionis.
49. Publicato processu, locus fit defensionibus partium.
50. Si sententia sit pro nullitate, defensor vinculi debet appellare.
51. Experimentum triennale non amplius in usu est.
52. Si constat de non-consummatione matrimonii, legitimis existentibus causis, petitur dissolutio matrimonii rati.
53. Neque reintegratur matrimonium, si post dispensationem, appareat potentia, dummodo non fuerit consummatum.
54. Causæ dispensandi.

Titulus XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

pag. 160—163.

1. Sub nomine interdicti Ecclesiæ, lato sensu veniunt omnia impedimenta tantum impedientia.
2. Enumerantur hæc antiqua impedimenta.
3. Quæ nunc vigeant.
4. Pontifex valet et impedimentum dirimens apponere in casibus particularibus, sed Episcopus potest tantum impedire.
5. Etiam Parochus, sed extrajudicialiliter, et proinde absque pœnis.
6. Pœnæ imponuntur ab Episcopo, ejus arbitrio.
7. Quid fuerit impedimentum catechismi 1°. ad modum compaternitatis.
8. 2°. Ob defectum rudimentorum fidei.
9. Delicta quæ olim constituebant impedimentum impediens; I°. incestus.
10. II°. Raptus.
11. III°. Uxoricidium.
12. IV°. Susceptio propriæ prolis, absque necessitate.
13. V°. Mors presbyteralis.
14. VI°. Solemnis pœnitentia.
15. VII°. Attentatio matrimonii cum moniali.

Titulus XVII.

Qui filii sint legitimi. pag. 163—168.

1. In hoc titulo, legitimus est quem justæ nuptiæ demonstrant.
2. Sed est mera præsumptio juris.
3. Favore matrimonii habentur ut legitimi et nati ex matrimonio nullo, si alteruter saltem conjux erat in bona fide.
4. Dummodo spretæ non fuerint ecclesiasticæ solemnitates.
5. Illegitimorum plures species; 1°. quidam dicuntur naturales.
6. 2°. Alii spurii, quorum plures species jure canonico.
7. Illegitimitas est macula mere juridica seu socialis.
8. Aufertur 1°. per subsequens matrimonium, quoad filios naturales præhabitos.
9. Probabilius et ex matrimonio mere putativo.
10. Sed jure civili sic legitimati possunt excludi a quibusdam honoribus vel juribus.
11. Sicut jure canonico excluduntur a cardinalatu.

12. 2°. Tollitur illegitimitas per rescriptum principis ecclesiastici quoad jura ecclesiastica, et civilis quoad civilia.
13. Rescriptum Pontificis aliquando indirecte juvat et civiliter.
14. Sed non viceversa.
15. Legitimatio per Rescriptum potest limitationes apponere.
16. 3us. modus est dispensatio.
17. Canonicatus Patriarchalium urbis, requirunt specialem dispensationem.
18. Episcopus dispensat tantum quoad ordines minores recipiendos et beneficia simplicia.
19. 4us. modus est professio religiosa, pro presbyteratu suscipiendo.

Titulus XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari. pag. 168—172.

Quæstio 1a. Quinam possint accusare.

1. Regulariter omnes possunt accusare, immo tenentur.
2. Excipe 1°. impedimentum impotentiæ ad matrimonium dissolvendum.
3. 2°. Repelluntur qui accusant quæstus causa.
4. 3°. Qui dolose omiserunt accusare ante celebrationem.
5. Accusatio proponi debet personaliter.
6. Numquam perimitur actio hæc, viventibus conjugibus.

Quæstio 2a. Quinam possint testificari.

7. Omnes non suspecti possunt testificari in causa conjugii.
8. Sed difficile attenditur testimonium ipsorum conjugum.

Quæstio 3a. Quis sit judex competens in causis matrimonialibus.

9. Causæ matrimoniales possunt 1°. respicere ipsum vinculum; tunc sunt exclusive ecclesiasticæ.
10. Et quidem cognoscendæ in tribunali episcopi, et non inferioris prælati.
11. 2°. Causæ quæ connectuntur cum vinculo, sunt pariter exclusive ecclesiasticæ, ut legitimitas natalium.
12. 3°. Causæ de juribus civilibus conjugum, ut de dote, si directe tractentur, sunt fori laici.
13. Sed incidentaliter poterunt videri et in foro ecclesiastico.
14. Sed causa spiritualis neque incidenter cognosci potest in foro sæculari.
15. Nisi agatur de nudo facto.
16. 4°. Causæ de criminibus contra matrimonium sunt mixti fori; sed ad vindictam cognoscit Judex laicus.

Titulus XIX.

De divortiis. p. 172—189.

1. Divortium duplex, plenum et semiplenum.

De divortio pleno, seu quoad vinculum, et 1°. cum matrimonium consummatum est.

2. Matrimonium consummatum inter fideles est absolute indissolubile.
3. Matrimonium inter infideles est jure naturæ normaliter indissolubile.
4. Sed non absolute, jure mero naturæ.
5. Hinc et Deus permisit Hebræis dare libellum repudii.
6. Et ob privilegium fidei dissolvitur et in N. Testamento, de quo infra.
7. Sed ex primitiva lege Dei positiva fuit indissolubile.
8. Ob privilegium fidei potest conversus transire ad alias nuptias cum fideli, si conjux ejus interpellatus nolit converti nec pacifice cohabitare absque periculo peccati.
9. Sed solvitur primum conjugium tunc tantum cum conversus init novum conjugium.
10. Conc. Toletanum in Hispania si conjux infidelis noluisset converti,

ex generali præsumptione quod nollet pacifice cohabitare absque Creatoris contumelia, non exigebat de hoc specialem interpellationem.

11. Si interpellatio fieri nequeat, quidam putabant fidelem transire posse ad alias nuptias.
12. Sed S. C. C. adhæsit requirentibus dispensationem Pontificis, et facultates opportunæ dantur missionariis.
13. Matrimonium non dissolvitur si pars infidelis tantum transeat ad alias nuptias.
14. Si pars fidelis, profiteatur religionem solemniter, et postea convertatur et alter conjux, et matrimonium fuerit jam consummatum, non solvitur.
15. Si dispensatis interpellationibus, vir et uxor ignorantes communem conversionem ad fidem, alteri fideli nubant, non reintegratur primum matrimonium, sed valet secundum.
16. Ita Summi Pontifices, S. Pius V. et Gregorius XIII.
17. Et quidem nonnulli Canonistæ putaverunt posse Summum Pontificem dissolvere matrimonium infidelium etiam consummatum.
18. Sed melius negatur.
19. Et dicendum posse tantum dispensare ex justa causa, ab interpellationibus; quo facto, subsistit novum matrimonium.
20. Et ratio est favor fidei, ne conjux conversus, ex impossibilitate aut magna difficultate faciendi interpellationes ponatur in coacta continentia.
21. Si infidelis habeat plures uxores, vel repudiaverit primam et aliam duxerit, vera uxor est unice prima.
22. Etsi enim, ethnicis habeatur indirecte extensum privilegium repudii et polygamiæ ob dispensationem datam Hebræis, utrumque tamen a Christo prohibitum est.
23. Hinc vir conversus tenetur interpellare tantum primam uxorem.
24. Hinc si prima nolit, potest sed non tenetur ducere secundam.
25. Et S. Pius V. concessit retinere eam quæ cum viro converteretur etsi non esset prima, quin hæc interpellaretur an vellet pacifice cohabitare.
26. Ex quo rursus nonnulli intulerunt, Pontificem posse solvere matrimonium infidelium consummatum.
27. Sed melius dicendum, tantum dispensasse ab interpellatione primæ uxoris, quando certa est conversio alterius, in favorem fidei.
28. Si inter infideles conjuges, adsit impedimentum juris divini, dissolvendum est conjugium; secus si tantum juris ecclesiastici.

De divortio pleno in matrimonio rato et non consummato, inter fideles.

29. Est de se indissolubile sed minus firmum.
30. Quia non plene significat unionem Christi cum Ecclesia.
31. Solvitur 1°. per professionem solemnem in religione approbata.
32. 2°. Per dispensationem Summi Pontificis.
33. Id Pontificem posse deducitur non modo ex facto certo, sed ex paritate cum solutione, causa professionis religiosæ.
34. Ratio autem intrinseca, est non plena firmitas talis matrimonii.
35. Detecta nullitate matrimonii, nequeunt conjuges ab eo recedere, auctoritate privata.
36. Neque tamen valent petere aut reddere debitum conjugale.
37. Requiruntur plenæ probationes ut dissolvatur matrimonium.

De divortio semi-pleno et I°. de temporaneo.

38. Consistit in separatione quoad thorum et cohabitationem.
39. I°. haberi potest ex mutuo consensu.
40. II°. altero dissentiente; et 1°. temporaneo.
41. a) ex alterius lapsu in hæresim, schisma vel apostasiam,
42. b) ex periculo animæ,
43. c) ex periculo corporis, 1°. ex minis et sævitiis,
44. Quod valet et pro viro,
45. d) ex periculo corporis 2°. ob morbum.

II°. De divortio semipleno perpetuo, seu causa adulterii.

46. Oportet sit 1°. formale.
47. 2°. Absque alterius participatione.
48. 3°. Non remissum.
49. Quod et tacite haberi potest.
50. Sed si adulterium sit habituale, non est indulgendum.
51. Nec credendum fictæ pœnitentiæ.
52. 4°. Non compensatum.
53. Etsi non simultaneum, dummodo ante sententiam.
54. Si post sententiam, quidam negarunt, primum adulterum posse exigere restaurationem cohabitationis.
55. Sed melius affirmatur.
56. Sed requirat aliam sententiam.
57. Si adulterium sit notorium, licet cedere auctoritate propria; e contra in occulto.
58. Causa pleni divortii, jure decretalium, tractabatur de plano.
59. Sed Benedictus XIV. et SS. CC. quædam determinaverunt.
60. Causa divortii semipleni est ordinaria.
61. Quoad alendos et educandos filios antea natos, servandum jus civile.
62. Neoethnici defendunt divortium plenum, ut minus malum.
63. Sed errant, et obstat lex divina.
64. Consule Encyclicam, Arcanum divinæ consilium, Leonis PP. XIII. 10. Febr. 1880.

Titulus XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda. pag. 189—192.

I. De donationibus.

1. Donatio quid? — propter causam — remuneratoria.
2. Interdicitur donatio inter virum et uxorem constante matrimonio.
3. Rationes hujus prohibitionis, duæ.
4. Exceptiones 1°. de parvis donationibus; 2°. de rebus futuris; 3°. ob uxoris ornatum; 4°. ob augmentum honorum vel munerum viri.
5. 5°. Mortis causa.
6. Sed non revocatæ ante mortem, firmantur, etsi de cetero invalidæ.
7. Item firmantur juramento de non revocando.

II. De dote.

8. Quid et quotuplex.
9. Jura mariti in dotem.
10. Bona extradotalia uxoris et paraphernalia.
11. Donatio propter nuptias seu contrados.
12. Sponsalitia largitas.

III. De restitutione dotis.

13. I°. Ex divortio pleno.
14. II°. Ex morte alterutrius.
15. III°. Ex divortio semipleno utriusque consensu.
16. IV°. Alterutrius crimine.

Titulus XXI.

De secundis nuptiis. pag. 192—202.

1. Secundæ nuptiæ quamvis licitæ, tamen minus honorabiles.

2. Et non benedicebantur.
3. Sed ex consuetudine obtinere potest ut benedicantur, si mulier tunc primo nubat.
4. Lege romana interdicebantur novæ nuptiæ mulieri intra annum luctus.
5. Sed jus canonicum id non attendit.
6. Quid de secundo matrimonio inito, extante tantum dubio, de morte primi conjugis?
7. Quomodo certo constare possit de morte primi conjugis.
8. Documenta oportet sint authentica et nota.

Instructio S. U. Inquisitionis jussu Clementis X. Ordinariis locorum aliisque præscripta, qua utantur ad legitime cognoscendum admittendumque statum liberum eorum qui matrimonium contrahere velint.

9. Gravitas hujus materiæ.
10. Juramentum testium.
11. Interrogationes.
12. Quando contrahentes sunt exteri, seu alienæ diœcesis.
13. Quando sunt cives.
14. Quando asserunt conjugem esse præmortuum.
15. De contrahentibus vagis.
16. Documenta sint authentica.
17. Quinam testes præferendi.
18. Officialis assistens his interrogationibus.

Instructio S. C. Inquisitionis ad probandum obitum alicujus conjugis.

19. Materiæ gravitas.
20. Non semper possunt haberi plenæ probationes.
21. Sola absentia non sufficit.
22. Ante omnia inquirenda documenta authentica.
23. Secus duo testes de scientia.
24. Aliquando admittitur et unus testis.
25. Aliquando et testes de auditu.
26. His deficientibus, recurritur ad præsumptiones, et indicia.
27. Describuntur præcipua tunc attendenda.
28. Fama.
29. Ephemerides.
30. Omnia subjiciantur pluribus theologis et juris peritis.
31. Dubio adhuc extante, transmittantur acta ad S. Sedem.

Instructio Secretariæ status ad omnes Ordinarios, de dispensationibus super impedimento mixtæ religionis.

N. B. Hæc instructio ad rem facit ad finem tituli primi, ubi de matrimoniis mixtis.

32. Rationes ob quas prohibentur matrimonia mixta.
33. Dispensat tantum S. Sedes, sub debitis conditionibus.
34. Non sunt celebranda in loco et ritu sacro.
35. Præscribitur formula dispensandi communis.
36. Ad mala graviora vitanda tolerari potest locus et ritus sacer, exclusa missa.
37. Antiquiora Pontificum documenta renovantur, de hac re.

Appendix.
pag. 207—225.

De dispensationibus in impedimentis matrimonii.

1. Quid dispensatio.
2. Est odiosa in jure.
3. Datur ab habente jurisdictionem; et 1°. a Papa et a Concilio Generali pro utroque foro.
4. Sed in occultis S. Pœnitentiaria dispensat tantum pro foro interno.
5. Episcopus auctoritate propria dispensat tantum in interdicto Ecclesiæ, a se vel a Parocho, lato.

6. Sed ex delegatione dispensat et in reliquis.
7. 1°. Ex delegatione expressa.
8. Et indultum ei concessum, habet favorem juris.
9. Sed nequit extendi de genere ad genus, nec a gradu simplici ad mixtos.
10. 2°. Ex tacita delegatione.
11. 3°. Ex præsumpta.
12. Exemplificatur.
13. Auctoritas Benedicti XIV., quando matrimonium est jam contractum.
14. Sed sex verificari debent.
15. Et quidem valet pro solo foro interno.
16. Quando impedimentum sit occultum.
17. Non modo numerus sed et qualitas personarum est attendenda.
18. Et oportet sit occultum etiam materialiter.

De dispensationibus quæ a S. Sede conceduntur.

19. Dataria concedebat pro omnibus publicis impedimentis, et forma publica.
20. E contra Pœnitentiaria, pro occultis forma secreta.
21. Hinc si matrimonium revalidetur in forma publica, renovandus est consensus in forma Tridentini; secus si in forma secreta.
22. Sed hodie et Pœnitentiaria dispensat in impedimentis publicis pro pauperibus.
23. Quid si fingant oratores se esse pauperes?
24. Cœpit S. Pœnitentiaria dispensare in publicis, sub finem sæculi elapsi, quando Dataria erat clausa.
25. Restituta Dataria, conceduntur singulis Pœnitentiariis majoribus, facultates pro pauperibus.
26. Si oratores dolo decipiant Ecclesiam, irrita est dispensatio.
27. Sed si absque dolo, dispensatur tamquam cum pauperibus, a Dataria, quando non sunt, valet dispensatio.
28. Non item si dispensatio concedatur a Pœnitentiario majore.
29. Neque juvat de paupertate testari Episcopum.
30. Et ita se habet praxis S. Pœnitentiariæ, quæ cognito errore, impetrat a Papa corroborationem vel sanationem in radice.
31. Quæ praxis confirmata est a S. C. C.
32. Sed valet dispensatio quando ipse Pontifex dispensat per organum S. Pœnitentiariæ.
33. Quænam exponenda sint in petitione dispensationis.
34. Veritas precum sufficit verificetur tempore executionis.
35. Si ex pluribus causis bona fide expositis, eæ tantum sint veræ quæ insufficientes, non valet dispensatio.
36. E contra valet, si veræ sint sufficientes.
37. Exponenda de stylo Curiæ 1°. omnia impedimenta exponenda eodem supplici libello.
38. Neque excusat ignorantia.
39. Hinc reiteranda dispensatio a primo impedimento si aliud novum postea detegatur.
40. Quid servandum quando unum impedimentum est publicum et aliud secretum?
41. 2°. Ante decretum S. O. 25. Junii 1885 exprimenda erat copula incestuosa, et an admissa ad facilius dispensationem impetrandam.
42. 3°. An matrimonium nulliter contractum, initum sit præmissis publicationibus, et bona fide, aut consummatum ad facilius impetrandam dispensationem.
43. 4°. An impedimentum sit ex duplici stipite.

44. 5°. Et quamvis ab uno stipite, an alter oratorum sit ab eo descendens primo gradu.
45. Immo ex praxi, inæqualitas graduum semper manifestanda.

De Executione Literarum Apostolicarum dispensationum matrimonialium.

46. Nunc Papa solet dispensare in forma commissoria.
47. Tridentinum statuit executionem committendam ordinariis.
48. Delegatio fit dignitati, non personæ.
49. Diversi modi quibus datur delegatio.
50. Vicarius Capitularis non succedit delegationi factæ Episcopo aut Vicario Generali.
51. Olim Sede vacante, delegabatur Episcopus vicinior; nunc Vicarius Capitularis.
52. Vicarius Generalis succedit delegationi factæ Ordinario.
53. Delegatus nequit uti delegatione, nisi ei literis exhibitis.
54. Delegatus ad nudum ministerium, nequit subdelegare executionem, sed tantum actus ordinarios executionis.
55. Servandus tenor delegationis.
56. Executio danda gratis; sed Notarius sive Cancellarius potest modicam taxam exigere.
57. Neque admissa fuit contraria consuetudo etsi immemorialis.

De Sanatione in Radice.

58. Ejus definitio.
59. Differt ab ordinaria dispensatione.
60. Clemens V. ea usus est in materia beneficiaria.
61. Et Bonifacius VIII. ea usus erat et in materia matrimoniali.
62. Requisita.
63. Quando soleat concedi.
64. Etiam ex officio peti potest.
65. In impedimento vere occulto, datur tantum pro foro interno, secus in forma authentica.
66. Passim datur pro matrimonio mere civili.
67. Conceditur favore prolis, etiam alterutro vel utroque pseudo-conjuge defuncto.

Index titulorum.

Titulus.		Pag.
I.	De Sponsalibus et Matrimonio	5
	De Sponsalibus	6
	De effectibus Sponsalium	13
	De Dissolutione Sponsalium	17
	De Matrimonio	22
	I°. De potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus	33
	II°. De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta præsertim matrimonium dirimentia	34
	De impedimentis impedientibus	39
	De impedimentis dirimentibus	40
	1°. De impedimento erroris	41
	2°. De impedimento vis et metus	42
	3°. De impedimento raptus	45
	4°. De impedimento cultus disparitatis	51
	De matrimoniis mixtis	53
II.	De desponsatione impuberum	55
	De sponsalibus impuberum	—
	De matrimoniis impuberum	57
III.	De clandestina desponsatione	59
	I°. De denunciationibus quæ matrimonio præmittuntur	—
	De matrimonio conscientiæ	64
	II°. De forma substantiali contractus matrimonialis	66
	De Parocho proprio in matrimonio	77
	De matrimonio vagorum	82
	De qualitate proprii Parochi	83
IV.	De sponsa duorum	86
V.	De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus	100
	De conditionibus honestis et possibilibus	102
	De conditionibus appositis in sponsalibus	107
	Modus, demonstratio, causa	111
VI.	Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt	112
	I°. De Clericis	—
	II°. De Voto	112
VII.	De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium	118
VIII.	De conjugio leprosorum	122
IX.	De conjugio servorum	123
X.	De natis ex libero ventre	125
XI.	De cognatione spirituali	125
XII.	De cognatione legali	129

Titulus. Pag.

XIII. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ 134
XIV. De consanguinitate et affinitate 137
I. De consanguinitate . . . . . —
II. De affinitate 141
XV. De frigidis et maleficiatis et de impotentia coëundi 145
Instructio S. Cong. Conc. 22. Aug. 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus 153
XVI. De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ 160
XVII. Qui filii sint legitimi 163
XVIII. Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari 168
XIX. De divortiis 172
I. De divortio pleno . . . . . —
II. De divortio in matrimonio rato et non consummato inter fideles 181
III. De divortio quoad torum et cohabitationem 183
IV. De divortio ob adulterium 185
XX. De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda 189
I. De donationibus . . . . . —
II. De dote 190
III. De restitutione dotis 191
XXI. De secundis nuptiis 192
Instructiones S. S. quoad matrimonium 194
I. Instructio S. U. Inquisitionis jussu Clementis X. Ordinariis locorum aliisque præscripta, qua utantur ad legitime cognoscendum admittendumque statum liberum eorum qui matrimonium contrahere velint . . . . . —
II. Instructio pro examine illorum testium qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum 195
III. Instructio ad probandum obitum alicujus conjugis . . 198
IV. Instructio Secret. Status de Dispensationibus super impedimento mixtæ religionis quoad promiscua conjugia . . 204

Appendix.

De Dispensatione in impedimentis matrimonii 207
De Dispensationibus quæ a Sede Apostolica conceduntur . . 212
De executione literarum Apostolicarum quoad dispensationes matrimoniales 220
De sanatione in radice 223

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI
PROFESSOR.

EDITIO SECUNDA.

LIBER V.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
MDCCCXCII.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI.

LIBER V.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Decretalium Gregorii IX.

Liber V.

Titulus I.

De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.

1. In libro V. Decretalium agitur de criminibus et de pœnis, quibus jus Canonicum plectit delinquentes. Initio tractationis sermo instituitur de modis quibus a publica auctoritate cognitio alicujus criminis possit haberi. Modi autem hujusmodi tres sunt, nempe *accusatio, denunciatio et inquisitio.*

2. Accusatio communiter definitur juxta legem ult. c. h. t. 'Criminis alicujus apud judicem competentem legitime facta delatio ad publicam vindictam.' Hæc notio desumpta est ex jure romano, in quo reputatum est crimen non solum offendere societatem, sed etiam unumquodque individuum, cujus propterea intererat crimen puniri. Quare poterat quisquis civis ob bonum reipublicæ provocare legitimo modo contra delinquentem publicam vindictam.

Accusatio autem proprie dicta *legitime* fieri debet, idest accusator debet libello subscribere, et obligationem suscipere probandi crimen objectum sub ea conditione, ut si defecerit in probationibus subire teneatur pœnam talionis, idest pœnam, quam subiisset reus, si crimen contra ipsum probatum fuisset.

3. Ad constituendam proprie dictam accusationem requiritur 1°. ut accusator fiat actor causæ, idest causam faciat propriam; 2°. ut designet in libello crimen in specie et ejus auctorem; 3°. ut invocet articulum legis in quo decernitur pœna applicanda reo; 4°. ut assumat obligationem subeundi pœnam invocatam contra accusatum, quoties crimen non demonstret.

Cum vero desiderium boni publici et legum custodiæ non semper idem perseveraverit, nec proinde veri accusatores haberentur, ne crimina impunita essent, inducta est simplex *denunciatio*, quæ nihil aliud est quam, 'sola delatio, seu manifestatio criminis facta superiori absque ulla obligatione probandi crimen, aut subeundi pœnam talionis'.

4. Communiter denunciatio distinguitur ut alia sit ex *charitate*, quæque et *evangelica* appellatur, alia sit *judicialis*. Prior fit superiori tamquam patri non ad publicam vindictam, sed ad emendationem rei denunciati; secunda est quæ fit coram superiore tamquam judice, qui procedere debet, juridica forma servata.

Denunciatio hujusmodi a doctoribus subdividitur in *privatam* et *publicam*. Privata dicitur ea, qua denuncians intendit solummodo suam indemnitatem, et remotionem periculi sui, quamvis occasione capta ab hac accusatione, judex procedat ad vindictam publicam. Publica denunciatio ea est, qua intenditur principaliter expiatio pœnæ causa ultionis publicæ a reo tolerandæ.

5. Tertius modus cognoscendi crimina est *inquisitio*. Si quidem cum communiter insufficientes evaderent ad cognoscenda crimina accusatio et denunciatio, præsertim ob minas iniquorum hominum inductum est aliud medium juridicum pro criminibus cognoscendis, scilicet inquisitio. Auctoritas publica quidem munere suo vigilandi fungens, instituere tenetur examen et indaginem accuratam ad detegenda crimina et auctores eorum.

6. Porro inquisitio hæc, alia est *generalis*, alia est *specialis*, alia est *specialissima*. Generalis inquisitio nihil aliud est 'nisi vigilantia assidua auctoritatis qua curat prævenire crimina'. Melius est enim impedire crimen patrandum, quam punire crimen jam patratum. Quare generalis inquisitio potest institui, quamvis crimen perpetratum non fuerit, sed timetur ne forte patretur. Specialis inquisitio est ea, quæ instituitur post admissum crimen in societate, ut cognoscatur species individua criminis, locus, tempus, circumstantiæ, et auctor, qui ignoratur. — Specialissima inquisitio est ea, quæ instituitur circa aliquam personam determinatam suspectam de crimine, utrum revera auctor fuerit criminis, necne.

7. Hisce positis de notione materiæ tituli, quæritur quinam possint in judicio criminaliter accusare. Quoniam accusatio in publicum bonum redundat, omnes possunt accusare nisi a jure arceantur.

Et 1°. ob defectum ætatis *impuberes* ab accusando repelluntur; 2°. *mulieres* etiam ob infirmitatem sexus accusare non possunt; 3°. *Clerici* et *Monachi* idest *Regulares* non possunt accusatoris partes gerere, ne sæcularibus negotiis sese immisceant, tit. *'Ne Clerici vel Monachi'*, et eo magis prohibentur si crimen secum ferret pœnam capitis vel mutilationis; hoc enim in casu irregularitati subjicerentur. *Cap. 21. 'De homicidio'*. Qua in re animadvertimus Clericum vel Religiosum non incurrere irregularitatem, quoties absque designatione personæ vel pœnæ, inculcat in genere magistratui onus inquirendi et puniendi malefactores et perturbatores publicæ tranquillitatis, vel quoties ob compensationem damni, vel remotionem periculi persequatur coram judice aliquem delinquentem, dummodo vero protestetur se non accusare ad vindictam publicam promovendam, et ad pœnam sanguinis inducendam contra reum, sed solummodo ad damnum vel vitandum vel sibi compensandum. *Cap. 2. De homicidio in VI.* — 4°. *Magistratus et miles* arcentur ratione officii ab accusando, ne distrahantur a munere suo. — 5°. *Infames* et qui *suspecti sunt de calumnia. Can. 17. caus. 6. q. 1. et Can. 2. caus. 3. q. 5.*

Pariter ob dubiam fidem prohibentur accusare *inimici graves* seu *capitales* et *qui eos frequenter adeunt.* Suspecti de bona fide censentur etiam *qui pecuniam ad accusandum,* nec non *inopia laborantes.* Quando autem *pauperes* arcendi sint tamquam suspecti relinquitur arbitrio judicis. — 6°. Ob suspicionem calumniæ *Infideles, Judæi* et *Hæretici* non admittuntur ad accusationem promovendam contra Christianos. *Can. 24. caus. 2. q. 7.* — Ob eamdem rationem non facile admittendi sunt *Laici* ad accusandos Clericos. Possunt enim moveri ad accusandum ex odio contra Clericos concepto, ob fidele sacri ministerii exercitium. — 7°. Ob vinculum cognationis et debitam reverentiam *liberi* arcentur ab accusatione promovenda contra parentes, et viceversa, nec *frater* fratrem aut sororem accusare potest.

8. Hæc autem dicta sint de criminibus communibus, et de injuria non sibi illata; nam si agatur de injuria sibi illata vel de morte propinquorum, vel de criminibus atrocioribus possunt etiam superius excepti officium accusatoris implere. Crimina autem hujusmodi, sunt crimina, quæ diriguntur contra *Deum,* scilicet *blasphemia, apostasia, hæresis, simonia, magia, sacrilegium.* Sunt etiam crimina excepta, quæ *bonum publicum directe affi-*

ciunt, scilicet crimina *læsæ majestatis, latrocinii, falsæ monetæ, fraudatæ annonæ.* In hisce autem criminibus Clerici et Religiosi, ne incurrant irregularitatem, debent accusare non ad vindictam publicam et ad pœnam sanguinis, sed ad utilitatem vel propriam vel Ecclesiæ procurandam.

9. Hæc quæ verificantur in accusatione etiam verificantur in denunciatione publica criminali, idest qui arcentur juxta dicta ab accusatione perficienda, arcentur etiam a proponenda publica denunciatione, non autem a privata. Privata enim potius est actio civilis, quam criminalis, publica autem contra reum delinquentem, eumdem sortitur effectum, quem sortitur accusatio.

10. Relate ad inquisitionem, quæritur utrum semper et quomodocumque possit institui inquisitio criminum.

Inquisitio generalis procul dubio potest et debet a superiore communitatis semper fieri, quia advigilare debet ne crimina perpetrentur. Inquisitio autem specialis post patratum crimen institui debet. At non ita dicendum est de specialissima. Ea enim non semper potest institui, quia nimis gravis esset pro auctoritate, nec debet, quia cives honesti non sunt ex levi etiam et despicienda suspicione aliqua molestia afficiendi. Igitur juxta cap. 24. h. t. potest hæc inquisitio institui, quando contra aliquam personam fundata adsit suspicio admissi criminis. Hæc autem suspicio habetur 1°. quando publica diffamatio verificetur; 2°. quando denunciatio locum habeat.

De modo procedendi extrajudicialiter ex informata conscientia.

11. Quoniam jus Præsulum Ecclesiæ procedendi contra Clericos ex informata conscientia ab aliquibus denegatur, ab aliquibus autem ultra suos legitimos limites protrahitur, hinc loco appendicis ad titulum *'De accusationibus'* de hoc jure pertractandum.*)

Hoc jus in eo consistit ut 'Prælatus ecclesiasticus ex justa causa sibique sufficienter cognita possit Clerico denegare ascensum ad ordines superiores, vel eumdem suspendere ab ordinum receptorum exercitio'. Ita *in cap. 1. sess. 14. De reformat. in Conc. Tridentino.* Nec difficultas oriri potest ex eo quod Patres Tridentini mentionem fecerint de crimine occulto extrajudicialiter

*) Vide etiam Institutiones Juris publ. eccles., F. Cavagnis, Vol. II. pag. 153.

cognito solum in prima parte decreti, scilicet relate ad ascensum ad altiores ordines, nam unitas contextus satis superque exprimit idem dicendum esse etiam de secunda parte decreti, idest relate ad suspensionem a ministerio susceptorum ordinum. Hæc fuit etiam authentica decreti interpretatio data a S. Cong. Conc. die 24. Novemb. anni 1657, et aliis omissis in causa 'Oritana seu Jarentina' d. 20. Aug. 1735.

12. Cum facultas procedendi extrajudicialiter ex informata conscientia Prælatis Ecclesiæ competat ex jure communi duo sequuntur 1°. non obligari Episcopum ad manifestanda Clerico motiva inflictæ pœnæ. Ita etiam respondit Sacra Congregatio Episcopo Vercellensi die 21. Martii 1743. 2°. Non concedi contra decretum Episcopi seu Prælati remedium appellationis ad tribunal superius, ex. gr. ad tribunal metropolitanum, nec teneri Episcopum ad manifestandam Metropolitano causam decreti sui. Ita S. Cong. Concilii respondit Archiepiscopo Remensi die 21. Apr. 1668. At si ratio juris excludit juridicam appellationem ad quodcumque superius tribunal, non adimit Clerico omnem defensionis copiam, sed si injuriam sibi illatam fuisse arbitratur ex Episcopi decreto, poterit per viam recursus adire Apostolicam Sedem, cui Episcopus motiva inflictæ pœnæ manifestare tenetur. Concilium enim Tridentinum nullo modo voluit lædere jus primatus Romani Pontificis, quo Pontifex potest bonum spirituale fidelium non solum in genere curare et promovere, sed etiam in individuo. Adeoque potest querelam omnium fidelium excipere, et efficacibus remediis præsto esse fidelibus per injuriam vexatis. Atque ita etiam consonam juris principiis dedit interpretationem S. Cong. Concilii in citata responsione Archiepiscopo Remensi, quam Gregorius XIII. approbavit.

13. Quoniam verba Tridentinæ dispositionis generalissima sunt, ea comprehendunt etiam Clericos arctatos ad ordines, idest Clericos possidentes beneficia, quibus ordo aliquis adnexus est. Attamen Clericus arctatus ad ordinem suscipiendum, si ex decreto episcopali impeditus fuerit, interim, ne pœnæ multiplicentur, non incurrit pœnas contra arctatos negligentes inflictas. Ita Sacra Congregatio respondit die 22. Junii 1682.

14. Quæritur utrum Prælatus possit extrajudicialiter ex informata conscientia interdicere Clerico ascensum ad ordines superiores,

vel exercitium in ordinibus susceptis etiam ob crimen publicum, quod nempe in foro externo probari et denunciari possit.

Contendimus Concilium Tridentinum facultatem procedendi extrajudicialiter Prælatis concessisse solummodo in criminibus occultis; et quoad crimina publica reliquisse disciplinam veterem, quæ ordinem judicialem requirit in delinquentibus etiam Clericis puniendis.

15. Quod ut demonstretur sciendum est, jure Decretalium Clericos sæculares ob crimen occultum ab Episcopo moneri quidem potuisse non autem repelli ab ordinibus superioribus suscipiendis, vel suspendi a ministerio ordinis jam suscepti. Ita in cap. 4. *'De temporibus Ord. et qualitate Ordinandorum.'* Receptum erat enim principium Innocentii III. 'Ecclesiæ datum est tantum de manifestis judicare'. *Cap. 31. 'De Simonia'.* Verum pro Regularibus aliud invocatum est principium 'Honestius et tutius est subjectis impendere obedientiam debitam præpositis'; simulque statutum fuit non posse Episcopum Clericum aliquem regularem ad altiores Ordines promovere contra votum Prælati sui, qui potest secreta crimina Religiosi cognoscere, ob quæ indignus sit elevatione ad gradum sublimiorem. *Ita in cap. 5. eodem Tit.*

16. Jamvero omnibus rite perpensis dicendum est, Tridentinum Concilium correxisse caput 4. *'De temporibus Ordinat.'* et extendisse ad Clericos sæculares dispositionem capitis 5., quæ exclusive erat pro regularibus. Et sane 1°. id eruitur ex principio invocato a Patribus Tridentinis, quod ipsis verbis concipitur ac exhibetur in cap. 5. *'De temporibus Ordin.'* Ergo quemadmodum in cap. 5. *'De temporibus Ordinat.'* sermo est de criminibus occultis taxative ita a pari dicendum est Tridentinum loqui solummodo de occultis criminibus non vero de publicis. 2°. Tridentinum alludens ad prohibitionem ascensus ad ordines altiores, et ad suspensionem a susceptis expresse nominat crimen occultum. 3°. Si voluisset concedere Episcopis facultatem procedendi extrajudicialiter ad Clericos suspendendos ex crimine publico, immutasset immo evertisset disciplinam veterem judiciorum hac in re, subjiciendo omnia arbitrio Præsulum ita ut nec locus esset appellationi. At hoc fecisse non præsumitur, tum quia expresse declarasset se corrigere et immutare velle antiquam hanc disciplinam, tum quia cum alias sermo est de puniendis criminibus publicis Clericorum ex. gr. Con-

cubinatus, Tridentini Patres determinant formam publicam procedendi, quæ servanda prorsus est ab Episcopis.

17. Accedit tandem resolutio S. Congregation. Concilii diei 22. Junii 1582, qua declaratum est Tridentinum Decretum correxisse cap. 4. tit. *'De temporibus Ordin.'* et ampliasse cap. 5. ejusd. tit. Ita nempe ut quod valebat pro regularibus, etiam ad sæculares Clericos extenderetur. Hinc quoties in S. Congregatione actum est de suspensione irrogata ex informata conscientia, et non servato ordine judiciali ob crimen publicum, suspensionis decretum irritum declaratum est. Ita in causa 'S. Severini' diei 19. Sept. 1778; ita in 'S. Agatæ Gothorum' 26. Febr. 1853 et 28. Maji ejusdem anni.

Quare relate ad publica crimina manet ordo procedendi publicus et juridicus, quoad vero occulta potest Episcopus extrajudicialiter et ex informata conscientia procedere ad suspensionem Clerici in ministerio suo, vel prohibere ascensum ad Ordines superiores.

18. Occultum vero crimen est 1°. illud quod in foro externo nec probari, nec condemnari potest; 2°. illud quod licet legitimis probationibus possit demonstrari, tamen id fieri non posset absque fidelium scandalo, et majori Clerici ipsius delinquentis detrimento.

Porro ex Tridentino pœna, quam potest Prælatus ex informata conscientia infligere Clericis duplex solummodo est nempe prohibitio ascensus ad superiores ordines, et suspensio in ministerio ordinum jam susceptorum.

19. Hæc vero suspensio adeo valet ut si Clericus suspensus eam spernens ministrat in ordine suo, incurrat irregularitatem. Quam quidem pœnam incurrit Clericus etiamsi videns decretum suspensionis laborare falso supposito recursum habuerit ad Apostolicam Sedem et interim ordinem exercuerit, quia recursus ipse non suspendit virtutem decreti Episcopalis.

20. At irregularitatem non incurreret clericus si ministraret in ordine suo post suspensionem datam ab Episcopo ex informata conscientia in crimine publico, quod tamen non subsistit. Ita respondit S. Congregatio Concilii in causa S. Agatæ Gothorum *'Suspen. irregular. et privat. Beneficii'* supra citata, Februar. et Majo 1853. Ratio est quia sententia ab Episcopo lata non solum est injusta ob crimen falso suppositum, sed etiam invalida quia contraria dispositioni Concilii Tridentini in *cap. 1. sess. 14. De Reform.*

21. Quæri posset quousque sese extendat potestas Episcopi in pœna suspensionis infligenda ex informata conscientia.

Concilium Tridentinum concedit Episcopo facultatem suspendendi Clericum delinquentem a suis ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis. Ergo Clericus ab Episcopo suspendi potest non solum ab ordine sed etiam ab officio.

22. Poteritne suspendi Clericus ex informata conscientia etiam a beneficio?

Authenticam responsionem non habemus. Verum duplex ratio suppetit pro affirmativa sententia. 1°. Beneficium datur propter officium. Igitur si pœna afficere potest causam finalem, poterit etiam effectum attingere. 2°. Licet pœna sit strictæ interpretationis, tamen facultas concessa ad puniendum est res favorabilis, quia est liberalitas quædam superioris concessa inferiori ut magis expedite possit suo munere fungi.

Titulus II.

De calumniatoribus.

1. Quod magis in accusationibus vitandum est, crimen est *Calumniæ*. Quare post titulum de accusatoribus statim præsens subnectitur titulus.

Calumniator ille est 'qui innocentem per malitiam falso eidem impacto crimine in judicium trahit'.

2. Juxta dispositionem juris Romani in *l. 8. Codicis h. t.*, calumniatores præter expensas quas accusato reficere tenebantur, notabantur infamia et pœna talionis mulctabantur.

Hodiernis moribus adhuc pœna infamiæ in usu est, pœna autem talionis obsolevit, et in ejus locum successit pœna extraordinaria prudente arbitrio judicis infligenda. In capite 1. h. t. contra Clericos calumniatores statuta est pœna depositionis, et exilii, sed ex contraria consuetudine factum est, ut etiam pro Clericis pœna extraordinaria servaretur, arbitrio judicis ecclesiastici relicta juxta culpæ qualitatem.

3. Calumnia juxta Gloss. in cap. 2. h. t. verbo *'Calumniandi'* præsumitur eo ipso quod accusator vel denunciator crimen nullo modo probaverit. Verum hæc præsumptio est solummodo juris, et proinde admittit probationem in contrarium sensum, immo concur-

rentibus adjunctis, potest concedi accusatori vel denunciatori canonica purgatio. Cap. 2. h. t.

4. Ad tituli nostri materiam referenda est Constitutio *'Sacramentum Pœnitentiæ'* data die 1. Junii anni 1741. § *'Et quoniam'* in qua Benedictus XIV. reservavit Summo Pontifici absolutionem illius personæ, quæ vel per se, vel studuerit vel procuraverit ut alius accusaret ad Tribunal Ecclesiæ de falso crimine sollicitationis ad turpia innocentem Confessarium, quod quidem peccatum calumniosæ accusationis est reservatum Romano Pontifici, quamvis nullam censuram unitam habeat. Idest casus hic est reservatus de se, et non propter censuram. Et quidem licet facta fuerit a calumniatore retractatio, tamen casus perseverat adhuc reservatus.

Titulus III.

De simonia.

1. Primum crimen, quod in specie exponitur in libro V. est simonia, quæ a Simone Mago Samaritano nomen traxit, de quo in Actis Apostolorum sermo instituitur cap. 8.

Antiquitus in canonibus crimen hoc appellatum est *labes* simoniaca, vel etiam *hæresis* simoniaca, et sæculis IX. et X. qui hoc vitio maculabantur dicti sunt hæretici. Forsitan antiquitus simonia dicta est hæresis, licet per se reapse hæresis non esset, quia Simon Magus post receptum Baptisma, admiratus virtutem Apostolorum operandi prodigia, arbitratus est se posse ab Apostolis pecunia emere virtutem miraculorum patrandorum; in quo erravit dicente Scriptura 'Gratis accepistis, gratis date'. Quare Apostoli rejecerunt consilium Simonis magi, et Petrus ei respondit 'Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri'. Sæculo autem IX. et X. Simoniaci appellati sunt hæretici non quia revera hæretici erant, non enim theoretice propugnabatur posse res spirituales pretio temporali comparari, in quo notio hæreseos consistit, sed Simoniaci dicti sunt hæretici, quia adeo excreverunt abusus simoniæ et numerus simoniacorum, ut publica plurimorum agendi ratio quodammodo videretur insinuare depravatum sentiendi modum, circa notionem et naturam jurium et bonorum spiritualium. Ex eadem ratione propagatorum abusuum in societate Christiana Clerici concubinarii appellabantur hæretici, licet in theoria concubinatus execraretur a fidelibus.

2. Simonia a divo Thoma definitur 'studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum pretio temporali, vel re pretio æstimabili'.

'*Studiosa voluntas*' dicitur non solum quia *deliberate*, sed etiam quia vitium Simoniæ præcipue procedit *ex callida voluntate* et *ex dolosi animi consilio;* unde fit ut Simonia inter excepta crimina recenseatur, quæ multum quidem nocent, at difficile in foro externo patere et demonstrari possunt. '*Emendi vel vendendi*'. Hæc verba assumuntur in sensu lato, quatenus quemcumque contractum vel pactum onerosum, vel tacitum vel expressum comprehendunt. Immo comprehendunt etiam contractus innominatos do ut des, facio ut facias etc., quia in hisce omnibus contractibus vel conventionibus, res temporalis dari vel promitti potest ea lege ut alter obligetur ad concedendum rem vel jus spirituale, ideoque adest semper correspectivitas inter rem temporalem et rem spiritualem.

Dicitur '*aliquid spirituale*'. Per hoc intelligitur non solum id quod est prorsus incorporeum, uti est gratia sanctificans, vel alia dona Spiritus Sancti, sed etiam quidquid ordinatur ad salutem æternam animarum, uti sunt Sacramenta, Officia Ecclesiastica et Sacramentalia.

Dicitur '*vel spirituali adnexum*' idest quidquid licet per se sit temporale, tamen prout emitur vel venditur habet connexionem in concreto inseparabilem ab aliqua re spirituali, uti sunt vasa consecrata quæ vendantur uti talia, beneficia, jus patronatus.

Dicitur tandem '*pretio vel re pretio æstimabili*'. Hæc verba pressius explicant indolem Simoniæ, quæ consistit in comparatione rerum ordinis superioris idest spiritualis, cum rebus ordinis inferioris, nempe temporalis, ita ut temporale sit velut correspectivum rei spiritualis, vel rei quæ spirituali adnexa sit. Jamvero posita hac comparatione, res spiritualis vilescit, et ex dignitate sua decidit induitque naturam rerum communium.

3. Pretium temporale a Doctoribus tripliciter distinguitur, et nomine *muneris simoniaci* designatur. Can. 114. caus. 1. q. 1. Hinc aliud est '*munus a manu*' aliud '*munus a lingua*' aliud '*munus ab obsequio*'.

Munus a manu indicat non solum pecuniam, sed etiam quamcumque *rem temporalem* sive *mobilem* sive *immobilem*, immo et *jura* quæ in mundo possidentur et suo valore sunt æstimabilia.

Munus a lingua exprimit *laudes, preces, intercessiones,* quæ ab aliquo in favorem et in utilitatem alterius fiunt cum pacto ut hic alter primo conferat aliquid spirituale, vel aliquid spirituali adnexum. Simonia in hoc casu verificatur, quia laudes, preces, intercessiones, utiles esse possunt et pretio æstimabiles. Hinc Simonia non est si quis precibus vel officiosis actibus compulsus beneficium confert etiam minus digno, relicto digniori.

Munus ab obsequio designat quodcumque *obsequium* vel *servitium temporale* præstitum cum eo pacto, ut ob obsequium vel servitium pretio dignum, vel in ejus compensationem concedatur bonum spirituale, vel aliquid spirituali adnexum. Hinc si famulatus præstetur domino ut ab eo obtineatur beneficium est locus pacto Simoniaco.

4. Qua in re animadvertimus simoniam verificari etiamsi nulla sit proportio inter rem temporalem et spiritualem. Attenditur enim solummodo animus comparandi rem spiritualem cum re temporali, non autem quantitas pretii, dummodo res temporalis etiam minima sit loco pretii rei spiritualis, simonia verificatur. Hinc Doctores dicunt, in Simonia non dari parvitatem materiæ. Quod principium demonstratur ex conceptu Simoniæ necnon ex Cap. 20. h. t. ubi Clericus qui sex solida pro sua ordinatione solverat, pœna perpetuæ suspensionis plectitur.

5. At diligenter inquirendum est utrum res temporalis minoris momenti præstita fuerit animo Simoniaco, idest cum intentione assequendi rem spiritualem. Nam si secus sit omnis suspicio Simoniæ exulat. Immo parvitas materiæ, seu rei temporalis per se, aliis exclusis, potest esse sufficiens indicium seu argumentum ad excludendam penitus labem simoniacam. Et ita explicatur textus capitis 18. h. t. ubi Innocentius ex modicitate rei temporalis præsumit eam non fuisse datam loco pretii, ut alter obligaretur ad concedendam rem spiritualem, sed datam fuisse ex liberalitate. Cum enim Strigoniensis Archiepiscopus electus esset et confirmatus, petiit pallium a Romano Pontifice. Cardinalis missus est ad ferendum pallium, qui cum in equitatu suo indigeret uno equo, eidem Cardinali unum equum Archiepiscopi frater dono dedit. Ex hac oblatione timuit Archiepiscopus, ne esset labe simoniaca infectus. Pontifex respondit longe abesse prorsus maculam simoniacam, quia præsumi non poterat Archiepiscopi fratrem ceu pretium pallii dedisse equum.

De divisione simoniæ.

6. Simonia alia est *juris naturalis* et *divini*, alia est solummodo *juris ecclesiastici.*

Ex jure naturali et divino positivo ceu vere simoniaca condemnata est comparatio rei *per se* spiritualis, vel adnexæ spirituali cum re temporali.

Juris ecclesiastici simonia est, quæ solummodo ab Ecclesia interdicitur. Ecclesia autem pœnis suis plectit quidem simoniam juris divini, sed etiam ultro procedit et jure suo positivo prohibet illos actus uti simoniacos, qui licet per se non importarent comparationem rei spiritualis cum temporali, tamen periculum est ne secum ferant eamdem comparationem. Hinc damnatio Ecclesiæ procedit ex periculo simoniæ juris divini. Hinc ex positiva lege Ecclesiæ nova species simoniæ agnoscenda est, quæ proprie dicitur simonia juris ecclesiastici.

7. Porro hujus simoniæ præcipue sequentes casus adsignantur. Primus verificatur in *permutatione Beneficiorum* facta auctoritate privata. Sane permutatio Beneficiorum per se non importat simoniam juris divini, etenim commutatur officium sacrum cum officio sacro, et jus temporale adnexum spirituali cum alio jure ejusdem generis. Attamen si fiat auctoritate privata, permutatio hæc ab Ecclesia uti actus simoniacus interdicitur. *Capp. 5. et 7. 'De rerum permut.'* Periculum enim esse potest ne interveniat pecunia vel alia res temporalis, et uni alterove permutanti constituatur correspectivum pretium cessionis beneficii sui. Secundus casus simoniæ juris ecclesiastici locum habet cum a duobus collitigantibus circa aliquod Beneficium transactio ineatur auctoritate privata. *C. 4. 'De pactis'* et *cap. 4. 'De transactionibus'*. Etenim etiam in hoc casu periculum verificatur simoniæ juris divini.

Tertius casus est *renunciatio* Beneficii in favorem tertii. *Glossa in cap. 'Dilecto. De Præb.' Reiffenstuel. De Renunciat. § 5. n. 108.*

8. Secunda divisio simoniæ præsertim in ordine ad pœnas ecclesiasticas est ut alia sit *mentalis*, alia *conventionalis*, alia *realis.* Tria enim juxta Doctores considerari possunt in Simonia, nempe *interna voluntas, pactum* exterius initum, et vel verbis vel signis expressum, *adimplementum initi pacti.*

Mentalis simonia non consistit in solo animo simoniaco, idest in sola interiore intentione comparandi spiritualia cum temporalibus, nam canonicæ leges prohibentes et punientes simoniam, non diriguntur ad actus mere internos, sed ut habeatur simonia mentalis, requiritur exterior intentionis manifestatio, facta verbis vel signis, ita tamen ut altera pars vel non cognoscat intentionem simoniacam, vel saltem ratam non habeat. De hac specie simoniæ loquitur caput 34. h. t. ubi Innocentius III. ut indicet necessitatem manifestationis intentionis internæ invocat principium 'Nobis datum est de manifestis tantum judicare.' Hinc in cap. ult. h. t. Gregorius IX. de animo simoniaco exterius non manifestato ait 'in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori'. Igitur ut habeatur mentalis simonia, requiritur manifestatio externa interioris intentionis. Simplex autem sufficit manifestatio, nam si accederet ratihabitio, seu approbatio alterius partis, simonia mutaret speciem.

Ut autem simonia mentalis verificetur, requiritur ut tale sit obsequium, servitium, vel opus, quod revera influat in animum personæ quam quodammodo obligat ad concedendum jus vel bonum spirituale, vel aliquid adnexum spirituali. Unde Glossa in cap. 12. h. t. verbo *'promiserat'* ita scribit: 'Potest ergo licite quilibet servire Episcopo, vel alii spe futuræ remunerationis ..... dummodo *principaliter* hac intentione non serviat, nec Episcopus *directe* pro hoc servitio ei providere in beneficio intendat, cum ex debito ei non teneatur.'

9. Hinc si intentio simoniaca ab uno manifestata ab altero acceptetur, fit locus simoniæ secundi generis idest simoniæ conventionali, quæ nihil aliud exprimit quam pactum inter duas personas positum et acceptatum, præstandi aliquid temporale pro re spirituali vel pro re adnexa spirituali concedenda.

De simonia conventionali tractat caput 12. h. t.

10. Tandem realis simonia locum habet, quando pactum simoniacum, utrinque receptum, fuerit etiam executioni mandatum, videlicet est ipsa solutio pecuniæ, vel præstatio rei temporalis pro re spirituali, aut spirituali adnexa. Re enim ipsa facta est comparatio inter spiritualia et temporalia.

11. Supra enunciatæ species simoniæ locum habere possunt in qualibet re vel jure spirituali. Datur autem et alia species simo-

niæ, quæ propria est et verificatur in solis beneficiis, quæque appellatur *simonia confidentialis,* vel *confidentia simoniæ in beneficiis.* Hæc simonia damnatur in Bulla *'Intolerabilis'* S. Pii V. edita d. 11. Junii et 14. Novembris 1569, quæ est n. 82. inter Constitutiones ejusdem Pontificis.

Jamvero locum habet hæc species simoniæ, cum quis alteri procurat beneficium ecclesiasticum quocumque modo a canonibus recognito, scilicet vel eligendo, vel præsentando, vel conferendo, vel resignando in ejus favorem beneficium, sub eo pacto vel lege confidentiæ expressa aut tacita, ut is qui obtinuit beneficium suo tempore cedat vel resignet in favorem procurantis ipsius, vel alterius personæ ei benevisæ, aut pensionem ex beneficii fructibus solvat. Diximus eo *pacto* vel *lege;* nam si quis alteri procuret beneficium solummodo sub spe non autem animo obligandi illum ad cedendum sibi vel alteri beneficium ipsum, aut ad pensionem præstandam, non est casus simoniæ confidentialis, nec est locus pœnis confidentialis simoniæ subeundis. Est tamen dispositio specialis in simonia confidentiali, quoad pœnas incurrendas; videlicet ad subeundas pœnas sufficit si conventio simoniaca sit impleta etiam ab una tantum parte. Idest non requiritur simonia realis, sed sufficit conventionalis mixta cum reali. Diximus *beneficium ecclesiasticum;* nam si eædem conditiones confidentialiter verificarentur in pensione vel alio jure ecclesiastico procurando, esset utique casus simoniæ communis, non autem confidentialis.

12. Porro confidentialis simonia in ecclesiasticis beneficiis speciali modo solet considerari in reservatione *accessus, ingressus,* vel *regressus* ad beneficium.

Et primo quidem quis accedit ad beneficium quando eligitur vel præsentatur ad beneficium. Quare simonia confidentialis committitur per reservationem *accessus,* quando quis alteri procurat beneficium, vel eligendo, vel præsentando cum pacto confidentiali, ut electus vel præsentatus suo tempore a beneficio recedat, et ipse procurans vel alia persona sibi benevisa eligi vel nominari possit ad illud beneficium. Ex. gr. Patronus, quia non potest hic et nunc præsentare filium suum, qui defectu ætatis laborat; nominat alium Clericum cum pacto secreto, ut quando filius idoneus erit, clericus ille beneficio renunciet et patroni filius ad beneficium præsentari possit.

13. Ingreditur quis beneficium quando illud assequitur per collationem liberam, vel per institutionem post nominationem patroni vel etiam per confirmationem electionis. Quapropter reservatur simoniace ingressus in beneficium, quando quis sive per liberam collationem, sive per institutionem, sive per confirmationem procurat alteri beneficium sub ea conditione confidentiali, ut provisus beneficio tempore suo renuntiet et ipse procurans, vel alia persona sibi benevisa beneficium ingredi possit. Ex. gr. Episcopus habet nepotem, qui nunc ob aliquem defectum beneficium nequit obtinere. Unde beneficium alteri clerico confert ea lege, ut hic alter beneficio renunciet, quando nepos ille idoneus factus fuerit ut eidem beneficium conferre possit.

Reservatur pariter simoniace ingressus, cum quis beneficium sibi collatum sed nondum possessum dimittit vel alteri resignat sub ea conditione et pacto, ut hic alter suo tempore a beneficio recedat, vel etiam si hic provisus demoriatur, aut beneficium quomodocumque vacet ipse dimittens seu renuncians, aut persona sibi benevisa possit beneficium ingredi.

14. Reservatur regressus in beneficium, quando quis beneficium receptum et possessum dimittit vel resignat alteri, ita tamen ut qui beneficium obtinet suo tempore beneficio renunciare debeat, vel si beneficium quomodocumque vacet, beneficium ipsum redire debeat ad eundem dimittentem vel resignantem, aut de eodem beneficio provideri debeat persona sibi benevisa, hoc præmoriente, vel beneficium deserente remaneat sibi jus beneficium ipsum obtinendi et possidendi.

De pœnis statutis contra simoniam.

15. Crimen simoniæ sive ea sit realis sive mentalis, sive conventionalis damnatur a jure naturali et positivo-divino. Hinc sanctio propria utriusque juris ipsam etiam simoniam cujuscumque generis afficit. Insuper autem jus ecclesiasticum simoniam vehementer reprobans, adversus simoniacos pœnas canonicas constituit.

Si quæratur vero utrum contra singula genera simoniæ militent pœnæ canonicæ, dicimus contra simoniam mentalem, et contra conventionalem imo nec contra simoniam conventionalem mixtam, quando scilicet ab una parte conventio fuerit executioni mandata, pœnas canonicas non fuisse statutas.

Nam ecclesiasticæ leges statuentes pœnas in hac materia mentionem faciunt de solutione et receptione, quæ ex pactis simoniacis proveniunt *(cf. cap. 8.* necnon *Extravagg. 1. et 2. eod. tit. inter communes).*

Hinc inspectis sacris canonibus pœna ecclesiastica plectitur solummodo simonia realis, quæ considerata est proprie ceu crimen publicum revera nocens christianæ societati, dum binæ aliæ species simoniæ, licet in ratione simoniæ coram Deo, idest sub ratione culpæ completæ sint, potius uti conatus ad crimen consideratæ sunt.

16. Excipitur tamen negotium electionis Summi Pontificis, quod cum maximi momenti reputatum sit, in Ecclesia peculiaribus dispositionibus regitur. Hinc ex Constitutione Julii II. *'Cum tam divino'* in electione Romani Pontificis pœnis subjiciuntur promissiones et resignationes.

S. Pius V. ob abusus quotidie crescentes in collationibus beneficiorum suas pœnas statuit contra simoniam confidentialem, etiamsi ab una solum parte fuerit conventio observata.

Præstat vero animadvertere pœnas a legibus ecclesiasticis statutas, *ipso jure* plectere crimen simoniæ specifice in susceptione ordinum, in beneficiis ecclesiasticis et in ingressu in religionem. Etenim de hoc triplici simoniæ capite loquuntur Canones et præsertim Extravagantes citatæ necnon Bulla S. Pii V. *'Cum primum'*. Hinc simonia alia in materia punienda ab Ordinario loci dicitur in ead. Bulla S. Pii.

17. Et I°. *Relate ad ordines: suscipiens* ordines per realem simoniam *ipso facto* decernitur suspensus a suorum ordinum executione. Ita in Extravag. 2. h. t. inter communes; in qua renovantur contra simoniacos pœnæ veterum Canonum. Ex quo intelligitur quomodo ordinationes simoniacæ in antiquis Canonibus *vacuæ* dicantur. Ordinatio simoniaca utique valida est, nam substantialia ordinis verificantur, et uti talis revera agnita est in Ecclesia. Nam in ipsis Canonibus de simoniace ordinatis dicitur ipsos haberi uti valide ordinatos, dummodo obtineant absolutionem a censuris. Igitur factæ ordinationes valebant. Vacuæ autem ordinationes simoniacæ dictæ sunt, tum quia non concedebant ordinis exercitium, tum quia non concedebant jus ad assequendam ab Ecclesia stationem, et congruam portionem fructuum bonorum ecclesiasticorum. *Conferens* autem ordines simoniace, incurrit *ipso facto* suspen-

sionem a collatione cujuscumque ordinis etiam primæ tonsuræ ad triennium *cap. 45. h. t.* Accessit Constitutio Sixti V. *'Sanctum et salutare'* 5. Januarii 1588 in qua statuit Pontifex suspensionem hanc esse perpetuam, simulque contra collatorem ordinum simoniacum decernit interdictum ab ingressu in Ecclesiam, et utramque pœnam suspensionis scilicet et interdicti esse Papæ reservatam. Quod si simoniaci *collator* vel *suscipiens* ordines violaverint suspensionem, non solum contrahunt irregularitatem juxta capp. 1. et 20. *'De Sent. excommunicat.' in VI.,* sed etiam si sit Clericus sæcularis, ex præscriptione Sixti V. incurrit privationem officiorum et beneficiorum, quæ beneficia Papæ reservantur. Si vero Clericus sit regularis incurrit privationem vocis activæ et passivæ et inhabilitatem ad eam recuperandam absque Papæ dispensatione.

18. Quæritur utrum istæ pœnæ (contra simoniam in collatione Ordinum admissam) adhuc vigeant.

In Constitutione *'Apostolicæ Sedis'* Pii IX. expressa mentio istarum censurarum non habetur. Verum ipsa Constitutio declarat confirmari censuras latas a Concilio Tridentino. Jamvero in *sess. 21. cap. 1. De reformatione* prohibetur quominus in ordinationibus aliquid detur vel recipiatur etiam sponte oblatum, ita ut si quis contraiverit huic dispositioni, ipso facto incurrat pœnas a veteribus Canonibus inflictas contra simoniacos. Notandum autem est Tridentinum aliquando censuras expresse infligere, aliquando uti verbis generalibus invocando scilicet, seu commemorando et renovando pœnas ab antiquis canonibus constitutas.

Nullum dubium est per Constit. *'Apostolicæ Sedis'* confirmari censuras a Tridentino *expresse* et *directe* inflictas. At quid dicendum est de Censuris, quas idem Concilium verbis tantummodo generalibus, seu invocando veteres canones decernit?

Authentica responsio huic quæstioni data non est. Nos autem arbitramur istas censuras non comprehendi in Const. *Apostolicæ Sedis,* sequentibus ducti rationibus.

I. Scopus hujus Constitutionis fuit ut *determinaretur* numerus censurarum et obviaretur incommodis quæ ex incertitudine circa hanc materiam derivabant. Hoc patet ex verbis Pontificis 'Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, Nobis proponi jussimus'.

Hinc S. Pontifex plenam recensionem conficit censurarum, quas vult permanere in suo robore. Jamvero si adhuc vigerent

censuræ omnes ad quas verbis generalibus alludit Concilium Tridentinum adhuc haberentur eadem incommoda, nec certus et determinatus esset censurarum numerus.

19. Ad rei confirmationem animadvertere præstat, quod quæstio fieri potest et revera facta est, quasnam inter varias pœnas antiquiores et recentiores in usum revocaverit Tridentinum. Sic ex. gr. Concilium in casu clerici ordinati absque titulo renovat pœnas antiquorum canonum; sed juxta antiquissimos canones, et præsertim canonem *'Neminem' dist. 79.* ordinatus sine titulo erat ipso facto suspensus et ordinatio ejus vacua et irrita dicebatur. Innoc. III. autem in cap. *'Cum secundum'. De præbendis,* correxit rigorem canonum veterum et pœnas statuit potius contra Ordinantem decernens ipsum teneri ad Clericum sustentandum de suo, quoadusque non haberet aliunde ex quo viveret. Quæsitum igitur fuit quas ex istis pœnis, renovaverit Concilium Tridentinum, et S. Congregatio Concilii respondit renovatam fuisse dispositionem Innocentii III. *(Cf. Bened. XIV. Inst. eccl. 26.)*

Quod dictum est de ordinatis absque titulo, potest etiam repeti circa alios casus in quibus Concilium Tridentinum renovat antiquos canones. Quapropter si in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* comprehendi deberent censuræ ad quas appellat Sacros. Concilium verbis generalibus, non haberetur illa determinata censurarum recensio, quam Pius IX. conficere sibi proposuit.

20. II. Constitutio citata ita loquitur ut confirmet censuras, quas decrevit Tridentinum Concilium. Jamvero quando Tridentinum renovat pœnas antiquorum canonum, non est ipsum quod pœnas decernit, sed potius canones antiqui sunt, qui pœnas decernunt; Tridentinum solummodo commemorat, renovat, approbat. Quapropter juxta modum loquendi in Romana Curia receptum, censuræ illæ, quas per verba generica exhibet Tridentinum, non dicuntur revera censuræ a Tridentino inflictæ, sed citantur tamquam censuræ veterum canonum, vel alicujus constitutionis Pontificiæ, quæ per prima ejus verba indicatur. Ergo per Const. *'Apostolicæ Sedis'* confirmantur solummodo Censuræ, quas Tridentinum directe et explicite constituit.

21. III. Concilium Tridentinum in *sess. 24. c. 14. De Reform.* contra simonias commissas in beneficiis renovat pœnas veterum canonum, et ideo si censuræ ab eodem Concilio per verba generalia expressæ, continerentur in Constit. *'Apostolicæ Sedis'.* dum

illa Constitutio confirmat censuras Tridentinas, jam necesse non fuisset in ipsa Constitutione specialem articulum ponere, quo censura excommunicationis contra simoniam realem decerneretur. Nam in *Extrav. 2. inter communes h. t.* contra simoniam realem decernitur excommunicatio et ceteroquin Tridentinum modo generali renovavit antiquas pœnas contra simoniam. Atqui inter excommunicationes latæ sententiæ R. Pontifici reservatas simpliciter in Constit. '*Apostolicæ Sedis*' n. 8. habetur censura contra reos simoniæ realis in beneficiis. Igitur ut censuræ veterum canonum ad quas generice Tridentinum alludit, vim habeant, necesse est, ut expresse referantur in ipsa Constitutione, ita ut silentium in hac re exhibeat argumentum abrogationis hujusmodi antiquarum censurarum.

Jamvero Constitutio '*Apostolicæ Sedis*' silet tum de censura suspensionis, tum de censura interdicti in hypothesi ordinationis simoniacæ. Ergo istæ censuræ amplius non vigent et per consequens immutatum est antiquum jus. Ratio immutatæ disciplinæ quoad sacram ordinationem hæc esse videtur, quia nempe hodiernis moribus cum sacra ordinatio per se non importet jus ad beneficium obtinendum, sed satis sit titulus sufficiens sacræ ordinationis, recessit generice periculum criminis simoniæ in ordinibus conferendis, et de facto non verificantur, saltem frequenter, casus simoniæ criminis admissi in collatione sacrorum ordinum.

22. *II. De simonia relate ad beneficia.* Quævis collatio beneficii *ipso jure* est nulla, si simoniace est facta. Ita in cit. *Extrav. 2. h. t. et cap. Mattiacus 23. h. t.* Hæc provisio beneficii est nulla, licet simoniæ reus non fuerit ille, qui assequitur beneficium, sed extranea persona. Sane in cap. 23. h. t. species proponitur de Clerico electo a majori parte Capituli, contradicentibus nonnullis Capitularibus, cujus electio esset a Superiore confirmanda. Qui obstiterant electioni volebant etiam difficultatem objicere confirmationi. Electus nihil egit, sed ejus amicus principi discordiæ, sciente nec contradicente ipso electo, solvit quamdam pecuniæ summam, ut recederet ab oppositione facienda et reapse tacuit. Quare electus confirmationem obtinuit. Deinde vero conscientiæ stimulis agitatus interrogavit Romanum Pontificem quid sentiendum esset et faciendum in casu et Romanus Pontifex respondit optime eum facturum si renunciaret Episcopatui simoniace suscepto. Ex hujus capitis dispositione deducunt Auctores simoniam

ita afficere valorem provisionis beneficii ut carentia simoniæ induat quodammodo naturam conditionis sine qua non. Idest simonia nullam reddit provisionem beneficii licet non committatur a collatore beneficii, seu in genere ab eo, qui partem habet, sive directam sive indirectam in collatione, nec pariter committatur a persona provisa de beneficio, sed committatur a tertia persona.

23. Hac in re Doctores nonnulla principia statuunt. Videlicet simonia commissa a persona tertia invalidat provisionem 1°. quando ille in cujus favorem commissa est, ratam habet simoniam. *Cap. 33. h. t.;* 2°. quando idem cognoscens simoniam, nec eam admittit, nec eidem positive contradicit; *cit. cap. 23. h. t.* Hinc si quis aperte resistat solutioni pecuniæ et crimini simoniæ in sui favorem patrato, non subjicitur pœnæ nullitatis provisionis. 3°. Nocet simonia etiam ignorantibus, quando in eorum commodum fuit commissa; *cit. cap. 33.* quia attenditur factum simoniæ. At excipitur casus quo tertia persona simoniam admittat in fraudem provisi de beneficio. In hac enim hypothesi ne fraus et dolus alicui prosit, merito sustinetur provisio. Exemplum fraudis hoc est. Titius prævidet Cajum assecuturum fore aliquod beneficium, ut nullam reddat collationem pecuniam solvit. Hæc solutio pecuniæ non irritat collationem; *cap. 27. h. t.*

24. Secunda pœna est ut qui recipit simoniace beneficium non solum illud dimittere teneatur et fructus restituere, sed etiam fiat perpetuo inhabilis ad idem beneficium obtinendum. Hæc conclusio colligitur aperte ex cap. pen. *De elect. ex cap. 27. h. t.* Clare autem traditur in Constit. S. Pii V. *'Cum primum'* 3ª. in ordine Constitutionum ejusdem Pontificis.

25. Tertia pœna. Si attendatur tenor cit. Constit. simoniace provisus fit etiam inhabilis ad quælibet alia beneficia obtinenda. Sed doctores animadvertunt hanc pœnam juxta usum legitime præscriptum non observari neque urgeri posse in ipso foro conscientiæ, nisi præcesserit sententia judicis saltem declaratoria criminis simoniæ.

26. Quarta pœna simoniæ in beneficiis est ut simoniace provisus privetur per sententiam judicis quolibet alio beneficio, quod possideat. Ita Doctores juxta caput satis clarum *2. De confessis.*

Dixi 'per sententiam judicis' — nam locutio Pontificis indicat pœnam infligendam, non autem inflictam; sane ibi legitur *'beneficio et officio esse deponendum'.*

27. Quinta pœna est depositio a ministerio altaris, quæ tamen pœna non incurritur ipso jure, sed infligi potest ab auctoritate judicis. Ita in *cap. 11. h. t.* et in *can. 'Erga simoniacos' caus. 1. q. 1.*

28. Sexta pœna. In *Extrav. 'Cum detestabilis' h. t. 2. Inter comm.* tum contra collatorem, tum contra provisum simoniace de beneficio statuitur pœna excommunicationis latæ sententiæ. Pœna hæc renovata est in Const. *'Apostolicæ Sedis'* in qua inter excommunicationes latæ sententiæ Papæ simpliciter reservatas, sub n. 8. legitur inflicta excommunicatio contra *'reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices'.*

29. Septima pœna. Provisis de beneficio per ingressum simoniacum non prodest regula 36ª. Cancellariæ Apostolicæ de triennali possessione. Regula hæc ita se habet: 'Si quis beneficium ex titulo nullo ob vitium occultum obtinuerit, et per triennium continuum illud pacifice possederit, non poterit ex illo exturbari, sed habetur tamquam legitimus possessor beneficii, quia ipsa triennalis pacifica possessio tenet locum tituli canonici ad beneficium obtinendum. Verum si possessor beneficii illud obtinuerit per ingressum simoniacum, triennalis possessio non prodest ei'.

30. Quæritur utrum ad effectum triennalis possessionis idem sit dicendum de simonia admissa ab ipso possessore et de simonia admissa a tertia persona. Nonnulli auctores attendentes solum factum simoniæ, tradunt nocere etiam simoniam a tertia admissam persona. At magis veritati consona est sententia aliorum, qui tenent possessori haud nocere simoniam ab alio commissam, si ab ea ipse possessor fuerit extraneus. Nam in jure possessio non prodest, quando possessio vitiatur ex culpa possessoris ipsius. Hoc enim in casu præsumi nequit bona fides, sine qua legitima possessio non admittitur. Quare possessio absque personali debito possessori prodest. Allatum principium probatur ex Concilio Tridentino, quod alludens ad utilitatem derivantem ex possessione, tradit possessionem non suffragari Parochis et Canonicis, quoties distulerint emittere professionem fidei ultra bimestre, idest possessio non prodest, quando ex culpa possessoris illegitima reddatur. *Sess. 24. De Ref. cap. 12.* Hæc de pœnis contra simoniam in beneficiis dicta sint.

31. Quæritur utrum simonia eodem modo noceat quoad omnes pœnas expositas.

Profecto nullitas provisionis procedit ex simonia, sive ipsa committatur a recipiente beneficium, sive etiam ab alio. Duo solummodo casus excipiuntur. 1°. Si in fraudem provisi a tertia persona fuerit commissa; 2°. si provisus restiterit et impediverit eo modo, quo potuit, ne factum simoniacum poneretur. Hisce duobus seclusis casibus, provisio simoniaca de beneficio aliquo est semper nulla, quia intentio sacrorum canonum est ut prorsus arceatur a re beneficiali simonia et pro æstimanda validitate provisionis legislatio canonica non magis respicit personalem culpam in simonia committendam, quam ipsum factum simoniacum, quod debet abesse ut valeat provisio de beneficio. Hinc nullitas provisionis non est tantum pœna criminis simoniæ quantum potius necessaria consequentia defectus conditionis.

At si sermo sit de proprie dictis pœnis ut sunt excommunicatio, inhabilitas ad beneficium simoniace obtentum, et ad alia beneficia etc. pœnæ hujusmodi non infliguntur absque personali crimine simoniæ. Quapropter nullitas provisionis inducitur etiam contra ignorantes, juxta superius dicta, reliquæ autem pœnæ eos tantum afficiunt qui simoniæ aliquo modo participes fuere.

32. Quæritur utrum quoties in provisione beneficiorum aliquid temporale interveniat, semper provisio uti simoniaca haberi debeat, et supra expositæ pœnæ locum habeant.

Profecto si aliquid temporale promittatur, et præstetur tacito vel expresso pacto aut motivo ut beneficium conferatur, vel præsentatio fiat, aut electio ad beneficium, nemo non videt veram simoniam locum habere. *Capp. 27. et 23. h. t.*

33. Dixi 'aut motivo' — nam damnata est propositio contraria ab Innocentio XI., quæ inter alias propositiones damnatas refertur hisce verbis sub n. 45. 'Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale'.

34. Simonia etiam verificatur quando præstatur aliquid temporale pro spirituali aut viceversa, ex titulo gratuitæ compensationis. Ita ex citata damnata propositione 45. quæ ita se habet in secunda parte 'Dare temporale pro spirituali non est simonia quando temporale sit solum gratuita compensatio aut e contra'.

35. Simonia autem non est si post acceptum beneficium ex grati animi sensu, aliquid temporale præstetur. Idem dicendum

viceversa, si post acceptum aliquid temporale, beneficium ex sola grati animi ratione conferatur, quia actus posterior non colligatur cum actu priori, media aliqua relatione pacti, conditionis, vel motivi, sed actus prior positus est pure et simpliciter absque ulla intentione procurandi actum posteriorem.

36. In resignatione autem beneficiorum simonia committitur 1°. quoties verificatur pactum, conditio vel motivum, uti supra; 2°. juris ecclesiastici saltem simonia committitur, si renunciatio fiat privata auctoritate et simul interponatur conditio, pactum vel modus. Ita ex tit. *De renunciatione.* Hinc simonia est si renunciatio fiat sub pacto, ut renunciatarius resignanti expensas reficiat, quæ factæ sint in provisione beneficii.

37. Quid si sermo sit de permutatione beneficii? Sciendum est in ipsa locum habere simoniam saltem juris ecclesiastici, quoties fiat privata auctoritate, et præsertim si addatur pactum aliquod, vel conditio, ex. gr. si permutatio fiat inæqualium beneficiorum, et majus beneficium compensetur per aliquam portionem fructuum seu pensionis solutionem.

38. Quæritur utrum quis possit absque periculo simoniæ pecuniam solvere ad redimendam vexationem, idest ad removenda impedimenta et obstacula, quæ ab aliis injuste ponantur ut impediant vel juris assecutionem, vel juris exercitium.

Distinguunt Doctores tres hypotheses. Agi enim potest, 1°. de redimenda vexatione contra exercitium juris plene habiti; 2°. de redemptione vexationis contra assecutionem juris plenam seu beneficii; 3°. de redimenda vexatione contra primam assecutionem juris seu beneficii.

39. Relate ad primam hypothesim, quando jus certo fuit acquisitum in beneficio, vel per electionem aut postulationem et confirmationem, vel per nominationem et institutionem, vel per liberam collationem, potest ad redimendam vexationem pecunia vel aliud temporale solvi, quin ulla suspicio simoniæ interveniat. Ita *cap. 28. h. t.* Quamvis enim solutio injusta sit, ita ut vexator injuste retineat sibi acceptam pecuniam, tamen Clericus, qui pecuniam solvit, revera simoniacus non est, quia per solutionem nihil aliud in jure suo acquisivit, hinc pecunia non solvitur pro jure spirituali, quod jam acquisitum supponitur, sed pecunia solvitur pro alia re temporali, nempe pro removendis obstaculis, quæ ex iniqua vexatione posita sunt.

40. Huc referri potest quæstio utrum Clerici possint persolvere actum obsequii erga auctoritatem civilem, ut ab eadem obtineant *'Regium placitum vel Regium exequatur'* in beneficiis, ex legitima concessione jam sibi pleno jure competentibus*). Sciendum enim est in aliquibus regionibus Gubernium expostulare ab Episcopis et Clericis diploma authenticum propriæ provisionis, ut illud muniant civili approbatione, antequam sacri muneris exercitium suscipiant, vel saltem antequam possessionem bonorum temporalium beneficii obtineant.

41. Procul dubio, qui exigunt hoc obsequium Clericorum injuste illud exigunt. Ipsi enim manus apponere nequeunt in re beneficiali, et in rebus spiritualibus, nec in dubium ponere possunt concessionem beneficii et jurisdictionis canonice datam. Quare hæc exigentia Gubernii sæcularis considerari potest ceu injusta vexatio contra exercitium juris ecclesiastici plene obtenti. Ob hanc rei notionem viderentur Episcopi et Clerici diploma canonicæ concessionis offerre civili auctoritati ad obtinendum 'Regium exequatur' omnimode posse; nam hæc oblatio induit indolem medii cujusdam ad redimendam injustam vexationem.

42. At nihilominus in genere non licet hoc obsequium submissionis præstare, quia per hoc obsequium ministri Ecclesiæ facto suo viderentur agnoscere dependentiam aliquam et subordinationem ipsius Ecclesiæ erga potestatem civilem in collatione beneficiorum, et in exercitio jurisdictionis spiritualis. Quamvis ergo liceat pecuniam solvere aut aliud temporale ad redimendam vexam, non videtur in genere licere præstare obsequium petitionis *'regii exequatur'*.

43. Hoc dicendum est inspecta quæstione juris in genere. Nam calamitas temporum et agendi ratio civilis Gubernii potest ita revera statum in concreto immutare, ut nequeat Clericis prohiberi, quominus ad vitanda majora mala, obsequium cujusdam submissionis potestati laicæ exhibeant. Factum est enim ex agendi ratione alicujus præsertim Gubernii, ut nisi ab auctoritate ecclesiastica Clericis concederetur facultas petendi *'regium exequatur'* ordo et disciplina Ecclesiastica subverteretur. Nam Parœcia absque Plebano, chorus absque Canonicis remaneret, et Diœcesis facile

*) Vide Cavagnis Jus publicum Eccles. lib. III. cap. I., quo hujus abusus originem, vicissitudines et injustitiam fuse exponit.

Episcopo suo privaretur. Quare ob obstinatam voluntatem Gubernii subintrat ratio vitandi majus malum, ob quam rationem Pontifex concedit facultatem exposcendi *'regium exequatur'*. Et quidem si de minoribus Clericis et Beneficiis sermo sit, habemus praxim Apostolicæ Sedis, qua cautum est, istos Clericos non esse inquietandos, si a sæculari potestate postulent 'regium exequatur' pro pacifica possessione beneficii, sive illud sit simplex, sive sit duplex.

44. Relate ad Prælatos, seu Episcopos et Abbates nullius cum jurisdictione quasi Episcopali Sancta Sedes nullam dedit regulam, pro locis in quibus ratione Concordati non adsit speciale jus. Pro Italia autem in specie servatum est contrarium fere usque ad præsens tempus. Sed res immutata est per decisionem Supremæ Inquisitionis diei 2. Novemb. 1876, in qua dictum est 'Tolerari posse' ut etiam Episcopi aliique Prælati Ecclesiarum *'Regium exequatur'* expostulent a civili Gubernio. Hæc dicta sint de redimenda vexatione in exercitio juris jam plene acquisiti.

45. Nunc ad secundam *hypothesin*. De redimenda vexatione, quoad acquisitionem primam juris, ex. gr. per electionem, vel per nominationem, et quoad acquisitionem plenam juris, quæ fit per collationem, confirmationem, vel per institutionem canonicam.

46. Inprimis autem animadvertimus utramque assecutionem fieri posse per *actum collegialem*, vel per *suffragia personarum singillatim* sumpta. In secunda hypothesi simonia commissa cum una persona, non inficit ipsam assecutionem. Nam actus singularis simoniacus seipsum vitiat, non autem actum aliorum. At si actus sit collegialis simoniacum suffragium unius afficit actum integrum totius collegii, quia actus unius personæ non potest seorsim considerari, sed est pars solidalis totius. Quare vitium in uno suffragio inficit ipsam assecutionem, vel primam vel plenam juris, et per consequens simonia ab uno de gremio collegii commissa, reddit simoniacam ipsam resolutionem collegii.

47. Hisce positis dicimus non licere neque pro prima, neque pro plena assecutione juris aliquid temporale solvere ad redimendam vexationem. Nam, quoniam jus adhuc non possidetur, solutio per se inspecta dicit relationem ad obtinendum jus ipsum, et per consequens videtur subingredi comparatio inter jus spirituale assequendum, et rem temporalem. Cap. 23. h. t.

48. Ut autem magis specifica solutio detur, distinguunt doctores modum, quo ille, qui vexationis causa est, influere possit in actum

Si quidem aliquis obesse potest et prodesse, aliquis solummodo obesse. Ille obesse potest simul et prodesse, qui est revera collator beneficii, vel patronus; vel si de actu collegiali sermo sit, potest suffragium suum dare, vel e contra negare suffragium suum, et alios impedire, ne Clericus ab aliis nominetur vel eligatur. Obesse autem tantum potest ille, qui facto suo impedire potest quominus Clericus a collatore beneficium obtineat, vel nominetur vel eligatur. Procul dubio simoniacum est pecuniam solvere, vel aliud temporale exhibere ad redimendam vexationem positam ab eo, qui obesse simul et prodesse potest, quoad primam vel plenam assecutionem beneficii, vel alterius juris, quod nondum obtentum erat.

Nam licet pecunia dirigatur ad redimendam vexam, tamen realis et verus scopus est flectendi voluntatem collatoris, vel alterius, qui partem directam habet in concessione juris simulque obtinendi jus spirituale, interveniente re temporali. Hinc in cap. 23. h. t. confirmatio vitio simoniaco infecta dicta est, quia pecunia data fuerat principi discordiæ ut taceret vel desisteret ab oppositione, qua in re poterat obesse resistendo electioni, et etiam prodesse poterat sese favorabilem exhibendo in processu, quem Metropolitanus conficere solebat antequam confirmationem concederet.

49. Quodsi quis posset solummodo obesse, non autem prodesse, tradunt Doctores injustam et irrationabilem vexam posse redimi facta solutione pecuniæ vel præstatione alicujus rei temporalis sive agatur de beneficii vel juris prima assecutione, sive agatur de plena acquisitione juris, aut beneficii. Ex. gr. si quis vi vel fraude detineret electorem ne suffragium daret, vel si calumnias in vulgo spargeret contra personam eligendam, poterit pecunia solvi, ut hic injustus vexator abstineat a vexatione facienda. Nam pecuniæ solutio vel præstatio rei temporalis, non dirigitur ad obtinendum jus spirituale, quia vexator positive nec conferre jus potest, nec disponere et præparare assecutionem juris, sed dirigitur proprie ad removendum obstaculum injuste oppositum. Quare comparatio fit inter impedimentum oppositum et rem temporalem. Et sane ex eo quod injusta vexatio illius, qui solummodo obesse potest tollatur, non inde sequitur positiva assecutio juris. Nam non erat vexator qui poterat conferre vel concurrere in collatione juris. Sublata etiam vexatione, qui jus habent vel eligendi, vel conferendi etc. adhuc possunt denegare proprium suffragium vel collationem etc. ei qui pecunia vexam redemit.

50. Accedit et alia ratio. Cuique præsto est et competit legitima facultas impediendi injusta molimina contra seipsum parata, suumque jus et bonum nomen protuendi, ab iniquis calumniis contra seipsum objectis vel objiciendis. Hic autem scopus obtineri potest vel invocando auctoritatem publicam, vel pecunia mulcendo adversarios. Nemo condemnabit eum, qui ut molestias et incertos judicii exitus devitet, ab iniquis machinationibus vel calumniis parandis adversarium pecunia removet.

De pœnis contra simoniam confidentialem.

51. Quæ hucusque dicta sunt de pœnis contra simoniacos respiciunt simoniam realem. Simonia confidentialis sequentibus pœnis plectitur, quæ in Constitutione *'Romanum Pontificem'* S. Pii V. statuuntur. 1°. Pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Porro hæc censura renovatur in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* in qua inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatas, sub n. 9. legitur excommunicatio contra 'Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis'.

52. 2°. Simonia confidentialis punitur pœna privationis beneficii, circa quod commissa est simonia, sed etiam aliorum beneficiorum vel pensionum legitime assecutarum. Conveniunt tamen Doctores pœnam privationis aliorum beneficiorum etc., non obligare ante sententiam declaratoriam judicis. Quia pœnæ etiam ab ipso jure latæ, sed requirentes externam executionem, non obligant neque in conscientia ante sententiam judicis, nisi aliter lex sufficienter caverit.

53. 3°. Simonia confidentialis punitur inhabilitate ad idem beneficium, et ad alia obtinenda.

54. 4°. Beneficium acceptum in confidentia est reservatum Romano Pontifici. — Hæ sunt præcipue pœnæ contra simoniam confidentialem statutæ, quæ tamen vim exercent et obligant, non solum in reali, sed etiam in conventionali mixta simonia, idest quoties etiam ex una solum parte conventio simoniaca impleta fuerit. Ex. gr. si Episcopus alicui contulerit beneficium et alius acceptaverit sub ea lege ut teneretur post quinquennium idem beneficium resignare consanguineo Episcopi ipsius, est locus simoniæ, licet resignatio nondum fuerit secuta. Nam S. Pius V. in

citata Constitutione ait pœnas statutas valere *'licet simonia alterius tantum partis conscientia sit completa'*.

De simonia in ingressu ordinis religiosi.

55. *Ex capp. 8. 19. 30. h. t.* nec non *ex Extravag. 1. h. t. inter communes,* deprehendimus simoniam committi, quoties promittatur, vel exigatur, vel præstetur aliquid temporale tamquam conditio ad receptionem personæ, vel ad emittendam professionem in ordine religioso. Etenim ingressus et professio religiosa consideratur ceu res spiritualis et proinde aliquid temporale exigendo fit comparatio inter rem temporalem et rem spiritualem. Hinc in cap. 30. h. t. intimatur Episcopis, ut pœnis canonicis procedant contra simoniace recipientes et ingredientes in religionem, non obstante multitudine delinquentium. Contraria autem consuetudo appellatur corruptela juris, *Extravag. 1. h. t. inter communes.* Verum vetitum non est religiosum posse *sponte* aliquid temporale donare familiæ religiosæ: quia in donatione non verificatur pactum simoniacum, nec ratio pretii temporalis pro re spirituali.

56. At nunquamne licebit monasterio exigere aliquid ab ingressuris religionem?

Conceptus juris ecclesiastici prohibentis præstationem rei temporalis in eo consistit ut evitetur comparatio inter temporale et spirituale. Quare si subintrat alius titulus potest utique exigi temporale aliquid ab ingredientibus religionem.

57. Titulus autem communis viris et mulieribus religiosis est sustentatio et vestes tempore Novitiatus, quo tempore Novitius nondum jus habet ut a religione vestibus et alimentis muniatur. Hunc titulum agnovit etiam Tridentina Synodus *in cap. 16. sess. 25. De regular.*

58. Hunc titulum honestæ sustentationis Doctores extendi posse dicunt etiam ad tempus subsequens professionem, ita ut liceat monasterio aliquid exigere, etiam ultra expensas pro victu et vestibus post Novitiatum. Nam sustentatio post Novitiatum pretio æstimari potest.

59. Si stemus vero stricto juri expresso in *cap. 40. h. t. et in Extravag. 1. h. t. inter communes* habemus interdictum esse monasteriis, quominus aliquid titulo paupertatis, idest titulo necessariæ sustentationis personæ religiosæ exigant. Censetur enim

religiosos sustentari debere bonis vel eleemosynis monasterii. Hinc plures recipi nequeunt quam possint sustentari reditibus monasterii vel consuetis eleemosynis. *Cap. un. 'De statu Regul.' in 6°. § 'Sane', Trid. sess. 25. De Regular. cap. 3.* Verum hæc prohibitio est solum juris ecclesiastici, quæ proinde etiam contraria consuetudine corrigi potest atque limitari.

Sunt qui dicunt titulo sustentationis posse aliquid exigere monasteria paupertate laborantia, non autem locupletiora monasteria. Sed in genere videtur adhuc subsistere lex generalis prohibens aliquid recipi ultra expensas pro victu et vestibus tempore novitiatus.

60. Sed quoad sanctimoniales invectus est titulus dotis taxandæ ab Episcopo cum venia S. Congregationis Episcoporum et Regularium. Quæ quidem dos solvitur ut monasterium necessariis rebus instructum sit ad honeste sustentandas religiosas fœminas. Nec obstat conditio actualis florens religiosæ familiæ, scilicet si hic et nunc monasterium dives sit, nam si dotibus careret, posset sensim sine sensu viribus œconomicis deficere, et ob hoc periculum dos ab ingressuris fœminis exigitur. Quare quoad viros generali lege simoniacum est et a jure ecclesiastico prohibitum aliquid in ingressu religionis exigere, præter expensas novitiatus tempore, sive pro vestibus, sive pro alimentis necessariis; quoad vero fœminas religiosas præter hasce enunciatas expensas, potest dos conveniens exigi.

61. Pœnæ contra Simoniam realem commissam in ingressu religionis sunt sequentes. 1°. *Ex Extravag. 1. h. t. inter communes,* sive dantes sive accipientes si sint personæ singulares subjiciuntur pœnæ excommunicationis Summo Pontifici reservatæ. Quod si vero capitulum vel conventus in simoniam consensit, incurrit ipso facto suspensionem, et ipsam reservatam Romano Pontifici. Animadvertimus vero pœnam suspensionis latæ sententiæ non fuisse confirmatam in Constitutione *'Apostolicæ Sedis'* adeoque desiisse; pœnam vero excommunicationis, fuisse in eadem Constitutione renovatam sub n. 10. inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatas, ubi legitur excommunicationem incurrere 'Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem'.

2°. Qui simoniace recipiunt, et qui simoniace recipiuntur in religionem detrudi debent in arctioribus monasteriis ut ibi per-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

agant pœnitentiam. *Cap. 40. 'Quoniam' h. t.* Notant vero Doctores hanc pœnam tacite sublatam fuisse ex posteriori Constitutione *'Solet annuere'* quæ est 12. Innocentii IV. in qua nulla fit ejusdem pœnæ mentio.

3°. Ex citata Extravag. 1. eruitur contra simoniacos ex ingressu in religionem, statutam esse pœnam infamiæ.

Ut autem supra enunciatæ pœnæ incurrantur, necesse est ut secuta inde fuerit professio, perdurante adhuc simoniaca conditione. Si enim vel religiosus reliquerit castra religionis, vel ante professionem restituta fuerit res temporalis, seu pretium simoniacum cessant pœnæ ecclesiasticæ.

De simonia in administratione sacramentorum, sacramentalium et actuum muneris sacri, ex. gr. benedictionum, precum etc.

62. Si res temporalis præstetur et accipiatur tamquam pretium administrationis, absque dubio committitur simonia, et quidem juris divini. Adest enim proprie dicta comparatio rei spiritualis cum re temporali.

Sed videmus consuetudinem antiquam, qua revera occasione administrationis rei sacræ aliquid temporale præstatur a fidelibus, et recipitur a ministris. Estne hæc consuetudo legitima et admittine potest?

In genere potest verificari titulus honestus quo legitima reddatur præstatio et acceptatio rei temporalis absque periculo simoniæ; ex. gr. titulus stipendii et honestæ sustentationis clericorum, qui altari deserviunt, de altari participant *(1. Cor. 9.)*. Et quidem hic titulus stipendii ad honestam sustentationem adeo valet, ut non solum possint ministri Ecclesiæ recipere ea quæ sponte offeruntur a fidelibus, sed etiam exigere ea temporalia quæ ob aliquod officium ministerii persolvenda sunt, vel ex jure ecclesiastico, vel ex diœcesana dispositione vel ex consuetudine diœcesana legitime præscripta persolvi debent. Ita *arg. can. fin. caus. 1. q. 2.*

63. Et hoc quidem verificatur non solum quoad clericos egestate laborantes, sed etiam quoad clericos qui aliunde habent necessaria ad honestam sustentationem sive ex bonis patrimonialibus, sive ex aliis provisionibus ecclesiasticis. Ratio est quia semper verificari potest titulus stipendii præstandi propter laborem et opus ministerii ecclesiastici.

64. Sed spiritus et intentio juris ecclesiastici hac in re optime intelligitur ex cap. 42. h. t. in quo bini casus possunt fingi. Penes plures regiones consueverat ut in administratione baptismatis, in benedictionibus, exequiis defunctorum peragendis etc. clerici exigerent emolumenta adnexa operibus juxta eumdem modum quo pacta mercede opera locantur. Hinc non administrabant baptismum, nec cetera pia opera perficiebant, nisi antea fuisset solutum stipendium vel emolumentum operi adnexum. Hanc consuetudinem reprobavit Lateranense Concilium, et voluit ut ministeria libere et absque intuitu ad emolumenta exercerentur. Merito autem reprobata est consuetudo, quia minister eo ipso quod ministerio fungitur, tenetur opera officii sui exhibere, nec potest præstationem operis subordinatam reddere et dependentem ab emolumento temporali, quasi esset opus mercenarium.

65. At alius inoleverat abusus in aliqua Diœcesi, quo laici, clericis operantibus, in sacro ministerio denegabant præstare aliquid temporale, quod præstari solebat ex legitima consuetudine. Concilium Lateranense inculcavit Episcopis, ut hasce consuetudines laudabiles conservarent compescentes abusus ex parte laicorum derivatos. Licet enim clerici ratione sacri ministerii teneantur administrare sacramenta et officia ministerii fideliter et libere exequi, tamen præstito opere spirituali jus habent exigendi stipendium respondens, quod statutum est a lege ecclesiastica, vel inductum est ex laudabili consuetudine; immo ut hoc stipendium consequantur clerici possunt etiam superioris auctoritatem invocare contra reluctantes.

66. Præter titulum stipendii in administratione sacramentorum, in aliisque piis et religiosis operibus invocari etiam potest titulus laboris extrinseci, ex quo aliquid temporale percipere liceat absque periculo simoniæ. Siquidem Doctores in operibus religiosis distinguunt *laborem intrinsecum et extrinsecum.*

Intrinsecus ille est, qui operi est essentialis, absque ulla relatione extranea ab opere. Ita in missa prolatio verborum et sacræ cæremoniæ ad sacrificium conficiendum juxta liturgicas normas intrinsecum laborem constituunt. Labor autem extrinsecus resultat ex variis relationibus operis ad tempus, locum, et ad specialem modum quo opus religiosum est præstandum. Ex. gr. si missæ sacrificium hora determinata et tardiore, vel in loco ultra notabile spatium posito, vel cum cantu celebrandum sit. Labor hic extrin-

secus, separabilis ab ipso opere religioso est pretio æstimabilis, et ejus intuitu aliquid temporale juxta prudentem æstimationem exigi et percipi potest, dummodo non sit labor ex alio titulo debitus. Si enim sacer minister ex officio vel contractu illud incommodum extrinsecum sufferre obligetur, nihil poterit exigere ob extrinsecum laborem.

De restitutione facienda in materia simoniæ.

67. 1°. Si restitutio consideretur relate ad spiritualia simoniace accepta, quisquis videt eam locum habere non posse, si res accepta fuerit *mere* spiritualis. Hinc restitutio in ordine ad recipientem rem sacram attingere potest solummodo beneficia, vel jura, quæ beneficia respiciunt ex. gr. jus patronatus, jus electionis activæ etc. Cum assecutio beneficii vel alterius juris, simonia interveniente, per se nulla sit, nemo non videt quemque teneri ad restituendum, seu dimittendum beneficium vel jus receptum etiam ante sententiam judicis. Immo si sermo sit de beneficio, etiam fructus percepti restituendi sunt. Diximus 'simonia interveniente' — loquimur autem de simonia quæ nullam reddit juris assecutionem. Talis est simonia communis si fuerit realis et completa, tum quoad actum concessionis rei spiritualis positum ex una parte, tum quoad præstationem rei temporalis factam ex altera. Talis est etiam simonia confidentialis, completa solummodo quoad concessionem beneficii, licet nondum ex altera parte impleta fuerit conditio seu pactum concessioni adnexum.

68. 2°. Quod si aliquid temporale receptum sit intuitu beneficii, sive ob collationem, sive ob nominationem, electionem etc. restitutio facienda est Ecclesiæ, in qua beneficium est erectum. Ita ex jure ecclesiastico in *cap. 11. h. t.* Et quidem hæc restitutio facienda est ex conscientiæ obligatione etiam ante sententiam judicis. Constitutio enim *2. h. t. inter Extr. comm.* prohibet quominus acquiratur dominium rerum simoniace receptarum in materia beneficiali.

69. 3°. Qui aliquid temporale simoniace recepit pro ingressu religionis, collatione ordinum, administratione sacramentorum etc., restituere tenetur ea quæ recepit, quia injuste recepta sunt. Christus Dominus enim de rebus spiritualibus dixit *(Matth. X.)* 'Gratis accepistis, gratis date'. — At in jure modus restitutionis definitus non

est; solummodo ex cap. 41. h. t. '*Audivimus*' videtur inferri, posse a judice imperari ut ea quæ ex contractu simoniaco recepta sunt, locis piis in quorum dispendium simonia commissa est, solvantur et applicentur in duplum. Sed seclusa injuria vel dispendio Ecclesiæ, vel loci pii, restitutio rerum simoniace receptarum juxta regulas generales restitutionis in praxi moderanda esse videtur. Unde si vere læsa sit justitia commutativa, restitutio facienda est favore illius personæ, cui damnum illatum est.

70. 4°. Ubi non intrat ratio justitiæ læsæ, et pretium receptum fuerit ex re sacra sub respectu quo est pretio æstimabilis, restitutionis obligatio non urget, quamvis prohibeatur ab Ecclesia rei ipsius alienatio. Quare si Rector Ecclesiæ accepto pretio contra Ecclesiæ prohibitionem, alienavit Chrisma, vel sacrum oleum, vel officium temporale Ecclesiæ, ex. gr. officium œconomi, procuratoris etc., vel jus patronatus, solummodo sub ratione commodi et utilitatis quam affert, aut afferre potest, vel etiam si monasterium pecuniam receperit pro ingressu religionis sub titulo honestæ sustentationis, restituere non tenetur, dummodo pretium receptum non fuerit excedens valorem materiæ alienatæ, vel temporalis utilitatis ex officio vel jure derivantis, quia prohibitio Ecclesiæ procedit ex motivo religionis, non autem justitiæ. Quare in hisce rebus restitutio facienda est solummodo in quantum pretium est majus valore vel utilitate rei pretio æstimabilis, quia hæc major quantitas pretii procedens ex qualitate sacra, injuste percepta fuit.

De judicio in materia simoniæ.

71. Crimen simoniæ utpote facile latens et maxime christianæ societati perniciosum, inter excepta crimina numeratur. Hinc 1°. quisque catholicus etiam criminosus, immo et de ipsa simoniæ labe infectus, dummodo non sit capitalis inimicus, potest accusare simoniacos tum dantes, tum recipientes, tum etiam eos pro quibus scientibus nec resistentibus simonia commissa est. *Cap. 3. 7. 8. et 29. h. t.* 2°. In hoc crimine demonstrando non requiruntur plenissimæ et luce meridiana clariores probationes, sed simonia potest demonstrari argumentis etiam adminiculativis, et indiciis, quæ vehementem præsumptionem facientia, moralem certitudinem inducunt, reumque convincunt. *Arg. cap. 30. h. t.* Crimine autem simoniæ ita probato, pœnæ canonicæ reo infliguntur.

72. Quod si autem accusatus de simonia non plene convinci possit de crimine, non quidem positivis pœnis plectitur, et per consequens non amittit jura, quæ habet, sed suspectus de crimine impeditur, quominus nova jura in Ecclesia adipiscatur.

Titulus IV.

Ne prælati vices suas seu Ecclesias sub annuo censu concedant.

1. Materiam simoniæ prosequitur B. Raymundus. In hoc titulo interdicitur Prælatis ne jurisdictionem suam committant alicui, qui vicarii nomine illam exerceat, et pretium temporale vel annuam præstationem Prælato rependat.

2. In *capp. 1. et 2. h. t.* pœna constituta legitur, ut Vicarius officio privetur, Prælatus vero amittat facultatem officium illud conferendi. Hinc utique Episcopus potest habere plures in gravi suo munere exercendo coadjutores majores et minores, at nequit iisdem committere officium exercendum cum pacto solvendi pretium temporale sibi, vel annuam præstationem.

In cap. autem *3. h. t.* Alexander III. modis omnibus prohibet quominus sub annuo pretio idest sub annua pensione concedatur quodcumque officium ecclesiasticum. Consonat dispositio Concilii Tridentini *cap. 11. sess. 25. De Reform.* Et merito. Namque est concessio simoniaca.

3. Verum si aliqua Ecclesia parochialis vel aliquod beneficium est incorporatum pleno jure alicui monasterio, Prælatus ejusdem potest Vicarium in beneficio vel parœcia constituere, et relicta Vicario congrua portione fructuum pro honesta ejus sustentatione, potest sibi reservare fructus qui supersunt.

4. Immo quia annui fructus possunt plus minus determinari, potest Prælatus absque periculo simoniæ contractum inire super hisce fructibus. Super fructibus enim beneficii, quia proprii sunt Clerici possidentis beneficium, contractus fieri potest, idest locari possunt pro annua pensione juxta *cap. ult. h. t.* Quæ tamen locatio post Extrav. *'Ambitiosæ', 'De rebus ecclesiasticis non alienand.'* fieri potest ad triennium tantum. Ultra triennium requiritur venia Sedis Apostolicæ.

5. Neque obstat *cap. 6. De relig. domib.* in quo traditur Episcopum posse remittere ordini religioso jurisdictionem quam habet

in aliqua Ecclesia, vel in aliquo Monasterio, cum onere tamen annuæ præstationis solvendæ mensæ episcopali. Nam præstatio annua non repræsentat jurisdictionem remissam, eo modo quo pretium repræsentat rem emptam, sed annua præstatio solvitur in recognitionem præteritæ jurisdictionis et libertatis concessæ. Ut nempe conservetur memoria jurisdictionis episcopalis in Ecclesia vel Monasterio, et permaneat aliquod signum subjectionis, præstatio solvitur.

Titulus V.

De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*)

1. Quia in munere magisterii præsertim conferendo intervenire potest simonia juris ecclesiastici, præsens titulus post duos præcedentes ponitur. Sit

I. *De Magistris.* In *capp. 1. et 4. h. t.* sermo est de Magistro, idest de Magistro grammaticæ, nec non de Magistro Sacræ Theologiæ. Cum particularia Instituta non essent in quibus prima rudimenta studiorum adolescentes facile addiscerent, Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. celebratum statuit ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis unus designaretur Magister, qui clericos et pauperes adolescentes gratis erudiret in studiis grammaticis, et pulchrarum literarum, cui magistro pro honesta sustentatione consuleretur ex reditibus Ecclesiæ, seu per consuetum beneficium. Inde factum est ut in Cathedralibus Ecclesiis officium *Scholastici* institueretur, quod appellatum etiam est *Primiceriatus.* Quoniam vero hæc præscriptio Concilii in omnibus Ecclesiis Cathedralibus non observabatur, Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. *(cap. 4. h. t.)* eamdem præscriptionem renovavit et extendit ad alias etiam Ecclesias insignes, in quibus sufficere potuissent facultates ad hoc munus magisterii constituendum.

2. Hæc quidem disciplina viguit usque ad Concilium Tridentinum. Hoc enim Concilium *sess. 23. cap. 18. De Reform.* Seminaria clericorum in Ecclesiis Cathedralibus erigi voluit, in quibus adolescentes bonis moribus instructi et bonæ spei reciperentur et in studiorum curriculo instituerentur sub oculis et directione Epi-

*) Quoad jus Ecclesiæ in scholas, vide Cavagnis, Jus publ. eccles. Lib. 4. num. 17—136.

scopi, necnon ad pietatem informarentur. In Seminario vult Tridentinum Concilium admittantur, qui ad minimum duodecim annorum ætatis sint, et nati ex legitimo matrimonio, præcipue autem ut eligantur pauperum filii ita tamen ut non excludantur filii ditiorum, dummodo tamen suis sumptibus alantur. — Ut autem administrationi rerum temporalium Seminarii et institutioni clericorum consuleretur statuit Tridentinum duos de Capitulo adsumendos esse, unum quidem eligendum ab Episcopo, alterum vero ab ipso Clero. Horum quatuor Seminarii deputatorum consilio uti debet Episcopus. Consilium horum canonicorum Episcopus debet in negotiis alicujus ponderis experiri, non autem tenetur consilium hoc prosequi. *S. Congregatio Concilii in 'Fundan.' 26. Martii 1689.* Nec ipsi deputati viri aliquid juris habent ad dirigendum Seminarium absque Episcopo. *Ita S. Congregatio Concilii in Arimin. 16. Febr. 1609.*

De magistro theologo.

3. In *cap. 4. h. t.* Concilium Lateranense IV. statuit Magistrum Theologum designandum et constituendum esse in qualibet Metropolitana Ecclesia, eique tribuendos esse reditus unius præbendæ canonicalis.

4. Concilium vero Tridentinum in *cap. 1. sess. 5. De Reform.* decernit ut absolute constituatur Magister Theologus in qualibet Metropolitana et Cathedrali Ecclesia. Destinari etiam potest in Collegialibus Ecclesiis oppidorum insignium. Ubi autem in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus etc. non inveniretur præbenda vel præstimonium aut stipendium assignatum pro Canonico Theologo, decernit Concilium huic scopo adsignandam et in perpetuo deputandam esse præbendam primo vacantem, dummodo adnexum non habeat aliud onus incompatibile. Episcopus vero per beneficium simplex, vel per contributionem beneficiorum, vel alio modo consulere poterit theologalis præbendæ augmento, quoties præbenda adsignata Theologo insufficiens esse videatur.

Ex hujusmodi Constitutione Tridentini Concilii factum est ut fere ubique in omnibus Cathedralibus Ecclesiis et insignibus Collegialibus deputata fuerit præbenda theologalis. Sacra autem Congregatio Concilii semper institit ut deputaretur præbenda hujusmodi, ubi nondum fuerit designata.

De modo electionis Canonici Theologi.

5. Concilium Tridentinum de hac re silet, sed pro Italia et insulis adjacentibus observanda est Constitutio Benedicti XIII. *'Pastoralis' 14. Kalend. Junii 1725.* In hac Constitutione Pontifex mandat primo loco ut ubi præbenda theologalis eousque instituta non fuerit, præbenda primo vacatura post Constitutionis publicationem, ipso jure et absque ulla declaratione censeretur constituta præbenda theologalis. Deinde determinat modum electionis Canonici Theologi, et statuit eligendum esse Doctorem in S. Theologia, vel eum qui intra annum lauream doctoralem suscipiat. Electionem vero faciendam esse per concursum coram Examinatoribus in eadem forma, qua Ecclesiæ parochiales conferuntur. Porro concursus fieri debet coram Episcopo et quatuor saltem Examinatoribus qui possunt esse etiam non Synodales, sed ab Episcopo actu electi et deputati ad examen Canonici Theologi excipiendum. *S. Congr. in 'Casertana' die 17. Decemb. 1729.*

Attendendum autem est ne Theologiæ moralis quæstiones resolvendæ proponantur, quemadmodum fieri solet in concursu ad Parochiales Ecclesias, sed potius quæstiones Theologiæ Dogmaticæ et S. Scripturæ resolvendæ proponantur.

De officio Canonici Theologi.

6. Juxta mentem Concilii Tridentini officium Theologi est ut lectiones habeat publicas, et quidem Canonicus Theologus tenetur hujusmodi munus adimplere, etiamsi antecessores ejus de facto huic obligationi non satisfecerint, et ideo quæcumque consuetudo contraria non excusat negligentem ut resolvit S. Congregatio Concilii in *'Bellund.' diei 27. Apr. 1630* et in *'Cavensi' diei 25. Aug. 1661* et in plurimis aliis causis.

7. Verum varia fuit practica interpretatio Decreti Concilii Tridentini, siquidem hujusmodi munus visum fuit fuisse præsertim a Sacrosancto Concilio introductum ut Clericorum Doctrinæ et instructioni consuleretur, quasi Canonicus Theologus repræsentet veterem magistrum Theologum Cathedralium Ecclesiarum. Quapropter factum est ut in aliquibus Diœcesibus Canonicus Theologus, quin in Ecclesia coram Capitulo publicas scripturales lectiones haberet, potius S. Theologiam sive Dogmaticam, sive moralem doceret in Seminario. Pariter in aliquibus Diœcesibus inductum est, ut Ca-

nonicus Theologus præesset Clericorum conventibus, in quibus resolvebantur casus conscientiæ, et ipse proponeret ipsas quæstiones easque magistrali oratione ultimo resolveret. Sancta Sedes obviare visa non est istis practicis applicationibus Concilii Tridentini, immo dici potest aliquando S. Congregationem Concilii etiam approbasse istas agendi rationes. Et sane Benedictus XIV. hanc practicam theoriam exponit et probat in opere *De Synod. Diœc. lib. XIII. c. IX. n. 17.* et in *Institut. Eccl. LVII.* Sacra autem Congregatio Concilii in *'Fulginatensi' 1744.* expresse confirmavit theoriam Benedicti XIV. et non dissimilis resolutio data est in *'Pacensi' 28. Sept. 1765.*

8. Attamen anno 1842. prodiit Encyclica sanctæ memor. Gregorii XVI. *'Inter præcipuas'* qua ob machinationes et calumnias societatum Biblicarum Protestantium contra Ecclesiam Catholicam Summus Pontifex excitavit vigilantiam Episcoporum et præsertim in paragrapho 3°. ipsis inculcavit, ut curarent, ne Canonici Theologi munere suo deficerent et prætermitterent scripturales lectiones in Ecclesia juxta decretum Concilii Tridentini.

9. Exinde autem factum est ut plures resolutiones Sacræ Congregationis Concilii, quasi uniformes prodirent, ex quibus deduci potest, in præsentibus circumstantiis, non amplius admitti posse ut Canonicus Theologus loco biblicarum lectionum in Ecclesia vel doceat S. Theologiam in Seminario, vel præsit resolutionibus casuum conscientiæ. Sane in *'Derthonen.' 26. Junii 1844.* proposito dubio: 'an et quomodo sit annuendum postulatis supra commutatione lectionis Sacræ Scripturæ in casuum conscientiæ explicationes' responsum est 'Non expedire ut Episcopus curet executionem nuperrimæ Encyclicæ Gregorii XVI.' In *'Casalensi' 26. Julii 1848. respondit S. Congr.* 'servetur lectio Biblica ad tramites Concilii Tridentini.' In causa autem *'Civit. Castel.' 2. Sept. 1876* respondit 'Canonicum Theologum teneri ad lectiones scripturales; attentis tamen peculiaribus circumstantiis, indulgendum ut abesse possit a Choro diebus quibus scholæ Dogmaticæ vacat'.

10. Accessit nuperrima resolutio ejusdem S. Congregationis Concilii in causa *Pampilonensi die 16. Decemb. 1882.* Exponebatur Canonicum Theologum juxta illius Ecclesiæ Cathedralis consuetudinem non habere publicas lectiones S. Scripturæ, sed in Seminario eandem S. Scripturam explicare. Episcopus autem referebat anno 1852 in Hispania de consensu Nuntii Apostolici editum fuisse

regium diploma, quo commendabatur ut Canonicis de *officio* nuncupatis onus edocendi seu legendi in Seminariis imponeretur. Quibus inspectis, S. Congr. dubiis propositis circa exemptionem Canonici Theologi a Choro et circa jus percipiendi distributiones quotidianas respondit: 'In casu, de quo agitur, Canonicum Theologum 'choro abesse ac distributiones quotidianas lucrari posse, pro iis tantum diei horis, quibus legit in Seminario, onerata conscientia'. Ex quibus omnibus patet modum adimplendi munus Canonici Theologi dum vigebat theoria supra exposita Benedicti XIV. in genere remissum fuisse prudenti arbitrio Episcopi Diœcesani, qui juxta temporis et loci circumstantias dirigere Canonicum Theologum poterat.

Hodiernis autem temporibus post encyclicas literas Greg. XVI. *'Inter præcipuas'* regulam esse, ut Theologus biblicas lectiones in Ecclesia habeat, adeoque sine judicio et venia S. Sedis, Canonicum Theologum non posse omittere publicas lectiones et earum loco in Seminario S. Scripturam vel Theologiam docere.

11. Quæritur utrum Canonicus Theologus debeat per se ipsum officio suo fungi, vel possit etiam substitutum adhibere.

Concilii Tridentini mens est in cit. *cap. 1. sess. 5. De Refor.* 'ut præbenda theologalis *nonnisi personis idoneis et quæ per se ipsas id munus explere possint, conferatur'*. Quod si vero qui obtinet hanc præbendam idoneus non fuerit, decernit Tridentinum, ut Ordinarius eum compellat etiam per subtractionem fructuum ad munus lectionum explendum per idoneum substitutum.

12. At quid si Canonicus Theologus ipse, etiamsi esset idoneus, vellet tamen per alium muneri suo satisfacere?

Profecto intentioni Patrum Tridentinorum hæc agendi ratio plene conformis non esset. At dici nequit, Tridentinum expresse eam interdixisse. Simpliciter enim tradidit Concilium munus interpretandi Sacram Scripturam esse personale. Plura autem sunt munera personalia, quæ nihilominus possunt per substitutum impleri. Quemadmodum est munus prædicandi Evangelium populo fideli, quod Episcoporum et Parochorum personale est, et tamen per alium impleri potest. Quare inspecto rigore juris, Canonicus Theologus poterit per alium implere munus suum interpretandi S. Scripturam.

13. Sed disciplina in hac re ex mente Concilii Tridentini subest prudenti arbitrio Episcopi, qui proinde poterit id impedire, et

Canonicum Theologum urgere, ut per se ipsum S. Scripturam interpretetur. Consonat huic theoriæ resolutio S. Congr. Conc. in *'Urgellensi' die 15. Decemb. 1725 et 28. Decemb. 1726* in responsione ad 3^m^ dubium, ubi clare traditur posse Canonicum Theologum per alium concionare, obtenta tamen, quam petere debet, Capituli licentia et salvo recursu ad Episcopum.

De juribus Canonici Theologi.

14. Præbenda theologalis in Capitulo non constituit dignitatem neque personatum sed solummodo officium. Tridentinum enim nullam facit mentionem de aliqua prærogativa excellentiæ Magistri theologi. Nec juvat animadvertere juxta Constitutionem *'Pastoralis'* Benedicti XIII., requiri in Canonico Theologo lauream doctoralem, quemadmodum requiritur in Dignitatibus, nam laurea exigitur ceu argumentum idoneitatis. Hinc jus honoris et præcedentiæ nullum competit Canonico Theologo, sed aliis communibus canonicis accensetur, et prioritatem solummodo obtinet ratione temporis, idest jure ætatis.

15. At jus inest præbendæ theologali, ut Canonicus Theologus ea die qua legit interpretationem Sacræ Scripturæ, eximatur pro tota die ab onere assistendi et præstandi suam operam in servitio chori, et tamen tamquam præsens lucretur fructus omnes beneficii sui, nec non distributiones quotidianas, quæ a præsentibus percipiantur.

16. Censentur exceptæ solummodo distributiones illæ, quæ ex voluntate testatorum expressa solvuntur tantummodo actu præsentibus. Ita Sacra Congr. Concilii in causa *Arboren. theologalis diei 7. Decemb. 1861.* Nec officit contraria consuetudo prædecessorum Canonicorum Theologorum, qui usi non fuerint privilegio vacandi ab officio chori tota die, in qua lectionem habuerint, nec officit paucitas canonicorum, vel parvus numerus lectionum in anno. Ita *S. Congr. in cit. 'Perusina' 30. Julii 1859.*

17. Hæc quidem dispositio de lucrandis fructibus præbendæ et quotidianis distributionibus, non solum Canonico Theologo favet, si publice in Ecclesia lectiones S. Scripturæ habeat, sed etiam si loco harum lectionum Theologiam vel S. Scripturam ex venia S. Sedis doceat in Scholis Episcopalibus, ita ut pro integra die a choro vacare possit, quando docet, licet doceat horis solummodo matutinis, vel vespertinis. Et hic quidem fuit casus propositus

S. Congr. in cit. causa *'Arborensi'* in qua agebatur de Canonico Theologo cui per literas Apostolicas impositum erat munus docendi Theologiam Dogmaticam loco lectionum S. Scripturæ. *Cf. Acta S. Sedis tom. 1. p. 484.* Quin immo interrogata S. Congregatio in eadem *Arborensi theologali* in dubio 3. 'An exemptus a choro declarandus pariter sit, (Canonicus Theologus) ad prædictum effectum distributiones et emolumenta incerta iis diebus, quibus licet non doceat, attamen ratione officii sui clericorum examini assistit, in casu' respondit 'Affirmative, uti in secundo dubio'. 'Idest exceptis emolumentis, quæ ex voluntate testatoris, aut dantis, debentur tantum actu præsentibus.' Verum S. Sedes potest in casibus particularibus limitare jus canonici theologi, ad horas in quibus docet in scholis. Exemplum habemus in cit. *Pampilonensi 16. Decemb. 1882.*

18. Ecclesiastica legislatio præter Canonicum theologum, cujus titulum fixum et perpetuum voluit in Capitulis destinari, respexit etiam alios magistros docentes sacram theologiam, immo et ipsos discipulos ejusdem facultatis. In cap. 5. h. t. Honorius III. statuit ut lectores S. Theologiæ, quamdiu eam docent, et discipuli ad quinquennium de licentia S. Apostolicæ percipere possint fructus præbendarum suarum et beneficiorum, non obstante eorum absentia a choro.

19. Hanc dispositionem confirmavit Conc. Tridentinum *cap. 1. sess. V. De Reform.* nullam addens mentionem quinquennii quoad discipulos observandi.

20. Ex declarationibus autem S. Congr. Concilii in *'Iropiensi' 10. Novemb. 1592 et 'Perusina' 7. Maji 1707* indultum absentiæ a choro juvat etiam lectoribus juris canonici et civilis, etiamsi illud exponant in publica Universitate civitatis illius ubi præbendam et beneficium obtinent. Nec obstat, lectoribus stipendium assignatum esse in ipsa Universitate pro suis laboribus, nihilominus enim indulto frui possunt.

De secunda parte tituli.

21. *Ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

Abusus irrepserat in Universitatibus studiorum tempore Alexandri III., ut ingens pecuniæ summa exigeretur a discipulis pro licentia docendi. Ob hujusmodi abusum pauperes adolescentes, desti-

tuti facultatibus prohibebantur quominus studiis vacarent, et solummodo divites poterant gradus academicos assequi. Insuper magistri videbantur magis pecuniæ aviditate trahi, quam desiderio utiliorem scientiam tradendi. Abusus hujusmodi, fertur, præsertim in Parisiensi Universitate irrepsisse. Hinc tradunt Alexandri III. decretalem, quæ in cap. 3. h. t. legitur, emanasse contra Cancellariam Parisiensem.

22. Ad abusus vero omnes ubicumque reperirentur tollendos, legislatio ecclesiastica in capp. 1. 2. et 3. h. t. prohibuit ne aliquid exigeretur pro licentia docendi, et receptio pecuniæ condemnata est tamquam infecta labe simoniæ juris ecclesiastici invocatumque est principium 'Gratis accepistis, gratis date'.

23. Verum ex consuetudine inductum est ut modica lucra possent percipi in experimentis, quæ juvenes subeunt ad licentiam docendi assequendam, seu ad obtinendos gradus academicos. Et jam tempore Concilii Viennensis sub Clemente V. inceperant exigi nonnullæ expensæ a juvenibus in doctoralis laureæ assecutione, unde edita est Constitutio, quæ inter Clementinas cap. 2. h. t. legitur, in qua omnes expensæ discipulorum, sive pro vestibus, sive pro cibis, sive pro aliis titulis coarctantur ad tria millia turonensium argenteorum, idest circiter ad centum triginta scutata antiquæ monetæ Romanæ (Libell. 698. 75.).

24. Deinde autem pro qualibet academia seu Universitate studiorum sua taxa expensarum, juxta indigentias locorum constituta fuisse cernitur. Pro Universitate autem Romana et Bononiensi lata est Constitutio Julii III. *'Cum sicut' diei 6. Febr. 1552* in qua cautum ut a pauperibus adolescentibus cæteroquin idoneis nihil exigeretur ad concedendos eisdem gradus academicos. Quare virtute hujus Constitutionis iterum pro pauperibus confirmata fuit abolitio facta ab Alexandro III. immodicarum expensarum, ita ut in gradibus et honoribus academicis concedendis plus effulgeat pietas et scientia, quam cupiditas lucri et pecuniæ.

25. Pariter virtute hujus Constitutionis factum est, ut adolescentes excellentiores ingenio et studio non debeant ob defectum pecuniæ removeri ab honoribus et juribus studiorum, sed aliquo modo eisdem consulendum sit, ut possint studiis vacare, et licentiam docendi obtinere.

Titulus VI.

De Judaeis et Saracenis et eorum servis.

1. Expleto tractatu de crimine simoniæ, quo præcipue Sanctus Spiritus offenditur cujus dona parvipenduntur, agitur in Decretalibus de illis, qui fidei et religioni Christianæ contradicentes Deum ac præcipue Jesum Christum filium ejus offendunt. Hi sunt infideles et hæretici. In præsenti titulo agitur de infidelibus.

Legislatio ecclesiastica in hac materia reducitur ad determinandam tolerantiam ab Ecclesia adhibitam erga Judæos et Saracenos, a quibus infidelibus ferme solis tempore Decretalium poterant prævideri mala in Ecclesia. Legislatio hæc prudentissima pro temporum ratione, informatur principio 'neminem vi cogendum esse ad fidem suscipiendam; errantes vero esse tolerandos, quia supponuntur in bona fide. *Cap. 9. h. t.* Ceterum conversos ad fidem privilegiis esse honestandos.' *Capp. 15. et ult. h. t.*

De Judæis.

2. Impietas et blasphemiæ Judæorum in Christum et christianam religionem, necnon eorumdem invidia, usuræ, et injustitia erga christianos, odium maximum contra judaicam perfidiam excitarunt, ita ut a pluribus regnis christianis Hispaniarum, Belgii, Galliæ etc., expulsi fuerint. Jactati in medio mari judæi, præsertim ad litora temporalis ditionis Romanæ Sedis appulerunt, et misericordiam invocarunt. Pietas Christiana suasit Ecclesiæ ut exciperet et benigne tractaret miseros istos homines. Verum cum timeri possent damna in plebem christianam, immo et in ipsos hospites Judæos ex commixta habitatione, hinc quasdam leges Ecclesia statuit, ut damna præcaveret et legitima quodammodo redderetur Judæorum hospitalitas inter fideles in christianis regionibus.

3. Et 1°. prohibitum est ne in eadem domo simul christiani cum Judæis habitarent. *Can. 13. 28. q. 1.* Hinc factum est ut in quibusdam urbibus Judæis domicilia determinata adsignarentur. Immo juxta dispositionem cap. 15. h. t. in omni christianorum provincia Judæi utriusque sexus, qualitate habitus, omni tempore distinguantur oportet.

4. 2°. Quoniam vafri homines divexabant Judæos, et eorum sepulchra violabant, intuitu pecunias exigendi, hinc præsertim in

cap. 9. h. t. permissum est Judæis, ut suam religionem excolerent, Synagogas haberent, suasque consuetudines observarent, simulque gravibus pœnis prohibitum est ne aliquis auderet violentas manus Judæis inferre, neve turbarentur Judæi in celebratione festivitatum suarum, nec violaretur eorum cœmeterium, aut exigerentur nova et coacta servitia ab iisdem. Siquidem visum est melius permittere Judæis exercitium antiquæ religionis, quam eos nullam habere religionem, Deoque prorsus renunciare.

5. At hæ concessiones cedere non debebant in præjudicium christianæ reipublicæ, nec superare limites tolerantiæ et patientiæ, qua in christianis regnis excipiebantur Judæi. Hinc 3°. nonnulla servitia debuerunt societati christianæ exhibere, et nonnulla tributa solvere. 4°. Licet exercitium cultus permissum fuerit, tamen advigilavit Ecclesia ne Judæi contenderent cum christianis in splendore et numero templorum. Quare concessum utique est Judæis, ut retinerent veteres Synagogas, et dirutas reficerent, negatum autem est et novas ædificare, et veteres vel ampliare, vel magis splendidas et pretiosas reddere. *Capp. 2. et 7. h. t.* Periculum enim inde exoriri poterat in christianam religionem, quam injuriis et blasphemiis vituperabant, et fidem in plebe contaminare non dubitabant. 5°. Quoniam vehementiores contumeliæ tempore passionis Domini timeri poterant, et majus etiam erat periculum publicæ perturbationis in populo, hinc Alexander III. in cap. 3. h. t. prohibet quominus Judæi feria sexta in Parasceve ostia domorum vel fenestras apertas haberent. Innocentius III. vero in Concilio generali prohibuit eisdem ne in eadem die domo egrederentur, et ne in contumeliam creatoris prosilirent. Cap. 15. h. t. 6°. Quamvis permissa fuerint inter christianos et judæos negotia et commercia, tamen ne conversatio mutua periculum perversionis induceret, prohibitum est christianis quominus famulatum præstarent Judæis in domibus eorum, ita ut nec nutrices, nec obstetrices filiorum Judæorum esse possent christianæ mulieres. *Capp. 8. et 13. h. t.* 7°. Prohibentur Christiani quominus officia publica Judæis committant, ex quibus officiis Judæi acquirerent potestatem, seu jurisdictionem in Christianos. *Cap. 13. h. t.* ne sub prætextu potestatis Judæi Christianos molestiis afficiant.

6. 8°. Ceterum Judæi conversi ad fidem non possunt privari suis bonis; quod si priventur jus habent obtinendi restitutionem

in integrum. *Cap. 5. § Si quis h. t.* Nec possunt ab eorum parentibus exhæredes in testamento scribi; sed immo in sensu Canonum Judæi conversi ad fidem patriæ potestatis jugo soluti, libertatem plenam adipiscuntur, idest fiunt sui juris. Ita Glossa recepta in *can. 7. caus. 1. q. 4. et in can. 11. caus. 2. q. 1.*

De Saracenis.

7. Saraceni, qui se a Sara uxore Abrahæ progenitos jactitant, sunt omnes illi, qui Muhamedo addicti, dogmata in Alchorano expressa profitentur.

A prima hujus sectæ origine, idest a sæculo Ecclesiæ VII. ad nostra usque ferme tempora, bella exarsisse inter saracenos et christianos ex historia deprehendimus. Hostes christianæ religionis hæc bella inita ab Ecclesia fuisse dicunt ut vi et armis saracenos ad christianam fidem pertraheret. At falsum est Ecclesiam, quæ procul dubio promovit bella adversus saracenos, et principes christianos excitavit vehementer, hæc bella promovisse ut violenter saracenos castris christianis insereret. Ecclesia enim licet studuerit propagationi religionis, et apud principes institerit ut libere permitteretur prædicatio veritatis Evangelii; tamen religionem non imposuit, nec contra Ethnicos bella excitavit, ut Christo invitos lucrifaceret, sed persuasionibus utens eos solum suscepit, et fidelibus aggregavit, qui ex animo fidem poscerent. Contra autem saracenos bella inita sunt a Christianis, eo quod indoles specialis saracenorum erat ut ad arma ipsi provocarent. Si quidem Muhamedus docebat christianos vi et armis esse adducendos ad unicam religionem unius Dei, cujus se prophetam dicebat. Hinc etiam loca sacra et munitiones christianorum occupavit, cœpitque contra christianos acriter bellare. Huic adversario Ecclesia restitit mediis proportionatis excitans christianos Principes et plebem christianam temporalibus et spiritualibus auxiliis ad arma sumenda contra saracenos hostes infensissimos.

8. Ut autem facilius finem assequeretur Ecclesia, leges statuit temporum conditioni accommodatas. Scilicet 1°. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ et Pontifici reservatæ aliisque pœnis prohibitum est, ne Christi-fideles subministrarent vel venderent saracenis arma, seu quæcumque instrumenta, vel materiei quodcumque genus, quæ bellis agendis inservire posset. *Cap. 6. et 17. h. t. Extravag. eod. inter comm. et Bulla Cœnæ.* 2°. Vetitum est

christianis tempore belli merces deferre in terras saracenorum. *Capp. 11. et 12. h. t.* Unde ex sensu contrario tempore pacis commercium inter christianos et saracenos prohibitum non erat. Ex iisdem capitibus infertur tempore belli christianos nec potuisse ingenio, consilio, vel aliis subsidiis præsto esse saracenis. Merito autem gravissimæ pœnæ contra transgressores statutæ sunt et observatæ in Ecclesia, quia christiani operam ferentes saracenis etiam solummodo sub spe lucri, proditores erant religionis. Immutatis vero temporibus saraceni considerantur tamquam reliqui pagani, quos Ecclesia ceu errantes patienter tolerat.

Titulus VII.

De Haereticis.

1. Hæresis a Sancto Thoma definitur 'Error hominis baptizati, in intellectu voluntarius contra aliquem articulum fidei cum pertinacia conjunctus'. Dicitur hominis baptizati, quia consideramus hæresim ceu crimen ab Ecclesia puniendum. 'Quid autem mihi, ajebat Paulus, de iis qui foris sunt judicare?' Quare catechumeni et qui nondum baptisma susceperunt esse nequeunt proprie hæretici, qui ab Ecclesia puniantur.

Dicitur 'intellectu' quia actio externa, vel dictum per se hæresim non constituunt nisi in quantum revelant falsum judicium mentis.

Error autem debet esse 'voluntarius' seu deliberatus. Et quidem hæreticus est non solum qui contradicit alicui articulo fidei eum reputans falsum, sed etiam ille hæreticus est, qui dubitat positive de veritate articuli ab Ecclesia propositi. Hinc in cap. 1. h. t. dicitur absolute 'Dubius in fide infidelis est'. Consonat cap. 1. *'De Summa Trinit.' et Clem. 1. eod. § 'Porro'.* Et merito, nam infallibile magisterium Ecclesiæ est principium certitudinis in Doctrina, quæ dicitur certitudo fidei. Jamvero certitudini non solum adversatur negatio, sed etiam dubitatio.

2. Tandem elementum hæresis et quidem principale est 'pertinacia' idest contumacia. Cap. 2. *'De Summa Trinit.'* Scilicet requiritur deliberata voluntas, qua quis licet sciat se aliter sentire ac sentit Ecclesia, nihilominus persistere vult in sua sententia, et suum judicium præfert Ecclesiæ. Quare ad hæresim constituendam non requiritur ut quis animi contentione et acriter errorem reti-

neat et propugnet; sed sufficit ut quis aliter sentiat quam sentire Ecclesiam sciat in articulo sibi sufficienter proposito. Hinc qui docet errorem paratus tamen sese subjicere judicio Ecclesiæ, hæreticus non est. *Can. 29. c. 14. q. 3.*

Quotuplex sit hæresis.

3. 1°. Alia est *materialis*, alia *formalis*. Materialiter hæreticus est, qui sentit alia ratione, quam sentiat Ecclesia; sed absque contumacia. Hinc error in hæresi materiali non procedit ex malo animo, sed vel ex simplicitate, vel ex deceptione et fraude alterius, aut ex defectu debitæ inquisitionis in rei veritate agnoscenda. Hujus generis sunt plerique, qui vivunt in sectis ab Ecclesia Romana separatis. Formalis autem hæreticus est, qui in pertinacia erroris versatur, sciens se veræ Christi Ecclesiæ adversari. Formalis autem dicitur, quia crimini hæreseos veram formam dat contumacia erroris.

4. Hæresis formalis alia est *interna*, alia est *externa*. Externa est, quæ vel verbis vel aliquo alio signo externo manifestatur sufficienter. Interna seu mentalis hæresis est, quæ animo continetur, nec verbis vel facto aliquo proditur. Interna hæresis non incidit sub pœnis ecclesiasticis, quia Ecclesia in foro externo, de internis non judicat. *Can. 14. 'De Pœnit.' Distinct. 1. et capp. 33. et 34. 'De simonia'*; et proinde interna hæresis nec proprie dictum crimen constituit.

5. Externa hæresis, quæ vere crimen est et pœnis ecclesiasticis plectitur, subdividitur in *occultam*, et *publicam* seu *manifestam*. Hæresis occulta illa dicitur, quæ licet aliquo verbo, vel alio signo externo se prodat, tamen communitati non innotescit, et per consequens non potest in judicium pertrahi. Ex. gr. si quis uno solum teste, vel etiam nullo teste, errorem contra fidem cum pertinacia panderet, pœnas incurreret *(Reiffenst. h. t. n. 16. Pirrhing. h. t. n. 17.)*, dummodo hæresis manifestetur verbis, vel signis, quæ suapte natura vel juxta communem sentiendi modum sufficiunt ad animi consilium pandendum; nam hæresis in hac hypothesi constituit crimen externum; quod autem ab aliis non audiatur vel non videatur, id contingit, ut dici solet, per accidens. — Manifesta est hæresis, quæ potest ad forum externum traduci et juridice probari. — Ecclesia potest punire hæresim etiam solum occultam, quia hæreticus occultus ponit factum externum, quod cadit sub

potestate Ecclesiæ, etsi desint testes legitimi, hoc est, uti diximus, per accidens; quia factum per se sufficiens est ut cognoscatur et probetur. Quoniam vero procedi non potest mediis et via ordinaria a Prælatis contra hæreticum occultum, hæresis occulta facta est crimen reservatum Romano Pontifici.

6. Ex agendi ratione societatis civilis alia divisio hæreticorum inducta est, ut aliæ essent hæreses *toleratæ*, aliæ autem *non toleratæ*. Hæreticis toleratis conceditur facultas habendi domicilium inter catholicos, et suæ Religionis exercitium. Non toleratis vel utrumque denegatur vel saltem secundum.

Hæc divisio hæresum primum cœpit fieri in Germania post exortam pseudo-reformationem Lutheri. Visum enim est quasdam hæreses propter absentiam timoris politicæ perturbationis, posse tolerari, non vero alias ob rationes contrarias. At coram Ecclesia omnes hæreses in earum conceptu sunt æquales.

De pœnis contra hæreticos statutis.

7. Pœnæ ecclesiasticæ statutæ sunt contra hæresim externam et formalem. Hinc pœnæ ecclesiasticæ non afficiunt hæresim sive materialem, sive internam formalem. Porro ad impediendum incomparabile damnum ex hæresi derivans, Ecclesia alias personas subjici voluit pœnis, præter illos, qui formalem hæresim profiterentur. Ii sunt 1°. *credentes*, scilicet qui adhærent falsæ doctrinæ hæreticorum, quamvis ad sectam hæreticam non pertineant. 2°. *Receptores*, idest illi, qui hospitio hæreticos fugientes recipiunt, eosque in tuto ponere student, ne a judicibus comprehendantur et sententia subjiciantur. 3°. *Defensores*, nempe illi, qui hæreticorum errores, vel eorum personas in judicio ob causam hæresis, vel extra judicium tuentur, vel commendant et protegunt. 4°. *Fautores*, ii nempe, qui hæreticis qua talibus prosunt et favent vel positive aliquid faciendo, vel negative omittendo illud facere, quod ratione officii facere debuissent. Animadvertimus receptores, defensores et fautores hæreticorum, pœnis ecclesiasticis subjici licet non habeant formalem intentionem operam suam præstandi, vel ab officio abstinendi præcise propter hæresim, sed potius ob amicitiam, commiserationem, vel sanguinis propinquitatem. Nam non attenditur causa et motivum agentis, sed ipsa actio attenditur, quæ per se et scienter ab agente dirigitur ad protegendam hæresim et hæretici delinquentis personam.

8. Hisce positis pœnæ contra crimen hæresis statutæ aliæ sunt *spirituales*, aliæ *temporales*. Temporales quidem quia hæresis juridice et historice merito considerata fuit in publica legislatione anteactorum temporum ceu crimen politicum et civili societati maxime perniciosum. Juridice quidem quia antequam hæreticæ societates in media Europa catholica constituerentur, qui hæretici fiebant censebantur ex propria malitia errorem amplecti, et semina jacere discidiorum in materia religionis, quæ elementum est sane maximum publicæ tranquillitatis. Hinc malitia hæreseos anteactorum temporum diversa erat a malitia hodiernæ ætatis, in qua errantes nascuntur in hæresi, et possunt facile in bona fide versari. Hinc nil mirum si graviores pœnæ etiam afflictivæ fuerint contra hæreticos constitutæ. Historice etiam quia facta quibus publicus ordo ab hæreticis turbabatur non erant infrequentia. Hinc principes sæculares considerabant hæreticos ceu perturbatores societatis.

9. *I°. De pœnis spiritualibus.* 1°. Sive hæretici, sive ipsorum receptores, defensores et fautores, ipso facto incurrunt excommunicationem majorem Romano Pontifici reservatam. *Capp. 8. 9. et 13. h. t. et Bulla 'Cœnæ'.* Pœna hæc renovata est in Constit. *'Apostolicæ Sedis' sub n. 1.* excommunicationum latæ sententiæ et speciali modo Romano Pontifici reservatarum ubi legitur 'omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quoscumque illorum defensores'.

10. 2°. Irregularitatis pœnam incurrunt notorii hæretici eorumque receptores etc.; qua nec novos ordines suscipere valeant, nec susceptos exercere possint. *Capp. 2. et 15. h. t. in VI.* Dixi 'notorii' quia irregularitas videtur contrahi ob infamiam adnexam hæresi, quam infamiam non subit occultus hæreticus.

11. 3°. Contra eosdem militat inhabilitas ad possidenda quæcumque beneficia, dignitates, et officia ecclesiastica, uti *capp. 2. et 15. h. t. in VI.* Utraque pœna irregularitatis et inhabilitatis afficit hæreticum etiam post conversionem et retractationem, quia irregularitas et inhabilitas semel ac contrahantur, semper personam ligant quoadusque non superveniat absolutio, seu relaxatio. Immo eædem pœnæ irregularitatis et inhabilitatis afficiunt etiam liberos hæreticorum, et credentium, receptorum, defensorum

et fautorum, si eorum parentes in contumacia demoriantur. Et quidem in linea paterna hisce pœnis afficiuntur, liberi usque ad secundum gradum, in materna linea usque ad primum tantum. Censentur enim filii referre maculam et suspicionem nequitiæ parentum suorum. *Cap. 2.* § *'Hæretici' h. t. in VI, et cap. 15. eod. in VI.*

12. 4°. Qui labuntur in hæresim et eorum receptores, defensores etc. beneficiis et officiis quæ actu possident privantur. *Cap. 9. h. t. et. cap. 12. h. t. in VI.* Hinc privantur etiam jurisdictione spirituali.

13. 5°. Ipsos lapsos in hæresim eorumque receptores etc. afficit privatio sepulturæ ecclesiasticæ. *Cap. 8. h. t. et cap. 2. eod. in VI.* Qui vero hæreticum, aut receptorem, defensorem, vel fautorem scienter in loco sacro sepelierit, jure antiquo incurrebat excommunicationem, nec poterat absolvi nisi propriis manibus et publice cadaver exhumasset. *Cit. loc.* juris, et præsertim initio *cap. 2. h. t. in VI.* Verum hæc dispositio passa est correctionem in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* in qua inter excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatas sub n. 1. legitur excommunicari 'Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos aut interdictos'.

14. *II°. De pœnis temporalibus.* Pœnæ temporales contra hæreticos, receptores, fautores et defensores plures sunt.

1°. Infamia ipso jure incurrenda post sententiam declaratoriam criminis.

2°. Privatio factionis testamenti activæ et passivæ.

3°. Inhabilitas ad actus legitimos ponendos. Hinc in judicio hæreticus, nec judex, nec testis esse posset.

4°. Publicatio bonorum.

5°. Amissio patriæ potestatis et cujuscumque privilegii in societate.

6°. Liberatio subditorum a vinculo et obligatione obedientiæ erga summum civilem imperantem.

7°. Etiam pœna capitis hæreticis infigi poterat. Cfr. possunt *capp. 9. 13. 10. 11. et ult. h. t.; et capp. 28. 14. et 19. eod. in VI.* in quibus canonica legislatio jus commune recognovit et roboravit, quod præsertim in jure civili romanorum continebatur. Ad rem faciunt etiam hac in re leges *4. 5. et 8. Cod. h. t.*

At ex communibus concessionibus factis hæreticis in variis regnis, necnon circumstantiis mutatis, pœnæ hæ civiles non amplius in usu sunt receptæ.

15. Quoniam inter pœnas contra hæreticos solutio a juramento fidelitatis et subjectionis de qua in *cap. 13. h. t. § 'Moneantur'* præ aliis pœnis offendit aures aulicorum, qui totis viribus, propugnantes jura principum, agendi Ecclesiæ rationem incriminantur, hinc aliquid de ista pœna dicere juverit.*)

16. Circa agendi rationem Ecclesiæ media ætate erga principes hæreticos, vel suspectos de hæresi, vel hostes Ecclesiæ, ad eam defendendam duplex sententia a Doctoribus proposita est.

Sunt aliqui qui tuentur Ecclesiam jus habere *proprium* et *nativum* absolvendi fideles a vinculo obligationis erga principem sive hæreticum, sive schismaticum. Rationes autem hujus sententiæ hæ sunt.

1°. Relatio subjectionis inter subditum et christianum principem induit naturam jurisjurandi quo subditi christiani erga principem ligantur. Jamvero Ecclesia est, quæ cum res sacras moderetur, constituta est tamquam judex legitimus, qui videat utrum necne perseveret vis obligationis religionis subditorum erga principem. Ergo Ecclesia jure suo potest declarare obligationem subditorum cessasse.

17. 2°. Loquimur de societate christiana, hinc quæstio a nobis proposita juxta principia Evangelii est resolvenda. Jamvero juxta celebrem Christi sententiam: 'Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur bonum spirituale prævalet natura sua bono temporali, et per consequens bonum temporale debet esse subordinatum bono spirituali. Quapropter Princeps laicus qui curat bonum temporale, qua christianus est nequit adversari bono fidei, et bono Ecclesiæ, et per consequens si fiat hæreticus princeps laicus qui antea erat christianus, per injuriam occupat potestatem, quæ subordinata esse debet potestati ecclesiasticæ, cujus objectum est nobilius et magis prævalens. Hinc princeps christianus qui fiat hæreticus vel schismaticus indignus prorsus censetur regio diademate christiano. Ecclesia autem est quæ judicat quandonam hæc indignitas verifi-

*) Speciatim quoad depositionem Imperatoris, vide Cavagnis, Jus publ. eccles. lib. III, n. 165 et sqq.

cetur. Non enim hoc judicium hujus rei remitti debet arbitrio singulorum.

18. Confirmatur hæc ratio ex dote infallibilitatis, qua Christus in doctrinis de rebus fidei et morum decernendis, munitam voluit Ecclesiam suam, ex qua dote Ecclesia absque periculo errandi decernit quodnam sit verum bonum temporale assequendum. Hinc Ecclesia est, quæ ex missione Christi Domini determinat inter christianos viam veritatis et justitiæ, et per consequens etiam in quæstionibus particularibus juridice Ecclesiæ judicium est præferendum cuicumque alteri humano judicio. Quare factum est ut in quæstionibus inter principes et subditos receptum fuerit tamquam *arbitratum,* cui nefas esset resistere, et per consequens Ecclesia solemniter resolvens obligationem juramenti inter subditos et principem dici non potest usurpasse alienam provinciam, bene vero secuta fuisse dicenda est viam veritatis et justitiæ, juxta ordinem subordinationis boni temporalis ad bonum spirituale.

19. Experientia seditionum, perturbationum, et tyrannidis, quæ omnia verificata sunt ex quo relicto judicio Ecclesiæ, solutio quæstionum commissa fuit incerto armorum eventui, rem apprime confirmat. Quod nempe in populo christiano opportunum maxime est ut si minores quæstiones resolvantur quoad qualitatem moralem a judicio Ecclesiæ, eo fortius quæstiones maximi momenti, ex quibus dependet tranquillitas Reipublicæ, ejusdem Ecclesiæ judicio committantur. Cum enim Ecclesia judicare possit ex munere suo de qualitate morali actionum, potest certe decernere de virtute et extensione moralis obligationis inter fideles. Igitur Doctores istius sententiæ concludunt, Ecclesiam, quæ est judex moralitatis, posse jure suo proprio et nativo de existentia vel cessatione obligationis dependentiæ et subjectionis subditorum erga principem decernere.

20. Secunda sententia magis respondet rationi historicæ legislationis Canonicæ, et proinde videtur etiam præferenda, saltem ad defendendam a quacumque labe usurpationis Romanorum Pontificum agendi rationem.

Sententia ista ita se habet. Ex bene intellecto ordine subordinationis finis reipublicæ socialis erga Ecclesiam omnium fidelium matrem et tutricem, necnon ex conditione rerum politica et religiosa in jure publico mediæ ætatis inductum est ut Ecclesia esset vindex ac custos relationum inter principes sæculares et

subditos fideles. Hinc constitutum est Sacrum Imperium. Hinc inducta etiam est et observata fideliter sacra unctio regum, seu consecratio. Summi autem principes laici in sui assumptione ad regimen publicum sub fide juramenti promittebant se curaturos, totis viribus, publicum bonum, et ad id faciendum sese obligabant coram Deo et Ecclesia. Pariter subditi christiani obstringebantur obligationibus erga principes, quos sciebant ex facta promissione futuros esse patres communes.

Quapropter inspecta conditione politica societatis illius temporis, censebatur inter principem et subditos quodammodo intercedere pactum, quo mutuæ relationes, mutua jura, mutuæ obligationes inter subditos christianos et principem christianum sanciebantur. Quoniam vero Religio erat, quæ principaliter, ut dici potest, pro illo tempore moderabatur hoc tanti momenti negotium, naturaliter Ecclesia erat, quæ habebatur uti custos et vindex pacti hujusmodi.

21. Hinc Ecclesia principes quos nomine Dei regere populos dicebat, protegebat contra populos ipsos, qui voluissent lædere jura ipsorum principum, i. e. protegebat principes contra effrenatam licentiam subditorum. Quod si autem princeps bonum publicum non curaret, et eo fortius si hæreticus fieret, vel contra Ecclesiam auderet insurgere, Ecclesia ipsa totis viribus adnitebatur ut principem ad bonam frugem reduceret, et ad officium suum revocaret. Hinc primum Ecclesia adhibebat admonitiones, præ oculis principum objiciendo datam fidem in sui assumptione, adhortationes etiam vehementissimas adhibebat, et tandem declarabat principem indignum esse diademate christiano, et ob fractam fidem, subditos non amplius teneri vinculo subjectionis et obedientia erga principem indignum.

22. Pariter in jure publico mediæ ætatis inductum est ut Romanus Pontifex esset judex in quæstionibus internationalibus, inter principem et principem christianum, quos Ecclesia uti filios habebat. Quare si unus ex contendentibus Ecclesiæ judicio non stetisset, uti rebellis habebatur et juxta gravitatem causæ Ecclesia contra ipsum sententiam dicebat, et tandem etiam solvebat subditos ab obligatione subjectionis et dependentiæ erga ipsum.*)

*) De jure Pontificis in ethnarchia christiana, vide cit. op. Cavagnis, lib. III. art. ultimo.

Praxis igitur Romanorum Pontificum de solvendis subditis ab obligatione subjectionis erga principem fundatur quidem in dignitate auctoritatis Ecclesiæ, in subordinatione finis reipublicæ sæcularis erga Ecclesiam, formaliter tamen repetenda est ex jure publico mediæ ætatis.

23. Quæritur quinam sit judex in crimine hæreseos.

Crimen hoc suam habet rationem formalem in oppositione ad fidem, unde ad tribunal Ecclesiæ pertinet decernere utrum aliquis homo baptizatus hæreticus sit vel non. Ad judicem autem laicum spectat applicare pœnas temporales. *Cap. 19. h. t. in VI.*

24. Quoniam vero in Diœcesi immediatus custos fidei est Episcopus, hinc Episcopus procedit contra hæreticum. *Cap. 13. h. t. § 'Adjicimus' et Clem. 1. § 'Propter quod' h. t.* Hinc Episcopus est inquisitor natus hæreticæ pravitatis. Si hæreticus est persona exempta, Episcopus potest contra ipsum procedere, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus. *Cap. 3. § ult. h. t.* Gravitas autem negotii suadet in causa hæreseos non posse citare et judicare Vicarium Generalem Episcopi, vi mandati Ordinarii. *Conc. Trid. sess. 24. De Reform. cap. 6.*

25. Poterit vero contra non exemptos in casu hæreseos procedere ipse Vicarius Capitularis, Sede vacante, quia Vicarius Capitularis succedit Episcopo in jurisdictione et administratione ordinaria diœceseos.

26. Quodsi instituta fuerit in loco S. Inquisitio, etiam inquisitores possunt facultate ordinaria procedere, idest procedere potest Episcopus et procedere eodem modo possunt inquisitores a Pontifice Romano in provincia deputati. At antequam sententia proferatur ab alterutro Tribunali, mutua actorum processualium comparticipatio facienda est. *Capp. 11. et 17. h. t. in VI.* Si autem in provincia instituta non fuerit S. Inquisitio, Episcopus poterit contra hæreticos procedere ex sese, ad sententiam definitivam, quin teneatur Inquisitoribus alienæ Provinciæ acta referre.

27. *De prohibitione librorum.* Inter prohibitiones in materia hæreseos ab Ecclesia factas, reperitur etiam ea, quæ hæreticorum libros respicit. Breviter de hac prohibitione est nobis agendum:

28. Tres sunt classes librorum quos Ecclesia prohibet. Prima est eorum librorum, qui in Bulla *'Cœnæ'* prohibentur, idest qui auctore hæretico homine prodierunt. Secunda classis est, quæ

auctores habet determinatas personas catholicorum, qui tamen contra fidem vel mores scripserunt. Tertia classis auctores habet anonymos, sed reprobandas doctrinas exhibet.

29. De prima classe librorum ita in Bulla *'Cœnæ'* statutum fuisse legimus 'Excommunicamus hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicæ scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore . . .'

Igitur 1°. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ legi prohibebantur hæreticorum libri hæresim continentes, non solum, sed etiam libri eorundem hæreticorum, qui de religione tractant, licet hæresim non contineant. Ita deducitur ex particula disjunctiva *'vel'*. At correcta hæc dispositio est a Summo Pontifice Pio IX. in Const. *'Apostolicæ Sedis'* edita quarto idus Octobris 1869, in qua limitantur censuræ latæ sententiæ. Siquidem in eadem Constitutione inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Summo Pontifici reservatas, sub n. 2. excommunicatio statuta legitur contra 'omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorumdem apostatarum, et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes'. Hinc libri hæreticorum tractantes simpliciter de religione, non autem propugnantes hæresim legi nequeunt absque peccato ob prohibitionem quæ describitur in secunda *regula indicis*, tamen non incurritur pœna excommunicationis si libri hujusmodi legantur.

30. Secundæ et tertiæ classis libri, si damnati fuerint ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem, eorum lectio prohibebatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, non tamen Pontifici Romano reservatæ. *Reg. X. Indicis.* At hæc regula correcta esse videtur in cit. Const. *'Apostolicæ Sedis'*. Nam sub eodem n. 2. legitur excommunicatio contra 'legentes libros cujuscumque auctoris per apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.' Hinc prohibitio S. Congregationis Indicis quoad culpam perseverat, at excommunicatio urget tantum illos libros quos Apostolicæ literæ condemnaverint.

31. Quoad imprimentes in § ejusdem Constitutionis quæ est de excommunicatione nulli reservata sub n. 4. circa finem legitur excommunicationi latæ sententiæ, nulli tamen reservatæ subjici

'illos qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt'. Hisce positis, quædam sunt explicanda. 1°. Dicuntur *'libri'*. Cum prohibitio sit res odiosa, sub prohibitione non cadunt breves scripturæ, vel concio, vel epistola, vel oratio typis vulgata. Nam juxta Doctores liber non constituitur minus decem foliis majoribus. Hinc non videntur comprehendi sub censura Ephemerides, seu diaria hæreticorum, vel aliorum propugnantia errores, quousque manent folia per se completa, ita ut unum sit ab alio distinctum. Quare comprehenduntur sub censura quoties folia dirigantur ad componendum volumen. Verum ubi intret periculum perversionis, lectio Ephemeridum a lege ipsa naturali prohibetur.

2°. Ut prohibitio urgeat requiritur scientia prohibitionis. Licet ergo quisque ex debito naturalis obligationis teneatur vitare periculum perversionis, quando etiam prudenter dubitet de periculo hujusmodi in lectione alicujus libri, tamen prohibitio positiva Ecclesiæ urget solummodo quando verificatur scientia prohibitionis ipsius. Hinc excusat a censura ignorantia etiam crassa, et probabiliter etiam affectata, dummodo conjuncta non sit cum magna temeritate, quæ temeritas revelat contumaciam, quæ in censuris attenditur.

32. 3°. *'Legentes'* incurrunt censuram. Sed lectio debet esse formalis. Hinc qui materialiter legit absque ulla cognitione sensus non incidit sub prohibitione Ecclesiæ. Immo a censura et a peccato excusat parvitas materiæ, quæ juxta alios est si decem lineæ in lectione non superentur, juxta alios si integra pagina in folio non legatur. Melius vero tradunt alii Doctores illum incidere sub Ecclesiæ prohibitionem, qui legat etiam paucas lineas, in quibus sensus hæreticus contineatur, propter quem liber damnatus est. Nam scopus prohibitionis est, ne errores perlegantur, ne fortasse proprii fiant. Hinc paucæ illæ lineæ non constituunt parvitatem materiæ.

33. 4°. In prohibitione Ecclesiæ comprehenduntur *'retinentes'*, idest qui in propria vel aliena domo etiam alieno nomine retineant vel custodiant prohibitos libros, licet non retineant hosce libros ut eos legant, sed ob aliam causam ex. gr. ut commercium industriamque in eis exerceant.

34. 5°. Etiam *'imprimentes'* prohibitioni Ecclesiæ subduntur, quia ipsorum opera librorum iniquorum exemplaria multiplicantur.

Nomine imprimentium veniunt *componentes*, *præparantes* et *alii cooperatores*, necnon *Dominus officinæ typographicæ*, immo etiam *qui expensas facit*, ut typis liber prohibitus mandetur. Hi omnes si scienter concurrant in publicatione libri alicujus, prohibitioni subjiciuntur.

35. 6°. '*Defendentes*' quomodolibet eadem prohibitione tenentur. Hoc nomine defendentium intelliguntur illi, qui librum hæreticum *occultant*, ne judicibus fidei tradatur, vel ne flammis comburendus committatur, necnon intelliguntur illi, qui *rationes excogitant* et *proponunt* ad librum defendendum ne comburatur, vel uti bonus et in fide integer retineatur.

36. 7°. Tandem animadvertimus ex Constitutione Clementis VIII. in *Indice* librorum prohibitorum libros eorum, qui de *hæresi sunt suspecti*, vel in quibus aliqui *errores sunt commixti bonis doctrinis* prohiberi sub clausula 'donec corrigantur et expurgentur ab erroribus'.

De communicatione et disputatione cum hæreticis.

37. Olim nefas erat communicare cum hæreticis ob generalem regulam, qua interdicta erat communicatio quælibet cum excommunicatis. At post Extravag. '*Ad evitanda*' Martini V. prohibitum non est communicare cum hæreticis etiam notoriis et manifestis, dummodo removeatur periculum scandali et perversionis. Hinc licitum est Catholicis contractus et negotia civilia cum hæreticis peragere, inservire in domibus hæreticorum, adire eorumdem templa et ex justa causa audire etiam eorum publicas conciones ad notandos errores, dummodo arceatur periculum perversionis et scandali. Ita communiter Doctores. At hoc non prohibet quominus auctoritas ecclesiastica in aliquibus locis ob peculiares circumstantias, et præsertim ob periculum perversionis sub pœna censuræ interdicat fidelibus ne templa hæreticorum ingrediantur.

38. Romæ autem præ oculis habenda est Instructio Eminentissimi Cardinalis Vicarii directa Parochis die 12. Julii 1878, in qua de mandato Summi Pontificis hæc decernuntur:

1°. Excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam inter specialissimas, omnes illi, qui etiam sine voluntate adhærendi hæresi et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina hæreticorum sectis, denominationis cujuslibet.

2°. A fortiori eamdem pœnam incurrunt, qui intersunt acatholicorum functionibus aut servitiis, uti dici solent, aut prædicantem audiunt eo consilio ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt ab eo persuaderi possint.

3°. Ita etiam eamdem incurrunt excommunicationem qui alterius spiritualis ruinæ fautores effecti, inducunt quomodocumque et curant ut alii aut veniant ad aulas vel ad templa hæreticorum ad audiendas collationes.

4°. Tandem eadem innodantur pœna omnes qui typis publicant invitationes ad præfatas collationes et themata earundem, propter favorem quem tali actione præbent hæresis propagationi aut confirmationi. Strictissime vero vetatur ingredi mera curiositate et scienter aulas et templa Protestantium tempore collationum, et graviter peccant omnes, qui mera curiositate collationes Protestantium consultant et assistunt, quamvis materialiter, cæremoniis acatholicorum. *(Integra Instructio refertur in 'Acta S. Sedis' vol. XI. pagg. 168 et seqq.)*

39. Si autem sermo sit de disputatione, laicis etiam doctis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibitum est ne disputationes de fide ineant sive publice sive privatim cum hæreticis. *Cap. 2. h. t. in 6.* § *'Jubemus'*. Laici enim licet docti non præsumuntur sacras scientias callere ut fas est ad confutandos hæreticos. Ob hanc rationem prohibetur laicis prædicare hæreticis. *C. 12. h. t.* At in locis in quibus sunt constitutæ societates hæreticorum, et ubi hæretici permixti vivunt cum catholicis, lex de vetita disputatione laicorum cum hæreticis in usu non servatur, præsertim quia frequens necessitas verificatur audaciores redarguendi de erroribus, necnon veritatem propugnandi, ne pusilli in fide coram hæretico scandalum patiantur.

40. Quoad Clericos non est in jure prohibitio disputandi de fide cum hæreticis ad fidem ipsam propugnandam. Et si quæ prohibitio videatur esse hujus generis in *can. 36. in fin. caus. 24. q. 3.* ea, ut adnotat Glossa, respicit casum disputationis dubitativæ, qua nempe Clericus quin protuatur veritatem certam, potius quasi in dubium eamdem veritatem definitam revocare intendit. Cæterum in disputatione Clericus caute procedere debet, nec eam suscipiet nisi conscius de sufficienti notitia rerum: videns disputationem utilem fore, non autem cadere posse in præjudicium fidei et in scandalum aliorum.

41. Prædicare autem nequeunt hæreticis Clerici, nisi ad hoc specialiter deputati. *Cap. 13. h. t. § 'Quia vero'*. Missio enim juxta Apostolum ad prædicandum requiritur, et in specie quando hostibus fidei verbum Evangelii sit nunciandum.

TITULUS VIII.

De Schismaticis et ordinatis ab eis.

1. Ecclesia catholica, quæ est societas in genere suo perfecta componitur ex pluribus particularibus ecclesiis, quæ ceu totidem membra in ordinata dependentia cum uno capite, unum quodammodo mysticum corpus constituunt. Ex hac mutua relatione et connexione membrorum cum capite exurgit illa mirabilis unitas, qua fideles ordinis inferioris subsunt aliis fidelibus ordinis superioris, atque ita ascendendo Universa Ecclesia subest Capiti suo visibili Romano Pontifici, ita ut unum ovile exhibeat sub uno pastore. Hæc admirabilis unitas rumpitur per *schisma* seu *scissuram*.

2. Schisma aliud *purum* dicitur, aliud *non purum*. Schisma purum illud est, quod *directe* opponitur *unitati Ecclesiæ* non autem *fidei*. Ille scilicet est schismaticus purus, qui omnes prorsus articulos fidei admittit et fatetur legitimæ auctoritati in Ecclesia obtemperandum esse, tamen ex malitia denegat obedientiam legitimæ ipsi auctoritati. Exemplum hujus schismatis frequens erat, quando auctoritate imperiali expulso legitimo Pontifice, Antipapa in Sede Petri ei sufficiebatur.

3. Schisma non purum est illud, quod cum hæresi conjungitur. Hinc si aliquis articulus fidei denegetur ex. gr. si denegetur Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, vel Christi Vicarium cui sit obtemperandum, locus fit schismati non puro. Schisma purum diu non perdurat, sed facile in hæresim convertitur, qua credatur extra Christi Ecclesiam haberi posse salutem vel alia hujusmodi.

De pœnis contra Schismaticos.

4. Hæ pœnæ sunt:

1°. Excommunicatio major latæ sententiæ et Summo Pontifici reservata. Ita in Bulla *'Cœnæ'* et in Constitutione Pii IX. *'Apostolicæ Sedis' n. 3.* inter excommunicationes speciali modo Romano Pontifici reservatas.

2°. Secunda pœna est inhabilitas ad obtinenda beneficia ecclesiastica, dignitates ecclesiasticas, præsertim vero Episcopatum. Quæ inhabilitas probabiliter per se durat etiam post abjurationem schismatis, quia inhabilitas jam posita debet destrui per Decretum legitimæ auctoritatis. Hinc in cap. 5. *'De elect.'* dicitur post ejuratum schisma posse dispensari cum electo in Episcopum. Hæc autem inhabilitas non extenditur ad beneficia, quæ jam possidentur, ita ut schismaticus purus beneficio suo privandus sit. Licet enim hæc pœna a Bonifacio VIII. statuta fuisset *(cap. 11. h. t. in VI.)* tamen in hac parte Bonifacii Constitutio correcta est a Bened. XI. in Extravag. un. h. t.

3°. Tertia pœna est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ *can. 16. caus. 7. q. 1. can. 31. caus. 24. q. 2. et can. 1. h. t.* Quare nulli sunt actus schismatici, qui jurisdictionem importent; ex. gr. uniones beneficiorum, sententiæ judiciales etc.

5. Si attendatur modus loquendi *cap. 1. h. t. et can. 'Ordinationes' caus. 9. q. 1.* ipsas ordinationes schismaticorum esse *nullas* deprehendimus et *vacuas* prorsus effectu. Hæc tamen locutio intelligenda est eo sensu ut ordinatus a schismatico eo ipso sit suspensus ab exercitio ordinis, quasi nullum ordinem recepisset. Huc facit sanctio Constitutionis *'Apostolicæ Sedis'* in titulo 'De suspensionibus latæ sententiæ Summo Pontifici reservatis'. Sub n. 6. legitur 'suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.' Animadvertimus vero sanctam Sedem non solere dispensare a censura suspensionis cum illis qui præsumpserunt ordinem recipere ab hæretico vel schismatico notorio.

4°. Quarta pœna est civilis, nempe confiscatio bonorum. *Cap. un. h. t. in VI.*

6. Si autem schisma sit non purum idest commixtum cum hæresi, hoc in casu punitur eisdem pœnis, quas contra hæresim superius adnotavimus.

Titulus IX.

De Apostatis et reiterantibus Baptisma.

1. I°. *De Apostatis.* Ad genus criminum de quibus hucusque locuti sumus pertinet *Apostasia.* A divo Thoma *in 2. 2. q. 12. art. 1.* Apostosia definitur *'defectio seu recessus a Deo'.*

2. In sacris canonibus triplex præsertim hujus temerariæ defectionis species consideratur: 1°. *Apostasia a fide* quæ appellatur etiam *perfidia.* Apostata a fide ille est, qui non unum vel plures articulos catholicæ doctrinæ rejicit, aut etiam castra ingreditur alicujus sectæ hæreticorum, sed proprie Apostata a fide ille est, qui christianam religionem deserens, inter infideles vel incredulos adscribitur. 2ª. Apostasia est *defectio a religione idest a statu religioso.* Apostata a religione ille est, qui absque debita venia Superioris legitimi et sine intentione ingrediendi alium ordinem, deserit proprium ordinem religiosum, cui per professionem sese obligavit, absque animo redeundi, licet fortasse habitum ejusdem ordinis adhuc retineat. Si religiosus desereret quidem monasterium absque licentia Superioris, sed animum gereret ad illud redeundi, non apostata esset sed fugitivus, nec pœnis contra apostatas statutis subjici posset. Insuper adnotamus in sensu canonum et ad subeundas pœnas, apostatas esse solummodo illos, qui religionem deserant, in qua ex approbatione Sanctæ Sedis vota solemnia nuncupentur. 3ª. Species apostasiæ est *defectio ab ordine sacro.* Deficit ab ordine qui post susceptum ordinem sacrum, laicalem conditionem iniens, privata auctoritate habitum et ecclesiasticam tonsuram dimittit vel matrimonium attentat.

De pœnis contra Apostatas.

3. Apostasia a fide quamvis malitiam aliquam particularem præseferat, tamen reducitur ad genus defectionis circa doctrinam religionis, idest ad hæresim. Temeritas enim qua Deo revelanti denegatur assensus in uno articulo, substantialiter non differt ab alia temeritate, qua Deo revelanti prorsus assensus denegatur. Hinc in sacris Canonibus pœnæ contra Apostatas a fide sunt eædem ac pœnæ contra hæreticos statutæ.

In Constitutione *'Apostolicæ Sedis'* sub n. 1. inter excommunicationes speciali modo reservatas Romano Pontifici est excommunicatio contra 'omnes a christiana fide apostatas'.

4. Pœnæ contra apostatas a religione sunt: 1°. Excommunicatio ferendæ sententiæ, quoadusque habitus retineatur ab apostata; quæ tamen excommunicatio illico fiebat latæ sententiæ, cum habitus religiosus dimittebatur. Cap. 2. *'Ne Clerici vel Monachi'*. De hac vero pœna tacet Constit. *'Apostolicæ Sedis'*. Religiosi autem Societatis Jesu apostatæ etiamsi vota simplicia solum emiserint, illico tamen subjiciuntur excommunicationi latæ sententiæ, licet habitum non dimiserint. Constitutio Gregorii XIII. *'Ascendente Domino'*. 2°. Secunda pœna erat suspensio ab ordinibus sacris in apostasia receptis, ita ut etiam restaurata conciliatione cum Superiore, religiosus adhuc indigeat dispensatione Sedis Apostolicæ. *Cap. 6. h. t.* Hæc tamen pœna non est in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* renovata, sed solum pro ejectis religiosis censura suspensionis statuta est sub n. 5. per hæc verba: 'Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra religionem degentes'. 3°. Integro apostasiæ tempore religiosus, privatur omnibus religionis suæ privilegiis. *Conc. Trid. sess. 25. De Reg. c. 19.* et *Const. Pii IX. 'Postquam relata'*. 4°. Carceris custodia detineri potest religiosus apostata. *C. 5. h. t.*

5. Pœnæ contra Apostatas ab ordine sunt. 1°. Censura ecclesiastica ferendæ sententiæ. Cap. 3. h. t. 2°. Infamia ipso facto incurrenda. *Eod. cap. 3. h. t.* 3°. Amissio privilegii Canonis post trinam eamque frustraneam Episcopi admonitionem. *Cap. 25. 'De sentent. excomm.'* Clericis majoribus apostatis a nonnullis applicatur etiam sanctio cap. 5. h. t. in quo conceditur Episcopo facultas mancipandi eos carceri durissimo quoadusque non resipuerint. Verum inspecta decretali in suo originali prout ea refertur a Gonzalez, sanctio cap. 5. h. t. solummodo apostatas religiosos afficit; legitur enim ibi 'abjectum habitum monachalem'.

6. *II. 'De reiterantibus Baptisma.'* Adeo in Ecclesia fuit recepta et definita doctrina de prohibitione iterandi Baptisma, ut qui aliter facere præsumpserit reus gravissimi criminis habeatur; et de hæresi merito suspectus. Hinc contra reiterantes baptisma ecclesiasticæ pœnæ statutæ sunt.

Pœnæ autem sunt: 1°. Irregularitas tum baptizantis, tum suscipientis. Cap. 2. h. t. In hac irregularitate si crimen sit publicum solus Papa dispensat; si vero crimen sit occultum etiam Episcopus potest dispensare juxta generalem regulam datam a

Conc. Trid. *sess. 24. 'De Refor. c. 6.'* 2°. Pro clericis depositio, pro laicis vero excommunicatio ferendæ sententiæ.

7. Porro ut pœnæ hujusmodi incurrantur binæ conditiones requiruntur, scilicet ut scienter et absolute post validum baptisma iterum conferatur vel suscipiatur. Hinc ignorantia quæ removit crimen, excusat etiam a pœna. Quæ ratio valet etiam pro irregularitate. Quia irregularitas hic consideratur ceu pœna ob delictum imposita. Hinc pariter si iteratio fiat non quidem absolute, sed sub conditione, licet fiat cum temeritate, et absque prævia debita inquisitione, pœnæ non ligant. Ratio est; quia qui sub conditione baptizat, non habet animum rebaptizandi baptizatum. *Conf. Reiffenstuel h. t. n. 37.*

Titulus X.

De his, qui filios occiderunt.

1. Post crimina, quæ Deum ejusque religionem lædunt, tractat B. Raymundus de criminibus, quæ contra proximum perpetrantur.

In titulo agitur de parricidio et de procuratione abortus.

I. De Parricidio. Parricidii nomine intelligitur 'injusta occisio alicujus etiam illegitimi adscendentis, vel descendentis in linea recta usque in infinitum'.

2. Contra Parricidam jure antiquo statuta erat *publica pœnitentia* rigide observanda, de qua in *can. 15. caus. 33. q. 2.* In specie autem contra matrem quæ filium occidisset constituta erat *pœna detrusionis* in monasterio ad pœnitentiam sui criminis peragendam, et si hæc pœna applicari non potuisset, mater prohibebatur matrimonium contrahere absque Episcopi dispensatione. Ita in cap. 1. h. t. Hodie utraque pœna cessavit. Hinc si parricida sit laicus, in foro externo Ecclesiæ nec judicatur nec punitur, si vero sit clericus, ex sensu cap. 10. *'De Judiciis'* et *6. 'De Pœnis'* degradatur, et curiæ sæculari tradendus est ut congrua pœna mulctetur.

3. *II. 'De procuratione abortus.'* Amor illegitimus in damnato commercio carnali, malos exitus habere solet. Siquidem ne proles genita in societate compareat, non raro vel impeditur quominus in lucem prodeat, vel egressa ex utero occiditur, vel turpiter exponitur. Casus secundus, de quo agit cap. 2. h. t., compre-

henditur sub prima quæstione jam tractata, nempe in quæstione de Parricidio; de tertio casu agemus in titulo sequenti. Nunc agendum nobis est de primo casu, qui revera est procuratio abortus.

4. Contra hoc crimen lata est Constitutio Sixti V. *'Ad effrenatam' Kal. Nov. 1588.* Quæ Constitutio visa est nimis rigida tum quia pœnis gravissimis puniebat procurationem abortus fœtus etiam inanimati, tum quia absolutionem ab excommunicatione, qua procurantes abortum innodabantur, soli Romano Pontifici reservabat.

5. Quare a Gregorio XIV. correcta est dispositio Sixtina edita Constitutione *'Sedes Apost.' prid. Kal. Junii 1591.* Ex hisce Constitutionibus simul compositis inferre possumus 1°. Pœnas contra procurantes abortum fœtus inanimati speciales non esse, sed ad normam juris communis hoc crimen puniri arbitrio prudentis judicis, vel juxta regulas particulares locorum. 2°. Omnes, qui directe vel indirecte, per se vel per alium, vel per consilium aut auxilium quomodocumque procurant cum effectu abortum fœtus animati subjici sequentibus pœnis. a) Subjiciuntur omnibus pœnis ab utroque jure contra homicidas statutis. b) Contrahunt irregularitatem. c) Ipso facto excommunicationem incurrunt.

6. d) Si clerici sint privantur omni privilegio clericali, privantur ipso facto quolibet officio et beneficio quod jam habeant, et inhabiles fiunt ad quodlibet officium vel beneficium ecclesiasticum assequendum. e) Insuper contra Clericos statuta est pœna degradationis, qua peracta, clericus delinquens traditur Curiæ sæculari, ut juxta leges divinas et humanas puniatur. f) Præter hujusmodi pœnas, procurantes abortum fœtus animati, privantur jure immunitatis ecclesiasticæ, seu sacri asyli, eodem modo, quo privantur hoc privilegio rei homicidii proditorii, ex Constitut. Gregorii XIV. *'Cum alias nonnulli'*. Ita S. Congr. Conc. 3. Dec. 1832.

7. Circa istas pœnas animadvertimus irregularitatem, excommunicationem et inhabilitatem ante omnem sententiam judicis in foro interno obligare, non ita vero dicendum est de pœna privationis beneficii, quæ cum importet externam executionem non obligat ullo modo ante sententiam judicis saltem criminis declaratoriam. Animadvertimus insuper vi cit. Constit. Gregorii XIV. ab excommunicationis pœna posse absolvere Episcopum vel alium

quempiam ab eo deputatum; in pœnis autem irregularitatis, privationis et inhabilitatis dispensare solummodo Romanum Pontificem.

8. Immutatio facta est in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* quoad pœnam excommunicationis. Nam inter excommunicationes latæ sententiæ Episcopo seu Ordinario reservatas sub n. II°. legitur excommunicatio contra 'procurantes abortum effectu sequuto'. Unde dummodo sequatur abortus, sive fœtus sit animatus, sive sit inanimatus censura excommunicationis incurritur. In reliquis servatur jus antiquum quoad conditionem fœtus animati.

9. In cap. ult. h. t. agitur de parentibus qui cubantes in lecto cum teneris filiis absque repagulo et debita diligentia, et proinde ex facto culpabili eosdem filios suffocarunt. Contra istos *in cit. cap. ult. h. t. et in can. 20. caus. 2. q. 5.* statuitur triennalis pœnitentia, et simul præcipitur ut maxima diligentia adhibeatur. Verum pœnitentia triennalis ob disciplinam mutatam obsolevit, nec alia canonica pœna in ejus locum suffecta est. Remanet præceptum etiam Ecclesiasticum de observanda debita diligentia a parentibus, ut periculum suffocationis filiorum removeatur.

Immo inter casus Episcopo reservatos in nonnullis Diœcesibus accensetur etiam factum culpabile suffocationis filiorum.

Titulus XI.

De infantibus et languidis expositis.

1. Nomine *infantium expositorum* veniunt 'liberi saltem minores septennio, qui contra officium pietatis deseruntur, et nisi ab alieno auxilio suscipiantur et sustententur, necessario misere pereunt'.

Languidi dicuntur illi 'qui gravi et perpetuo vel saltem diuturno morbo laborantes nequeunt sibi quæ vitæ necessaria sunt procurare'. Tales sunt etiam senes.

2. In genere expositio infantium et languidorum est graviter peccaminosa; at potest etiam culpa carere si fiat gravi et legitima causa quemadmodum esset extrema indigentia, qua parentes filios, et Domini servos alere non possent.

3. Quodsi vero expositio fiat ex delicto, idest absque legitima causa 1°. Parentes amittunt patriam potestatem, Dominus vero dominicam, utrique vero solummodo in quantum potestas est one-

rosa filio et servo, et utilis parentibus vel dominis non autem viceversa. Cap. un. h. t. 2⁰. Si expositus demoriatur mors expositoribus tribuenda est, et ipsi de ea tenentur respondere.

Expositi suscipiendi et alendi sunt in piis domibus seu in brephotropheis vel aliis locis a pietate christiana erectis; quæ si desint Ecclesia ipsa debet eos suscipere et educare. Si Ecclesia hoc opus præstare non possit tenebitur Communitas loci, idest omnes concurrere tenentur sive ecclesiasticæ sive laicales personæ. Ita communiter Doctores. Nec deinde ab exposito expensæ repeti possunt, quia pietatis causa factæ fuisse censentur. *Cap. un. h. t.*

4. Conditio juridica infantium expositorum est, ut si nesciatur locus originis sortiantur proprium Episcopum et proprium Parochum in loco expositionis. Præsumuntur vero legitimi nisi probetur genitos fuisse ex illegitimo concubinatu. Argumento enim ex capp. 5. et 11. *'Qui filii sint legitimi'* opponenti illegitimitatem onus probandi incumbit. Verum hæc regula non videtur applicari posse expositis relate ad Ordines, et relate ad beneficia ecclesiastica. Nam ex disciplina Ecclesiæ debet positive constare de legitima nativitate personæ promovendæ.

Titulus XII.

De homicidio voluntario et casuali.

1. Homicidium in hoc titulo consideratur in relatione ad censuras ecclesiasticas. Porro eo nomine intelligitur occisio hominis facta ab alio homine, siquidem si a bruto fiat appellatur *'pauperies'* Jur. Rom. ff. h. t. *'Si quadrupes pauperiem'*.

2. Homicidium aliud est *voluntarium*, aliud *involuntarium* seu *casuale*. Voluntarium est homicidium quando procedit ex intentione directa occidendi aliquem hominem, vel saltem indirecta, et proinde imputatur agenti. Voluntarium aliud dicitur *necessarium* idest electum tamquam medium ad vitæ defensionem, aliud dicitur *dolosum* quia procedit ex fraude, idest ex intentione directa et injusta perdendi hominem; aliud *culposum* quod non intenditur ab agente, sed procedit ex sola ejus culpa, ex defectu debitæ diligentiæ. Casuale vel fortuitum illud est quod ex casu procedit, neque directe aut indirecte nobis tribui potest. Rursus homicidium aliud est *publicum*, aliud *privatum*. Publicum illud est quod a

legitima auctoritate permittitur quemadmodum contingit in bello, et in executione ultionis publicæ contra delinquentes. Privatum homicidium illud est quod privata auctoritate patratur.

De homicidio publico.

3. *'De homicidio publico quod in bello gerendo potest perpetrari'. In bello injusto* si unus ex hostibus occidatur vel mutiletur omnes qui ad illud processerunt vel cooperati sunt, irregulares fiunt, omnes enim sunt complices in criminosa occisione. *Can. 4. dist. 51. et cap. 6. h. t.* § *fin. et arg. cap. 5. 'De pœnis'.* Injustitia autem debet esse *evidens* nec sufficit *opinabilis.* Evidens autem injustitia ex indole causæ belli, et melius ex communi proborum hominum sententia determinatur. Requiritur vero evidens injustitia, quia bellum inferentes et cooperatores constitui debent in mala fide, ita ut a crimine excusari nequeant. Hinc qui solummodo bello injusto assistant ut spiritualibus auxiliis militibus præsto sint, nec ullo modo milites ad pugnandum adhortantur, irregularitatem non contrahunt.

4. Quod si *bellum* fuerit *justum* iterum distinguendum est inter bellum *aggressivum* et *defensivum.* In bello aggressivo seu offensivo fiunt irregulares illi omnes et soli, qui adversarios vel occidant vel mutilent non quidem ob delictum, sed ob defectum mansuetudinis et lenitatis, quæ in suis ministris ab Ecclesia exigitur, ut Christi Domini imaginem referant. *Arg. c. 24. h. t.*

5. Si bellum fuerit justum defensivum, cum quodammodo quis adversarium occidat ad propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ neque ipsi qui occidunt milites hostes incurrunt irregularitatem. *Clem. un. h. t.*

6. *'De homicidio publico, quod in expiatione criminum ex publica auctoritate completur.'* Omnes qui concurrunt in hoc homicidio ex defectu lenitatis fiunt irregulares. Hinc judex, accusator, aut denunciator, adsessor, advocatus accusatoris, notarius scribens sententiam capitalem, testes contra reum deponentes, saltem si sponte sese obtulerint ad ferendum testimonium, omnes deferentes reum ad supplicium, et in genere quicumque partem habent activam et publicam, vel saltem notabiliter proximam contrahunt irregularitatem, effectu tamen secuto. Si enim mors ob quamlibet rationem secuta non fuerit, irregularitas non incurritur

Conf. sunt capp. 5. et 9. 'Ne clerici vel Monachi' 10. 'De excessu Præl.' necnon canones 1. Dist. 50. et 29. causa 23. q. 8.

7. Relate ad accusatorem vel denunciatorem animadvertimus incurri solummodo irregularitatem, quando accusatio seu denunciatio rei fit *criminaliter,* idest ad vindictam. Hinc si laicus vel clericus reum accusent ad obtinendam damnorum reparationem et protestentur se nolle criminaliter agere, nullo modo fiunt irregulares. *Cap. 21. h. t. et cap. 2. h. t. in VI.*

8. Pariter animadvertendum est ab irregularitate immunes esse eos qui in pœnam sanguinis auctoritate privata et non publica, nec propinque sed valde remote, et potius accidentaliter concurrunt. Tales sunt opifices qui instrumenta mortis inferendæ conficiunt, confessarius, qui reum admonet ut procedat in via, vel ascendat scalas patibuli, eumque adjuvat. Sic etiam immunes sunt legislatores, qui ferunt leges cum pœna capitali, quia leges et statuta non ordinantur ad hunc vel illum in specie civem perdendum, idest certam personam occidendam non respiciunt, sed potius ad publicam pacem et rectum societatis regimen obtinendum diriguntur.

De homicidio voluntario.

9. Si homicidium sit necessarium, idest si patratum fuerit pro defensione vitæ, vel omnium bonorum, vel saltem maximæ partis eorumdem bonorum cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, homicidium honestum et licitum est, neque ex eo oritur irregularitas. *Arg. Clem. un. h. t.* Qui tamen excedunt moderamen inculpatæ tutelæ irregularitatem incurrunt. *Can. 6. et 8. Dist. 50. et cap. 28. h. t. necnon Trid. sess. 14. cap. 7. 'De Refor.'*

Diximus *'pro defensione omnium bonorum vel saltem maximæ partis eorumdem'*. Hinc ex cap. 10. h. t. qui occidit latronem furantem vestes vel aliud simile irregularis dicitur.

10. Si homicidium sit dolosum vel graviter culpabile plures sunt pœnæ a Jure Romano statutæ. Nos solum adnotamus pœnas quoad clericos, et in relatione ad statum Clericalem. Hinc si clericus sit auctor criminis fit inhabilis ad beneficia obtinenda, *Trid. sess. 14. cap. 7. De Ref.,* immo est deponendus *can. 12. dist. 81. et cap. 10. De judiciis.* Quicumque tandem sive clericus sive laicus auctor sit homicidii dolosi aut graviter culpabilis ex defectu debitæ diligentiæ, et quicumque proxime cooperantur in

cædem vel mutilationem injustam, mandans, mandatarius, consulens, consentiens efficaciter et illi qui impedire homicidium poterant et ratione officii debebant, non tamen impediverunt, omnes incurrunt irregularitatem. *Capp. 7. et 8. h. t. et fin. eod. in VI.*

11. Immo posito facto homicidii vel mutilationis, qui dubitant an cooperati fuerint in crimen vel debitam diligentiam omiserint ceu irregulares habendi sunt. Unde dubium facti non excusat ab irregularitate. *Capp. 12. et 18. h. t.*

12. Diximus irregularitatem contrahi ex homicidio vel mutilatione graviter culpabili. Nam si quis operam dederit rei licitæ, et ex ejus facto leviter culpabili mors vel mutilatio alterius sequatur, locus non est irregularitati ex delicto. Ex sensu enim *capp. 22. h. t. et 7. 'De Pœnitent. et Remission.'* culpa lata requiritur.

13. In homicidio casuali distinguendum est utrum quis dederit operam rei licitæ vel illicitæ. Si homicidium fortuito contigerit, dum quis omnem adhibens diligentiam rei licitæ vacaret, nulla contrahitur irregularitas; quia agens in casu neque criminis reus ullo modo est nec mansuetudinem offendisse dici potest. Hinc variæ propositæ species *in capp. 9. 13. 14. 15. 16. 22. 23. et 24. h. t.* contra existentiam irregularitatis sunt resolutæ.

14. Quod si homicidium vel mutilatio contigerit casu, quo quis operi illicito vacaret, iterum videndum est utrum actio illicita de se inducere possit periculum mortis vel mutilationis, vel cum iisdem nullam habeat connexionem. Sunt qui tenent etiam in hac secunda hypothesi homicidium prorsus casuale inducere irregularitatem et innituntur sensui contrario capitum citatorum in quibus excluditur irregularitas eo quod dabatur opera rei licitæ. — At dicendum in hoc secundo casu, si adhibita fuerit debita diligentia, irregularitatem non contrahi, quia quamvis agens sit reus ob actionem illicitam, tamen de homicidio non tenetur, nec sub respectu criminis, nec sub ratione defectus lenitatis.

15. At si actio illicita natura sua inducit periculum mortis, et si præsertim ob hoc periculum fuerit vetita, homicidium etiam fortuitum generat irregularitatem. Unde Clericus exercens artem medicam, vel chirurgicam sibi vetitam fit irregularis si mors sequatur. *Cap. 19. h. t. et 9. 'Ne clerici vel monachi.'* Ratio est quia ob prohibitionem fundatam in connexione actionis cum morte homicidium imputari potest agenti. Nec excusat debita diligentia

quia jus præsumit diligentiam insufficienter adhiberi a personis quibus actio prohibetur. Igitur concludendum est ex homicidio et ex mutilatione, positis supra enunciatis conditionibus, contrahi irregularitatem.

16. Dicimus 1°. 'ex *homicidio*'. Hinc non ex vulnere inflicto; licet magna inde effluxerit sanguinis copia. Quod si autem vulnus fuerit lethale contrahitur irregularitas et reliquæ pœnæ applicandæ sunt homicidis, sive mors illico, sive etiam post intervallum temporis inde sequatur. Quia vulnus hujusmodi fuit vera causa mortis. *Arg. cap. 18. h. t.* Medici autem et chirurgi judicabunt an vulnus fuerit lethale necne.

17. Dicimus 2°. 'ex mutilatione'. Mutilatio enim æquiparatur homicidio, quia dirigitur ad lædendam integritatem personæ, seu ad perdendam personam in membris suis, et in aliquo genere actuum. *Arg. Clem. un. h. t., capp. 4. et 5. 'Ne Clerici vel Monachi'.* Mutilatio autem definiri solet communiter a Doctoribus: 'Abscissio seu amputatio partis principalis corporis, seu membri, quod proprium actum distinctum, seu functionem habet.' Talia sunt manus, pes, oculus, aures, virilia, mamillæ in femina, non autem digitus, cartilago, nasus, dens.

18. Circa dispensationem ab irregularitate orta ex homicidio servandum est jus novissimum Concilii Trid. *In cap. 7. sess. 14. 'De Refor.'* statuit homicidium ex proposito patratum, etiamsi occultum fuerit inducere inhabilitatem ad ordines et ad officia vel beneficia Ecclesiastica, ita ut nullo modo ab Ordinariis locorum possit dispensatio concedi auctori hujus criminis. Si vero narretur homicidium fuisse commissum non ex proposito, sed ad vim vi repellendam, ait Concilium ab Ordinario posse causam videri, et concedi dispensationem quomodocumque ea debeatur. In cap. autem *6. sess. 24. De Refor.* ita statuit. 'Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.' Unde sive voluntarium homicidium publicum sit, sive occultum, dummodo non sit ad propriam defensionem initum, irregularitas ex eo proveniens a solo Romano Pontifice dimittitur.

19. Quoniam vero mutilatio licet comparetur homicidio, tamen stricto sensu homicidium non est, hinc poterit Episcopus dispensare

ab irregularitate ex mutilatione occulta, quia Tridentinum Concilium homicidium occultum excepit. Ceterum licet dispensatio sit strictæ interpretationis, tamen facultas dispensandi concessa Episcopis a Concilio Tridentino, est latæ interpretationis, quia est favor eisdem Episcopis concessus.

Titulus XIII.

De torneamentis.

1. *Torneamenta* seu *hastiludia* erant 'feriæ seu ludi publici in quibus equites circumeuntes et regredientes armis congredi solebant, ad ostendendas proprias vires et peritiam in armis tractandis'. Ob frequentes casus occisionis, qui evenire solebant, Ecclesia prohibuit torneamenta et in capp. 1. et 2. h. t. privavit sepultura ecclesiastica eum qui licet pœnitens in ludo decertans occubuisset.

2. Joannes 22. in Extrav. un. h. t. ut milites instruerentur in bello gerendo, et præsertim contra Turcas, permisit fieri torneamenta, eo tamen facto exercitio armorum ex quo removeretur periculum mortis. Sic etiam remoto periculo vitæ et adhibitis necessariis cautelis, torneamenta permissa sunt in signum lætitiæ, ex. gr. ex occasione nuptiarum Principum.

3. Ob eamdem rationem torneamentorum, prohibitæ sunt *agitationes taurorum* et *ferarum bestiarum* in quibus pugnæ instituebantur ludendi gratia inter personas ludentes et bestias ipsas. Hæc prohibitio facta est a Pio V. in Const. *'De salute' 1. Novemb. 1567.* Et quidem decernit S. Pontifex pœnam excommunicationis contra Principes sæculares et alias auctoritates civiles permittentes istos ludos, et contra Clericos sive sæculares sive regulares hujusmodi ludis assistentes.

4. Rigorem hujus Constitutionis pro solis Hispaniarum regnis temperavit Gregorius XIII. in Constit. *'Exponi nobis' 25. Augusti 1575* sustulitque pœnam excommunicationis, interdicti, et alias pœnas quoad laicos ac fratres milites, dummodo iidem fratres milites non essent in majoribus ordinibus constituti.

5. Tandem a Clemente VIII. Constitutione edita die 13. Jan. anni 1596, sublata est prohibitio pœnalis contra spectatores horum ludorum, etiamsi fuerint Clerici sæculares; non autem si fuerint regulares, quia quoad istos jus pristinum integrum relictum est.

6. Verum de pœna excommunicationis Pianæ Constitutionis *'De salute'* silet Constitutio *'Apostolicæ Sedis'* adeoque ea excommunicatio cessavit etiam quoad regulares.

Titulus XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

1. Duellum seu monomachia est 'singulare certamen ex utraque parte sponte et ex condicto susceptum'.

Duellum ab Ecclesia ob frequentes humanas victimas, uti res detestabilis habita est. Hinc in cap. 1. h. t. contra Clericum duellantem, statuitur pœna depositionis, et si aliquis sive per se, sive per alium occiderit adversarium ex cap. 2. h. t. irregularis redditur.

2. Aliæ deinde accesserunt leges Ecclesiæ in hac re. Prima est tridentina lex in *sess. 25. De Ref. c. 19.* ubi sequentes pœnæ statuuntur: 1ª. Sæculares principes, qui in suis terris inter christianos locum concesserint ad monomachiam complendam eo ipso excommunicationi subjiciuntur. Et si terras ab Ecclesia in feudum acceperint, eo ipso privantur omni jurisdictione. 2ª. Duellantes et eorum patrini incurrunt pœnam excommunicationis, proscriptionis bonorum, et perpetuæ infamiæ, et ut homicidæ juxta sacros canones puniri debent. Quodsi in conflictu decesserint, christiana sepultura perpetuo privantur. 3ª. Consilium dantes, suasores et spectatores, qui tamen ex industria quasi approbantes duellum excommunicationis et perpetuo maledictionis vinculo subjiciuntur.

3. Accessit Constitutio Gregorii XIII. *'Ad tollendam'* 5. Dec. 1582 qui videns eludi posse sanctionem Tridentinam, pœnas ejusdem sanctionis extendi declaravit ad duellum privatum et minus solemne, et absque patrinis, absque securitate loci, et absque aliis solemnitatibus initum.

4. Clemens VIII. deinde in Constitutione *'Illius vices' 17. Augusti 1592.* 1°. easdem pœnas extendit ad ipsam provocationem et ad cooperationem ad duellum etiam certamine non secuto; 2°. ipsos etiam provocantes et cooperantes excommunicationi Papæ reservatæ subjicit, nec non pœnæ infamiæ juris et privationis sepulturæ eccle-

siasticæ; 3°. decrevit loca certaminis eo ipso supponi interdicto reservato Romano Pontifici.

5. Insuper edita est Constitutio *'Detestabilem' IV. Idus Nov. 1752* in qua Benedictus XIV. statuit 1°. eum qui decertans in duello hominem occiderit, sive in loco conflictus, sive extra locum mortuus fuerit ex vulnere accepto in duello, privari jure asyli sacri; 2°. statuit pœnam sepulturæ a Tridentino inflictam incurri etiam ante sententiam judicis; 3°. hanc pœnam incurri etiam ab eo, qui ex vulnere accepto in duello demoritur extra locum conflictus, etiamsi ipse vulneratus indubia dederit signa pœnitentiæ et obtinuerit ab Ecclesia absolutionem a peccatis et a censuris.

6. Tandem in Constitutione *'Apostolicæ Sedis'* inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatas sub n. III. legitur excommunicatio contra 'Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam vel favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint etiam regalis vel imperialis.'

Titulus XV.

De sagittariis.

1. *Sagittarii* vel *ballistarii* erant illi, 'qui arte callebant arcubus vel ballistis longius projiciendi saxa etiam magni ponderis, aut globos ferreos vel plumbeos'. Hæc ars erat præsertim in usu in bellis sacris contra Turchas. Hinc in *cap. un. h. t.* sub anathematis pœna prohibetur exercitium hujus artis adversus christianos. Ex paritate rationum prohibitum esse censetur idem exercitium in bello hæreticorum contra christianos.

2. Huic arti successit *peritia moderandi actionem tormenti bellici, ignitosque globos vel ferreas pilas data directione projiciendi in hostes.* In bello prorsus civili etiam inter catholicos, nemo est qui hanc peritiam militaris actus reprehendat. Etenim juxta *can. 2. caus. 23. q. 2.* 'cum quis justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis veniat nihil ad justitiam refert.' Attamen Doctores cum Glossa in cap. ult. h. t. non approbant usum hujus peritiæ in bello injusto, ob generalem rationem quia nunquam licet pugnare in bello evidenter injusto.

Titulus XVI.

De adulteriis et stupro.

1. I°. *De adulterio.* In *can. 2. caus. 36. q. 1.* adulterium dicitur *'violatio fidei et tori conjugalis'*. Scilicet verificatur adulterium quoties unus conjux copulam carnalem habeat cum tertia persona. Ut vero perpetretur adulterium formale ad subeundas pœnas duo requiruntur 1°. *dolus* seu animus violandi fidem conjugalem; 2°. *actualis copula carnalis.* Quare ignorantia facti excusat, nec adulterium constituunt simplices delectationes, et actus impudici, qui absque copula ponantur. Si alteruter ex coëuntibus solummodo sit matrimonio ligatus, adulterium dicitur *simplex; duplex* vero si uterque ex coëuntibus ligetur matrimonio cum distincta persona.

2. Jure divino-positivo Veteris Testamenti *(Lev. 20.* et *Deuter. 22.)* pœna adulterii erat mors mœchi et adulteræ. Quam pœnam Constantinus Imperator renovavit in jure civili *l. 30. § 1. Cod. h. t.* Ante enim Constantinum statuta fuerat pœna exilii; *l. 5. ff. 'De quæstionibus'*. Jure canonico contra laicos adulteros statuta fuit excommunicatio ferendæ sententiæ. *Cap. 6. h. t.* Mulieres adulteræ consentiente marito, poterant detrudi in monasteria sub rigida custodia ut ibi agerent perpetuam pœnitentiam. *Cap. 19. 'De conversione conjugatorum'*. Clerici adulteri juxta *can. 11. dist. 81.* deponi debebant ab officio et beneficio, et detrudi in monasteria ad pœnitentiam agendam.

Pœnæ hujusmodi ob contrariam consuetudinem obsoleverunt, et successit alia pœna juxta locorum mores, vel arbitrio prudentis judicis infligenda.

Inter pœnas quæ sequuntur ex adulterio est etiam illa divortii quoad torum et cohabitationem instituendi ad petitionem conjugis innocentis.

3. Quæritur quinam possint agere contra adulterum conjugem ex titulo adulterii.

Si sermo sit de actione civili ad sarcienda damna orta ex adulterio, quilibet potest contra adulterum conjugem judicialiter agere, qui ex adulterio damnum passus fuerit. Quoad divortium obtinendum vir potest agere contra uxorem adulteram, quemadmodum etiam viceversa uxor contra virum adulterum, quia divor-

tium procedit ex rupta fide juxta illud principium: 'Frangenti fidem fides frangatur et ipsi'. Ad accusandum vero criminaliter conjugem adulterum, admittitur 1°. conjux innocens. Jure quidem romano vir poterat criminaliter agere contra uxorem *l. 1. Cod. ad legem Juliani;* non autem viceversa. Jure autem canonico mulier æquiparata est viro, ita ut uxor etiam possit criminaliter agere contra virum. Ita in *cap. ult. et pen. caus. 32. q. 2.* 2°. Admittuntur pater et proximi consanguinei conjugis innocentis, qui justo dolore tacti ob crimen præsumuntur. Jure Romano hisce deficientibus admittebantur etiam extranei, sed hodie ne domesticæ maculæ revelentur in præjudicium pacis et honoris familiarum, nisi adulterium sit publicum et causa scandali, non tam facile extranei admittuntur ad denunciandum vel accusandum adulterium, sed attenditur querela conjugis innocentis.

4. Judex autem in causa adulterii potest esse ecclesiasticus vel sæcularis. Si vero quæstio fiat de sola separatione tori et cohabitationis ex capite adulterii solus judex ecclesiasticus est competens, quia judex ecclesiasticus est, qui videre debet, an obligationes ex vinculo matrimoniali ortæ perseverent vel non. *Capp. 3. et 4. 'De Divortiis'.*

Si de causa adulterii agitur, simulque agitur de causa sanguinis, solus judex laicus de adulterio videt, quia Clerici prohibentur *capp. 5. et pen. 'Ne clerici vel monachi'.*

Tandem si de adulterio agatur criminaliter idest solummodo ad vindictam publicam, adulterium est crimen mixti fori, ecclesiastici nempe et laicalis, ita nempe ut detur locus præventioni. *Cap. 8. 'De foro competen.' cap. 1. 'De off. Jud. ordin.' et cap. 3. 'De procurator.'*

5. Relate ad probationes animadvertimus non requiri *directas* per testes et documenta, quæ juridicam existentiam facti ostendant. Si enim hæc requirerentur, nullum vel fere nullum adulterium puniretur. Quare in defectu testium, præsumptiones vehementes et violentæ conjecturæ, et adminicula admittuntur, quæ viro prudenti rationalem præbeant persuasionem et moralem certitudinem de existentia delicti. *Capp. 2. et 12. 'De præsumptionibus'.* Notandum vero est, ad virum damnandum non esse sufficientem mulieris juratam confessionem, qua dicat se ab illo fuisse corruptam, si vir factum deneget *cap. 5. h. t.* Immo potius viro neganti creditur, quia asserenti incumbit onus probandi.

6. II°. *De stupro.* Stuprum communiter dicitur *'illicita virginis defloratio'*. At ad notionem stupri rite determinandam videtur attendenda esse mulieris voluntas. Scilicet si virgo explendæ libidinis causa consenserit in copulam carnalem, absque violentia viri vel seductione, habebitur simplex defloratio. Quod si puella vel oppressa vi, aut territa minis, aut seducta blanditiis et promissionibus passa fuerit deflorationem habebitur stuprum in sensu juris. Hinc stuprum aliud *simplex* est, aliud *violentum.* Simplex est defloratio virginis seductæ, violentum est illud quo per vim invita virgo oppressa vel minis territa defloretur. Quoniam vero puella non verecunda nec modesta, sed potius adsueta liberioribus conversationibus, et suspectæ consuetudini addicta non præsumitur honestis moribus decorari; quare nec præsumitur seducta, sed potius præsumitur in copulam consensisse ad explendam libidinem, hinc quando non constat de præcedenti vera honestate puellæ, sed potius indubia signa habeantur licentiæ et vitæ minus honestæ et custoditæ, stuprum intervenisse non præsumitur, sed simplex defloratio.

Cum seductio vel violentia possit adhiberi etiam contra honestam viduam, hinc doctores etiam in honesta vidua stupri notionem et juris dispositionem, quæ proprie de virginibus est agnoscunt et tuentur.

7. Hisce positis, ex simplici defloratione non descendit ulla obligatio viri, sive in matrimonium ducendi sive dotandi puellam defloratam. Defloratio enim in casu reducitur ad peccatum contra castitatem, nec ulla mulieri consentienti injuria est illata, quæ compensationem exigat. 'Scienti enim et consentienti non fit injuria neque dolus'. *Reg. 27. Jur. in VI°.*

8. At in stupro præter peccatum deflorationis reperitur etiam læsio justitiæ ob injuriam illatam honestæ puellæ quæ jacturam passa est honoris sui, et spem forsitan amisit nuptiarum conditioni suæ convenientium. Quare hæc injuria est reparanda. Ex sensu *capp. 1. et 2. h. t.* reparatio injuriæ ita facienda præscribitur: 'Scilicet stuprator ducere in uxorem tenetur mulierem violatam; si id facere recuset tenetur eam convenienter dotare, quod si non possit dotem congruam solvere, subire debet pœnas corporales detrusionis in monasterio seu potius in carceribus publicis'. Notandum est in capite 1°. locutionem esse copulativam, ex qua videretur stuprator teneri ad dotandam simul et ducendam uxorem

puellam stupro violatam. At constans interpretatio capitis semper illud accepit in sensu disjunctivo, ita ut vir teneatur vel ducere, vel dotare puellam.

Si stuprator est Clericus, præter dotem, quam juxta cap. 1. h. t. mulieri solvet, ex *cann. 12. et 13. Distinct. 81.* deponendus est. At forsitan in praxi tenenda est sententia eorum, qui tenent Clericum stupri auctorem puniendum esse arbitrio judicis.

9. Auctores in hoc titulo communiter agunt de variis speciebus criminum contra sextum Decalogi præceptum præsertim prout habent relationem ad forum externum.

Breviter sit sermo de fornicatione, concubinatu, incestu, sacrilegio et de delictis contra naturam.

10. I°. *De fornicatione.* Fornicatio specifice sumpta est 'concubitus personæ solutæ cum muliere soluta absque stupri qualitate'. Fornicatio si deducatur ad forum externum plectitur pœna extraordinaria et juxta prudens judicis arbitrium. Vir non tenetur mulierem ducere vel dotare, sed prolem alere tenetur quæ ex fornicatione nascatur. *Cap. 5. 'De eo qui duxit'.* Quod si plures commercium habuerint cum eadem muliere, onus alendi prolem vel uni vel omnibus imponendum est, prout proportio temporis inter epocam commercii et partus, physiognomia prolis et alia adminicula, unum vel plures auctores criminosæ conceptionis fuisse insinuant. Præ primis autem favor prolis est attendendus, quæ absque alimentis relinqui nullatenus debet. Cæterum ubi publica caritatis hospitia pro excipiendis expositis infantibus instituta sunt, filii ex illegitimo concubitu relinquendi facile non sunt parentibus ob scandali periculum.

11. II°. *De concubinatu.* Concubinatus jure Romano verificabatur 'cum quis domi mulierem solutam loco uxoris retinebat'. In ordine autem ad pœnam concubinatus locum habet 'cum quis sive domi sive extra illicitum commercium carnale assidue exerceat'. De Clericis concubinariis in specie agitur in *lib. 3. tit. 2.*

Ad exstirpandum vero concubinatum etiam laicorum Concilium Tridentinum in *sess. 24. De Ref. matr. c. 8.* statuit concubinarios quoscumque, si postquam ab Ordinario etiam ex *officio* ter moniti, concubinam non dimiserint, non absolvendos esse, sed excommunicatione ligari, quoadusque admonitioni non obtemperaverint. Relate autem ad mulieres statuit Concilium Tridentinum eas ab

Ordinariis graviter puniendas esse, et si videbitur Ordinariis easdem expellendas esse extra oppidum vel Diœcesim invocato etiam brachio sæculari.

12. III°. *'De incestu'*. Incestus stricto sensu sumptus est 'illicitus concubitus inter consanguineos vel affines in gradu vetito ad contrahendum matrimonium existentes'. Incestus lato sensu sumptus comprehendit 'illicitum concubitum inter personas habitum, quæ impedimento dirimente detinentur ad contrahendum inter se matrimonium'. Potest esse *simplex* vel cum *attentato matrimonio*.

Reus incestus simplicis si est laicus punitur excommunicatione ferendæ sententiæ. *Can. 'De iis' caus. 35. q. 2.* — Clericus vero incestuosus deponendus est, et beneficio privandus, *arg. cann. 10. et seqq. Dist. 81.* in quibus hæc pœna adulteris Clericis assignatur. Jamvero incestus non adulterii crimine inferior, immo majus crimen dicitur *can. 11. caus. 32. q. 7.*

Nuptiæ incestuosæ puniuntur excommunicatione latæ sententiæ. *Clem. un. 'De consang. et affin.'*

At hæc censura cessasse dicenda est, quia non enunciatur in Constit. Pii IX. *'Apostolicæ Sedis'*.

13. IV°. *De sacrilegio.* Quamvis sacrilegium locum habeat quoties concubitus locum habeat cum persona speciali voto, vel ordine majori Deo consecrata, tamen in foro externo in ordine ad pœnas canonicas sacrilegium est 'copula carnalis cum moniali'. Pœnæ sunt: Laicus excommunicatur. Clericus autem privatur beneficio, deponitur ab Ordine et in Monasterio detruditur ad pœnitentiam. *Can. 6. et 28. caus. 27. q. 1.* et *Doctores ibid.* Monialis vero, si libere consenserit, detruditur in arctius monasterium vel in carceribus monasterii sui, ad perpetuam pœnitentiam agendam. *Cann. 11., 28. et 30. caus. 27. q. 1.* Huc referenda est dispositio Constitutionis *'Apostolicæ Sedis'* Pii IX. in qua sub § 1. de excommunicationibus latæ sententiæ Ordinario reservatis, huic excommunicationi subjici decernitur 'omnes in sacris ordinibus constitutos, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes, necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes'.

14. V°. *De criminibus contra naturam.* Crimina contra naturam in materia sexti præcepti sunt *sodomia, bestialitas, mollities et inordinatus congressus carnalis cum muliere ad evitan-*

dam prolis generationem. De priori solum crimine Canones in specie tractant. Hinc contra reliqua si ad forum externum uti crimina deducantur, puniri poterunt pœna extraordinaria juxta malitiæ et scandali qualitatem. Breviter igitur

De sodomia. Hoc crimen horrendum appellatum nil aliud est 'quam coitus carnalis non servata debita diversitate sexus'.

A jure ipso civili inflictæ fuisse leguntur gravissimæ pœnæ sodomitis. In jure canonico laicus de sodomia convictus præcipitur excommunicari. *Cap. 4. 'De excess. Prælat.'* Clericus vero privatur beneficio et a statu clericali dejicitur; *eod. cap.*

Accessit vero Constitutio S. Pii V. *'Horrendum'* III. Kal. Sept. 1568 in qua ita decernit: 'omnes et quoscumque presbyteros et alios clericos sæculares et regulares cujuscumque gradus et dignitatis tam dirum nefas exercentes omni privilegio clericali omnique officio, dignitate, beneficio ecclesiastico auctoritate ipsius Constitutionis, idest ipso facto privari, ita ut per judicem ecclesiasticum degradari et potestati laicæ tradi debeant, et eisdem applicetur pœna, quæ pro laicis de hoc crimine convictis statuta est'.

Titulus XVII.

De raptoribus et incendiariis et violatoribus ecclesiarum.

1. I°. *De raptoribus.* Raptus duplex in titulo consideratur, *personarum* et *rerum.* Raptus personarum consideratus in ordine ad explendam libidinem, definiri potest 'violenta virginis vel alterius cujuscumque honestæ feminæ de loco in locum abductio libidinis explendæ causa'.

Raptus juxta Romanorum jus pœna mortis puniebatur. *L. un. Cod. 'De raptu Virginis'.* Ex jure canonico pœnæ sunt ut laicus raptor excommunicetur, clericus vero ab ordine clericali degradetur. *Cann. 1. et seqq. caus. 36. q. 1. et cap. 4. 'De purg. canonica'.*

2. Raptus rerum seu crimen rapinæ definitur 'Rei alienæ mobilis vel semoventis injusta et violenta ablatio'.

Contra raptorem rerum statuta est pœna excommunicationis ferendæ sententiæ ab Episcopo loci ubi rapina patrata est: Eidem

porro Episcopo reservata est absolutio ab hac pœna excommunicationis, licet lata sit in subditum alienæ diœcesis. *C. 1. h. t.*

Insuper raptor si decedat in contumacia in proposito manens non præstandi congruam satisfactionem, privatur honore sepulturæ ecclesiasticæ. *Cap. 2. h. t. et cap. 2. 'De furtis'.* Publici autem latrones non gaudent jure sacri asyli seu immunitatis.

3. II°. *De incendiariis.* Incendiarii dicuntur 'qui dolo malo, ob causam odii vel lucri, incendium excitant vel mandant, aut consilium præbent, ut incendium excitetur in ædibus, in segete, in silva vel in rerum combustibilium acervis'. Incendiarii jure canonico triennali pœnitentia mancipabantur. *Cap. 6. 'De injuriis et damno dato'.* Juxta autem *cann. 31. 32. caus. 23. q. 8.* incendiarii sunt excommunicandi, nec absolvendi antequam damna reparaverint, et si impœnitentes decesserint privantur sepultura ecclesiastica. Reparatio autem damnorum non facta ab incendiariis ipsis, facienda est ab eorum hæredibus. *Cap. 5. h. t.* Licet vero excommunicatio incendiariis inflicta possit ab Episcopo absolvi, tamen si incendiarii fuerint per sententiam ecclesiæ publice denunciati, absolutio a censuris reservata est Romano Pontifici. *Cap. 19. 'De sentent. excomm.'*

Notandum est contra incendiarios Ecclesiarum, Cœmeterii, et locorum ad triginta passus eis contiguorum statutam fuisse excommunicationem latæ sententiæ. *Can. 31. caus. 33. q. 8.; can. 106. caus. 11. q. 3.* Verum cessasse hanc pœnam dicendum est, quia non legitur renovata in Constitut. Pii IX. *'Apostolicæ Sedis'.*

4. III°. *De violatoribus Ecclesiarum.* Violatores Ecclesiarum illi dicuntur 'qui ecclesias vel loca religiosa ingrediuntur, violenter sibi aditum aperientes, simulque spoliant'.

Violatores hujusmodi puniebantur excommunicatione latæ sententiæ. *Cap. 22. 'De sentent. excomm.'* et *can. 5. caus. 17. q. 4.* De hac vero censura explicita mentio non fit in citata Constit. *'Apostolicæ Sedis'.*

Quod si alterutrum elementum violationis Ecclesiæ desit, idest si desit vel infractio loci, vel spoliatio, excommunicatio latæ sententiæ in aliam ferendæ sententiæ convertebatur. *Arg. cap. 16. 'De foro compet.'* et Glossa recepta in *cap. 22. 'De Sentent. Excomm.'* Mentione digna est dispositio cap. 4. h. t. ubi statuit Pontifex Raptorem et Violatorem ecclesiarum manifestum non

posse admitti ad pœnitentiam ante reparationem sufficientem damnorum, aut saltem ante cautionem præstitam. In articulo autem mortis si pœniteat quidem sed nequeat reparationem spondere, reconciliabitur utique, sed Clerici prohibentur quominus sepulturæ ejus præsentes assistant.

Titulus XVIII.

De furtis.

1. Furtum definitur 'Ablatio rei alienæ invito rationabiliter domino'.

Domini irrationabilitas præsertim verificaretur si ipse nollet rem suam subripi ab eo etiam qui versatur in extrema necessitate.

Qui propter necessitatem furatus est juxta cap. 3. h. t. subditur pœnitentiæ per tres hebdomadas. At hæc pœnitentia est ad cautelam ob dubium quod potest oriri circa qualitatem necessitatis et ad ingerendum in fidelibus, quo fieri possit, odium in furtum. Canon hic cum ceteris pœnitentialibus ab usu recessit.

2. Pœna furti in jure Canonico contra laicos non designatur. Utique in cap. 1. h. t. qui furatur hominem et vendit dignus morte dicitur. At hæc dispositio sumpta ab Exodo cap. 21. non indicat Ecclesiam quæ abhorret a sanguine, infligere pœnam mortis, sed docet, quæ sit pœna reis tanti criminis a laicis judicibus infligenda.

3. Clerici autem rei furti notabilis, et præsertim iterati sæpius, ob infamiam quam incurrunt, suspenduntur a suis ordinibus jam susceptis, et ad majores promoveri prohibentur. *Can. 12. dist. VI.* et *cap. 10. 'Cum non ab homine'* *'De Judiciis'*.

4. Mentione digna est dispositio cap. 2. h. t. quæ deprompta est ex cap. 31. Concilii Triburiensis ann. 895, quæque ita legitur: 'Fures et latrones si in furando vel deprædando occidantur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi aut vulnerati presbytero vel Diacono confessi fuerint communionem eis non negamus.' Prima pars hujus capitis statuit orandum non esse pro furibus demortuis in flagranti crimine, quia in peccato mortui præsumuntur. Secunda pars videtur insinuare confessionem fieri posse etiam Diacono.

Non pauci Doctores afferentes Canonem originalem Triburiensem ex spicilegio Theodori Cantuariensis, in quo ne verbum quidem

reperitur de Diacono, dicunt errorem incœpisse a Burcardo, quem secuti sunt Gratianus, et Collector Decretalium. Siquidem Burcardus secutus codicem Reginonis Prumiensis, in quo vox *Deo,* vel *Domino* breviata exhibebatur, ceu solebat in Codicibus fieri, illud *Deo* vel *Domino* legit pro *Diacono.*

5. Ceterum sumpto etiam Canone prout inest in corpore juris, difficultas contra Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ disparet, si animadvertatur aliquando in defectu sacerdotis Diaconos fuisse delegatos ad lapsorum confessionem excipiendam, et non quidem uti ministri sacramenti delegabantur, sed ut cognosceretur verus status decedentis et sincera conversio ad Deum.

Pœnæ, quas jus canonicum statuit contra crimina, quæ communia dicuntur et civilia demonstrant curam Ecclesiæ ipsius advigilandi circa moralitatem publicam, et per suas sanctiones efficiendi bonos cives; eosque a criminibus quam maxime deterrendi. Hinc pœnæ istæ nec inutiles sunt, nec Ecclesia in illis statuendis provinciam suam ullo modo egressa esse dici potest.

Titulus XIX.

De usuris.

1. Usura *lato sensu* sumpta criminis conceptum excludit, significat enim id quod ob usum rei alicujus exigitur: ex. gr. usura dici potest pensio quæ in locatione et conductione statuitur a conductore solvenda. *Stricto* autem *sensu* sumpta usura definitur 'pretium vel res pretio æstimabilis, quæ in mutuo exigitur'. Aliis verbis est: 'Lucrum immediate ex mutuo derivans.' Verificatur autem quando creditor a debitore recipiat aliquid præter sortem debitam.

2. Quæritur: an, et quo jure usuræ prohibeantur. Distinguendum est utrum usuræ percipiantur solummodo eo quod res fungibilis alteri in usum data, restituenda est in eodem genere, quantitate et qualitate, idest vi mutui; vel utrum percipiantur ex *titulo extrinseco* qui contractui mutui accedat. Si primum verificetur prohibitæ sunt usuræ; si secundum usurarum perceptio licita et rationabilis est; quia usuræ percipiuntur non vi mutui, sed vi tituli extrinseci qui pretio æstimabilis est.

Quibus positis quæritur, quo jure prohibitæ sunt usuræ quæ vi mutui exiguntur?

3. Jure Romanorum mutuum consideratum est ceu contractus stricti juris, quo nullo jure cogente, res quæ usu consumitur, et præsertim pecunia alteri traditur cum obligatione restituendi rem in eodem genere, qualitate et quantitate. Hinc ratio mutui posita est in beneficio mutuantis erga mutuatarium. Scilicet mutuans, nullo jure cogente rem suam tradit mutuatario, qui eam facit suam, et ea tamquam sua utitur, illamque consumat; tenetur solummodo sortem reddere creditori suo, idest mutuanti.

Quod si vero mutuans sibi stipulatus fuisset usuras, idest si stipulatio et pactum adjectum fuisset contractui mutui de solvendis usuris, dummodo immodicæ non essent, creditor jure Romano poterat usuras exigere vi pacti adjecti. Quare licet mutuum retineat per se indolem beneficii, seu contractus gratuiti, tamen invectum est medium juridicum, quo creditor aliquid exigere poterat et assequi ultra restitutionem sortis. At pactum non immutabat naturam contractus. Hinc semper vi mutui lucrum ultra sortem percipiebatur.

4. Quid dicendum de jure naturali?

Conformis non est Doctorum sententia. Aliqui dicunt moderatas usuras in mutuo non prohiberi ex stricto et rigoroso jure naturali. Nam licet mutuans nec damnum positivum experiatur, nec lucrum amittat ex traditione rei suæ alteri facta, tamen verum est ipsum semper facere beneficium mutuatario, quod posset non facere. Nullo enim jure cogi supponitur mutuans.

Jamvero præstatio beneficii est pretio æstimabilis. Ergo aliquid exigi poterit.

5. Alii auctores tenent juri naturali usuras adversari, quia mutuum est contractus natura sua gratuitus, ita ut quis posset suam rem utique non dare, quia dominus est, at si dederit, ob ipsam solam concessionem rei nihil possit exigere ultra restitutionem sortis. Et sane: creditor lucrum non potest percipere sive pro ipsa sorte, sive pro usu illius. Non pro sorte quia in contractibus sequimur justitiam commutativam, quæ jubet servandam esse æqualitatem inter id quod datur et id quod accipitur, ex. gr. in contractu emptionis et venditionis pretium repræsentat et adæquat valorem rei venditæ. Ergo si pro sorte dantur centum, centum etiam restituenda sunt titulo sortis. Non pro usu exigi potest lucrum. Nam res fungibilis tradita, transit in dominium mutuatarii, qui ceu dominus rei ejus periculum in se suscipit et

re accepta utitur tamquam sua et solummodo adstringitur obligatione restituendi genus, quantitatem et qualitatem rei acceptæ. Nemo autem ignorat usum rei pertinere ad dominium ejus. Hinc explicatur quomodo in locatione et conductione locator pro usu exigat pensionem, quia scilicet ipse manet dominus locatæ rei, et ejus periculum apud se retinet.

6. Quid vero dicendum de jure positivo divino?

Plures afferuntur textus veteris Testamenti. Ex. gr. Deut. 23. 19. 'Non fœneraberis fratri tuo'. Inter conditiones habitationis obtinendæ in tabernaculo Domini in Psal. 14. ea est ut quis 'pecuniam suam non dederit ad usuram'. Ex novo Testamento affertur illud Lucæ VI. 35. 'benefacite et mutuum date nihil inde sperantes'. Hisce autem textibus non una objicitur oppositio et animadversio; non una datur eorumdem interpretatio. Et sane in textu Deut. post objecta verba sequitur *'sed alieno'* idest hebræis interdicta erat usura cum fratribus at non cum extraneis. Ergo absolute non fuit prohibitum exigere et percipere usuras. In aliis autem textibus, juxta aliquos interpretes, vel prohibetur abusus usurarum, vel non deprehenditur verum præceptum prohibens usurarum perceptionem, sed potius consilium et perfectio. Quod præsertim insinuatur in textu Lucæ VI. ubi Christus Dominus videtur alludere non ad justitiam sed ad caritatem, ait enim 'benefacite', idest conjungit exclusionem usurarum cum animo benefaciendi.

Verum ecclesiastica traditio accepit et explicavit textus scripturales de vera usurarum prohibitione. Alexander III. Panormitano Episcopo dicere in cap. 4. h. t. non dubitavit usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestari.

7. Quidquid vero sit de jure positivo-divino, certum autem est, jure ecclesiastico expresse sub gravissimis pœnis, de quibus inferius, prohiberi usuras. *Can. 2. Dist. 37. et tot. h. t.* in Decretalibus Gregorii IX., in VI. Decretalium, necnon in Clementinis. Immo in Clem. un. h. t. traditur uti hæreticum esse puniendum, qui pertinaciter asserat peccatum non esse exercere usuras.

At quemadmodum superius innuebamus, illæ prohibentur usuræ, quæ vi mutui, vel pacti adjecti percipiantur. En autem notio exemplaris et explicativa usurarum prohibitarum.

Aliquis habet rem fungibilem ex. gr. pecuniam apud se custoditam, ita ut ea nullo modo indigeat, nec ea utatur ad aliquod

negotium exercendum unde utilitatem honeste percipiat, requisitus eamdem pecuniam dat mutuam alteri, a quo possit, quando placeat, repetere, et sine ulla difficultate, periculo, incommodo assequi. Quisquis videt merito in hypothesi usuram damnari. Nam mutuanti pecunia nullam afferebat utilitatem, pecunia enim per se est infructifera, nec ullum titulum mutuans habet ad exigendos fructus pecuniæ mutuatæ a mutuatario.

8. At fructus pecuniæ seu usuræ exigi et percipi in contractu mutui possunt, si aliquis titulus a mutuo extrinsecus verificetur. Titulus autem hic triplex esse potest. Idest, *lucrum cessans, damnum emergens, et periculum sortis.* Invocari enim merito potest principium juris 'Iniquum est, damnosum cuique esse officium suum'. *L. Sed si quis ff. 'Quemadmod. Test. aperiantur.'*

9. Titulus *lucri cessantis* locum habet quando quis rem fungibilem et præsertim pecuniam posset impendere in aliis contractibus honestis, et in illis referre honestum lucrum, simulque hoc lucrum non assequitur eo quod pecuniam dat alteri mutuam. Ex. gr. occasio esset exercendæ honestæ negotiationis probabiliter fructuosæ etc. Pecunia mutuo data impedit hujusmodi probabilem utilitatem. Aequum non est ut mutuatarius qui sentit commodum ex mutuo accepto, nullam compensationem faciat mutuanti, pro amisso lucro.

10. Titulus *damni emergentis* locum habet, cum dominus patitur damnum ex concessione in mutuum, quia poterat eum impendere in ædibus suis reficiendis, in solvendo ære alieno, et alia hujusmodi. Posita veritate lucri cessantis vel damni emergentis, compensatio exigi potest quæ respondeat æstimationi boni viri.

11. Tertius titulus est *periculum sortis amittendæ.* Hunc titulum præsertim agnoverunt Romani, qui maximas usuras pro pecunia trajectitia constituerunt, et titulum specialem in legibus posuerunt *'De nautico fœnore'*. Ut autem verificetur hic titulus non sufficit ratio *periculi generalis,* quod nempe semper esse potest ut creditor amittat res suas, quas alteri mutuas dedit; bene vero requiritur periculum peculiare, quod scilicet resultat ex conditione speciali mutuatarii. Verificatur simile quando mutuans ob conditionem specialem in qua versatur persona cui rem suam tradit, prudenter dubitat, utrum rem ipsam vel in toto, vel saltem pro parte amittat. Aequum autem non est ut quis gratis prorsus

rem suam quam tuto possidet probabili periculo exponat. Hinc facta æqua æstimatione periculi, mutuator potest aliquid ultra sortem exigere.

12. At videtur obstare caput ult. h. t. ubi Gregorius IX. tradit ad normam principii generalis 'naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus'.

Variæ afferuntur explicationes. Mihi videtur ita posse explicari mens Gregorii. Eo quod quis suscipiat in se periculum sortis, non potest aliquid exigere ultra sortem, quia si revera juxta conditionem ordinariam et communem agendi rationem rerum, periculum amittendæ sortis absit, frustra invocatur periculum tamquam titulus specialis ad exigendum aliquid ultra sortem datam. Hoc in casu loquebatur Pontifex. At si revera in facto constet de existentia periculi, profecto qui rem suam periculo exponit, aliquid intuitu periculi ejusdem poterit exigere, cum præsertim doceat hodierna experientia, quando periculum hoc verificatur, non raro jacturam fieri saltem partialem pecuniæ mutuo datæ. Siquidem præsertim ob defectum bonæ fidei, quæ in negotiis ab hominibus ferme exulasse dicenda est, et ob conditionem actualis commercii, quod opinione potius quam realitate virium regitur, sæpe sæpius debitores se bonis abdicant, et non solvendo fiunt.

Hinc non raro creditores versantur in periculo amittendi vel in toto vel saltem in parte notabili res suas. Quare Gregorius IX. eos uti usurarios reprobat qui ad exercendam palliatam usuram, nec aliter mutuam dare volebant pecuniam, quam sub prætextu suscipiendi periculum sortis, et intuitu periculi ejusdem aliqua exigerent a mutuatario ultra sortem datam, non autem condemnat eos, qui ob probabile periculum sortis amittendæ, aliquid exigant ultra sortem ipsam.

13. Præter istos titulos auctores addunt titulum *pœnæ conventionalis*, quæ solvi debeat ex notabili mora restitutionis sortis. Profecto si pœna sit moderata, et proportionata culpabili moræ, necnon excludat animum usurarium, idest si imposita sit ad frangendam contumaciam debitoris, ejusque excitandam diligentiam, constituere potest titulum percipiendi aliquid ultra sortem.

De titulo legis civilis.

14. In pluribus locis partim legibus, partim consuetudine inductum erat ut ex pecunia mutua certum lucrum reciperetur. De Germania testatur *Reiffenstuel h. t. § 3.* Verum initio sæculi præsentis, præsertim in imperio Gallico lege diei 3. Septemb. 1807 constitutum est lucrum pro mutuo percipiendo excedere non debere quinque pro centum in re civili, et sex pro centum in re commerciali, ita ut mutuator posset hanc quantitatem lucri apud tribunal persequi; teneretur vero restituere excessum si convinceretur plus recepisse. In variis cultis nationibus hæc dispositio recepta est, ita ut novus titulus exigendi lucrum ex mutuo inductus diceretur, qui cum præfiniret taxam lucri in mutuo, dictus est titulus *taxæ civilis,* vel etiam legis civilis. Unde post hanc dispositionem, quis non amplius vi mutui recipere lucrum seu pretium pecuniæ dici posset, sed hoc lucrum exigere vi tituli legis civilis, quia nempe lex assistit.

15. Quæritur utrum taxa civilis sit titulus legitimus ad exigendum lucrum ex mutuo ita ut tuta conscientia quis possit retinere receptum lucrum quin teneatur illud restituere.

Qui sententiam negativam tenent ac tuentur animadvertunt taxam lucri a Gubernio statutam reduci ad lucrum mutui vi mutui, nam nullus ex expositis extrinsecis titulis eidem adstipulatur, aut saltem potest non adstipulari. Ex. gr. Titius habebat summam pecuniæ infructiferam apud se, eamdem dat mutuam absque ullo damno et periculo, tamen lex eidem concedit jus exposcendi quinque vel sex pro centum. Ergo tota ratio lucri est civilis legis dispositio. Civilis autem potestas nequit ipsa constituere titulum lucri, nam quamvis altum habeat dominium, non potest tamen proprietatem privatorum auferre absque compensatione. Insuper civilis legislator non potest licitum reddere quod illicitum est ex jure naturali et divino-positivo. Hinc invocare titulum legis idem est ac eludere juris naturalis et divino-positivi dispositionem.

16. Verum sententia affirmans non minoribus rationum momentis fulcitur, nam certum est posse civilem potestatam ob bonum publicum disponere de bonis privatorum. Exemplum præclarum habemus in præscriptione. Licet enim jure naturali res clamet ad dominum, tamen ratio publici boni, ne dominia scilicet incerta remaneant, exigit ut auctoritas disponat de juribus privatorum, et

rem alienam præscriptam transferat in possessorem. Hanc translationem dominii ipsa etiam Ecclesia agnovit in jure canonico, ita ut possessor etiam in conscientia tutus esse possit de proprietate acquisita rei quæ aliena fuerat. Igitur ratio boni publici potuit Guberniis civilibus suadere, ut cognoscerent tamquam legitime acquisitum lucrum ex mutua pecunia acceptum.

17. Ratio hæc præcipue duplex fuit: 1ª. Necessitas promovendi commercia, quibus promovendis maxime juvat multiplicatio contractuum mutui. 2ª. Immutata conditio societatis et publici ærarii. Siquidem inductum systema adsociationum pro majoribus operibus perficiendis, et ob necessitatem publici ærarii, quod indiget sæpe sæpius auxiliis extraordinariis et temporaneis civium, pecunia quoties placeat impendi potest in utilibus et honestis negotiis. Immo si vera loqui velimus, pecunia hodiernis temporibus naturam mercis fructiferæ induisse quodammodo videtur. Nemo enim in societate tenet amplius pecuniam apud se custoditam et mortuam. In promptu enim sunt parataque media et occasiones, pecunias in licitis negotiis investiendi. Insuper pecunia numeraria venditur ita ut modo majus, modo minus pretium habeat. Quare titulus saltem lucri cessantis derivat ex ipsa indole societatis, et est veluti titulus permanens. Quare legitime potuit recognosci taxa civilis in mutuo. Hæc insuper recognitio non solum bonum publicum favet, sed etiam ipsorum privatorum civium bona juvat, nam ab usurariis ultra civilem taxam gravari non possunt. Hinc cessat ratio adversæ sententiæ ex læsione juris privatorum civium.

18. Sed quod maximum est Sancta Sedes pluries interrogata utrum esset deneganda absolutio illis, qui percepissent lucrum ex mutuo juxta legem civilem, et quidem sine ullo titulo, respondit 'non esse inquietandos, dummodo parati sint obtemperare mandatis ejus, si aliquando prolata erit aliqua hac in re definitio'. In hoc sensu respondit Sacra Pœnitentiaria die 17. Sept. 1830, et Sacra Congregatio Supremæ Inquisitionis interrogata ‚an pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem, peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis' die 17. Januarii 1838 respondit ‚affirmative dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis'.

19. Hæc quidem responsio primo intuitu videtur solvisse quæstionem solummodo practice. Sed intimius inspecta videtur ipsam theoriam determinasse. Nam responsio hæc data est non solum pro negotiis gestis, sed etiam pro gerendis. Idest hæc responsio constituit normam ordinariam nostrorum temporum qua fideles tuti sunt in conscientia se non teneri ex justitia ad restituendum lucrum perceptum ex mutuo ob titulum legis. Porro hæc tuta conscientia in vim decisionis Sanctæ Sedis, vel procedit ex eo quod læsio justitiæ, inspectis circumstantiis ævi nostri, nullatenus verificetur, vel procedit saltem ex eo quod validissima argumenta reflexum dictamen de non læsa justitia gignere possint. Hinc Doctores probatissimi dicunt, circumstantiis præsentibus perdurantibus, numquam Sanctam Sedem prolaturam fore responsiones contrarias responsionibus jam datis.

20. At quæstio in aliam provinciam transferenda est. Siquidem taxa civilis in mutuo inducta est ex principio, quia auctoritati publicæ spectat temperare pacta privatorum, ne ordo justitiæ turbetur, et ne inferiores classes civium, gravaminibus arbitrariis civium locupletiorum vexentur. At ob conditionem commercii et pecuniæ, quæ mercis naturam induisse quodammodo videtur, visum est non amplius posse retineri principium et regulam de limitanda taxa civili in mutuo. Etenim pro majori vel minori copia pecuniæ in commercio, aliquando pretium minus aliquando majus esse debet. Hæc enim diversa qualitas pecuniæ secumfert majorem vel minorem difficultatem eamdem obtinendi, necnon diversam rationem lucri cessantis, vel damni emergentis. Hinc hujusmodi major vel minor difficultas pecuniæ est pretio æstimabilis, nec ab Gubernio negligenda. Quare vel variabilis quotidie esse deberet lex civilis, vel potius posita mutabili conditione commercii et pecuniæ, magis opportunum videri poterat, relinquere prudentiæ et vigilantiæ civium, ut per conventionem determinarent, juxta temporis circumstantias pretium mutui in singulis negotiis quæ gererent. Hoc alterum medium electum est, et sublata taxa civili communiter receptum est, ut cives mutuum contrahentes convenirent de lucro solvendo ultra sortem, idest de usura solvenda. Hisce positis,

21. Quæritur quid sentiendum sit de hac mutatione.

Varietas opinionum natura sua hac in re erumpit. Una opinio docet exulasse prorsus titulum civilem lucri in mutuo. Nam idcirco sustinebatur hic titulus, quia rationabiliter lex civilis, ob temporum

opportunitatem taxam præfinierat in lucro, et viam præcluserat vexationibus usurariorum. Hinc sublata taxa, res in pristinum statum redivit, quo privati etiam in fraudem legis pactis usurariis abutebantur. Siquidem vi legis hodiernæ poterit fieri stipulatio de solvendis etiam maximis usuris.

22. Attamen cum alia opinione potest animadverti: 1°. Legem civilem de percipiendis usuris adhuc permanere, mutationem vero circa modum earum percipiendarum ob rationes non censurabiles introductam fuisse. 2°. Easdem perseverare causas et circumstantias, ob quas taxa legalis fuerat statuta, et adhuc, immo potiora esse publica loca et associationes, quæ pecunia indigent, lucrumque ex indole suæ institutionis concedunt. Scilicet actiones suas seu obligationes cum participatione fructuum qui ex negotio proveniunt alienant, quæ in publico commercio exhibentur modo pro majori, modo pro minori pretio acquirendæ. Ergo adhuc titulus civilis perseverat.

Accedit consuetudo piarum et honestarum personarum, quæ paciscuntur in mutuo moderatas usuras. Consuetudo autem supponit persuasionem licitæ exactionis usurarum, et affert eamdem plane rationem quam Sancta Sedes respexit in fidelibus non inquietandis.

Quibus positis Sacra Pœnitentiaria sæpius interrogata respondit 'fideles non esse inquietandos si moderatas usuras paciscantur et percipiant in ea quantitate in qua solent pacisci et percipere religiosæ et honestæ personæ, et dummodo parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis'. Hæc est actualis regula, quæ in praxi servatur in locis in quibus legislatio civilis non determinat quantitatem seu taxam lucri ex mutuo percipiendi.

De pœnis contra usurarios statutis.

23. Duo sunt in genere animadvertenda. 1. Pœnas positas esse contra illos, qui absque titulo usuras percipiant, vel eos qui cum titulo exigant usuras immodicas. 2°. Pœnas statutas percellere usurarios manifestos et notorios, illos nempe quorum crimen nulla tergiversatione celari potest, necnon illos, qui per sententiam judicis de usuris exactis convicti sunt.

24. Pœnæ autem sunt: 1°. Infamia qua fiunt inhabiles ad officia et beneficia ecclesiastica. *Can. 2. §. 'Porro' caus. 3. q. 7. cap. 11. 'De excessibus Prælatorum'.* 2°. Si usurarius est Clericus

deponitur vel saltem suspenditur. Si laicus est excommunicandus. *Cap. 7. h. t.* 3°. Excluduntur ab oblationibus quæ fieri soleant in Ecclesia, ne Ecclesia videatur frui pauperum substantiis, et rebus injustitia acquisitis, neve usurarii fiant impotentes ad restituendum quod ex injustitia acceperunt. Quodsi clerici usurariorum oblationes recipiant pœna suspensionis plectuntur. *Cap. 3. h. t.* Hæc porro pœna non incurritur a clericis si ab usurariis recipiant decimas, quas solvere debent, vel etiam parvas eleemosynas. *Eod. cap. 3. h. t.* repelluntur 4°. usurarii a communione altaris. 5°. Si in pertinacia peccati decedant privantur jure sepulturæ ecclesiasticæ, ita ut qui eos sepeliant ipso facto excommunicationem latæ sententiæ incurrant. *Cap. 3. h. t. cap. 4. eod. in VI°.* et *Clem. 1. 'De sepulturis'.* Verum hæc pœna post Const. Pii IX. *'Apostolicæ Sedis'* cessasse dicenda est. De ea enim tacet hæc Constitutio. 6°. Usurariorum testamentum vel aliam quamcumque ultimam voluntatem irritam esse, nisi restituerint usuras male perceptas, vel saltem nisi cautionem sufficientem dederint de complenda ab hæredibus satisfactione. *Cap. 2. h. t. in VI°.*

Titulus XX.

De crimine falsi.

1. *Crimen falsi* definitur 'immutatio veritatis *dolo malo*, seu animo decipiendi facta in fraudem injustam alterius'. Quare B. Raymundus in titulo præsenti prosequitur materiam læsionis proximi. Si desit aliquod ex elementis indicatis in definitione puniri juridice nequit falsitas.

Communiter tradunt Doctores crimen falsi committi, *dicto, scripto, facto et usu.*

2. Dicto crimen falsi committunt testes, qui in judicio depositionem faciunt non consonam veritati, sive mendacium proferant, sive veritatem debitam occultent. *Cap. 1. h. t.* Ex jure canonico testis falsarius est infamis. *Can. 9. c. 3. q. 5.* Si vero clericus fuerit falsarius jus nostrum constituit pœnam depositionis et reclusionis in Monasterio ad *vitam* eique conceditur solummodo laicalis communio. *Can. 7. Distinct. 50.* Dicto insuper est falsarius et uti falsarius punitur judex qui pecunia corruptus injustam protulerit sententiam. Quodsi judex falsarius sit ecclesiasticus, punitur pœna

suspensionis a *divinis,* illatumque damnum reparare tenetur. *Cap. 1. De sent. et re jud. in VI.*

3. Scripto falsarius est notarius vel alius quicumque falsum testamentum vel aliud publicum aut privatum documentum scripserit, signaverit, aut immutaverit in parte aliqua substantiali, vel etiam suppresserit in alterius præjudicium. Pœna ordinaria contra istos præfinita non est in jure nostro. Hinc pœna extraordinaria falsarius scripto puniendus est. Jure romano statuta erat pœna deportationis, publicationis bonorum cum infamia.

4. Falsum in specie committi potest contra litteras apostolicas, et quidem pluribus modis juxta *cap. 5. h. t.* et *cap. 'Quam grave' eod. in VI°.* qui quidem reducuntur ad sequentes. Ut scilicet vel prorsus falsæ confingantur Bullæ, vel genuinæ corrumpantur in parte substantiali, vel sigillum adimatur vel addatur, vel abrupto filo nova folia inserantur. Corruptarum et falsarum Litterarum Apostolicarum indicia summat *Glossa in cap. 5. h. t.* ad verbum *'Falsitatis': 'forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum. Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum'.* Pœnæ hujus criminis sunt excommunicatio latæ sententiæ Pontifici Romano reservata. *Cap. 7. h. t.* et *'Bulla Cœnæ' § 6.* In Constitutione *'Apostolicæ Sedis'* articulus hac de re reperitur inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatas; sub n. 9. legitur excommunicatio contra 'omnes falsarios Litterarum Apostolicarum etiam in forma *Brevis,* ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel per S. R. E. Vice-Cancellarios seu gerentes vices illorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pont. signatarum, necnon falso publicantes Litteras Apostolicas etiam in forma *Brevis;* et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Rom. Pontificis seu Vice-Cancellarii, aut gerentes vices prædictorum'. 2°. Clericus falsarius Litterarum Apostolicarum privatur ipso facto omnibus officiis et beneficiis ecclesiasticis, et si ipse per se falsificaverit Litteras Apostolicas degradatur et traditur Curiæ sæculari puniendus. *Cap. 7. h. t.*

5. *Facto* falsarii sunt qui nummos seu monetas publicas vel cudant auctoritate sua, vel fingant prorsus, vel justæ monetæ pondus imminuant. Antiquitus Alchimistæ hujus falsitatis rei erant. Hinc contra ipsos in Extravag. un. h. t. statuitur ut tantumdem

de bono auro vel argento pauperibus erogare teneantur. Quod si impares sint pœna extraordinaria arbitrio judicis sunt puniendi, simulque declarantur infames. Clerici autem in hac materia falsarii privantur beneficiis jam obtentis et inhabiles declarantur ad alia obtinenda.

Falsariis hujus tertiæ classis adnumerandi sunt venditores, qui utuntur falsis ponderibus et mensuris, necnon qui dolose terminos agrorum immutant.

6. *Usu* seu melius *abusu* falsarii sunt, qui falsitate ab aliis posita et fabricata utantur. Ii præter restitutionem puniuntur vel pœna ordinaria falsi vel extraordinaria juxta criminis gravitatem. Qui vero utantur falsis Litteris Apostolicis si Clerici sunt privandi sunt officiis et beneficiis ecclesiasticis, si laici excommunicationi latæ sententiæ subjiciuntur, quoadusque congrue satisfecerint. Insuper in cap. 4. h. t. iis, qui cognoscant se habere falsas Litteras Apostolicas, præcipitur sub pœna excommunicationis, ut infra viginti dies vel Litteras illas destruant, vel resignent. Verum de hac pœna tacet Const. '*Apostolicæ Sedis*'. Circa usum vero falsarum Litterarum, inter excommunicationes latæ sententiæ Ordinario reservatas sub n. 3°. legitur excommunicatio contra 'Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes'.

Titulus XXI.

De sortilegiis.

1. Usus sortis antiquus est inter homines. Sortilegium est 'tentamen quo mediis sortibus conatur aliquis vel determinare quod incertum est, vel detegere quod est occultum'. Sortes dividuntur in *divisorias, consultorias* et *divinatorias.*

2. *Divisoriæ* sortes locum habent quando in rerum partitione determinari vult per sortes quid cuique vel uni, alterive competit. Nil mali sortilegium hujusmodi secumfert. Hinc in hæreditate vel in communi dividendo etc., optime potest adhiberi, nisi tamen circumstantia aliqua superstitiosa accedat. Usus autem sortis adhiberi non potest in distribuendis officiis et præsertim in electione ad beneficia ecclesiastica. *Cap. 3. h. t. fin.* Digniores enim sunt præponendi.

3. *Consultoriæ* locum habent cum per sortes inquiritur divina voluntas. Sortes hujusmodi in genere illicitæ sunt, quia nulla promissio est Dei, qua sciamus ipsum sortes dirigere. Hinc prætensio cognoscendi divinam voluntatem per sortem est genus tentationis Dei. Verum licite fieri possunt si humanum consilium nullo modo haberi possit, simulque non superstitio aliqua sed humilis oratio adhibeatur. Licitæ etiam sunt sortes istæ si fiant ex divina inspiratione juxta exemplum Apostolorum in electione sancti Mathiæ.

4. *Divinatoriæ* sortes locum habent quando ipsæ sortes adhibentur ad cognoscendum aliquod futurum vel occultum, quod naturaliter cognosci et determinari nequit. Quoniam in hujusmodi sortilegii usu adhibentur media natura sua prorsus improportionata ad scopum obtinendum, idest ad occultum aliquod vel futurum cognoscendum, hinc sortes hujusmodi illicitæ sunt. *Cap. 1. h. t.* et *cann. 28. et 9. caus. 26. q. 5.* Ipsæ enim superstitionem redolent. In rerum enim natura effectus sunt proportionati causis suis. Quare si quis intendat per causam insufficientem obtinere aliquem effectum improportionatum, eo ipso recurrere dicendus est ad causam supernaturalem. Quoniam vero non præsumitur Deus opem suam præstare, quia Deus non obsequitur voluntati hominis insipienter agentis, hinc qui sortes divinatorias experitur, censetur provocare concursum dæmonis.

Titulus XXII.

De collusione detegenda.

1. Collusio est 'fraudulenta conventio inter actorem et reum in præjudicium justitiæ, vel inter defensores seu patronos causæ'.

Hisce præmissis 1°. Si collusio fiat in quæstione beneficii ex. gr. si conveniant privata auctoritate collitigantes ut unus beneficium obtineat, alter pensionem obtineat in fructibus ejusdem uterque beneficio privatur. *Cap. 3. h. t.*

2. 2°. Facta accusatione si accusator ex collusione desistit a petitione rei, nihilominus judex procedere debet in inquisitione et processu. *Cap. 1. et 2. h. t.*

3. 3°. Absolutio a crimine, interveniente collusione facta, non impedit quominus de crimine inquisitio renovetur. *Cap. 4. h. t.*

Titulus XXIII.

De delictis puerorum.

1. Pueri iidem sunt ac impuberes, idest qui septennio majores, nondum expleverunt annum decimum quartum si masculi, et decimum secundum si feminæ. Hinc distinguuntur ab infantibus, qui sunt minores septennio completo, et a minoribus, qui adepti quidem pubertatem, nondum tamen annum vigesimum quintum, vel melius juxta recentiorem computandi modum annum vigesimum primum expleverint.

2. Infantes criminis incapaces præsumuntur, quia censentur doli capaces non esse. Hinc contra eos criminaliter ad pœnam infligendam procedi nequit *L. 'Sed et si quis' ad legem Aquil.* et *Clem. un. 'De homicid.'* Pueri autem censentur esse doli capaces, ac proinde si crimen committant poterit contra eos procedi criminaliter; at mitius sunt tractandi, quam ætate majores. Hinc non potest pueris delinquentibus eadem pœna applicari, quæ sive ex lege scripta sive ex consuetudine contra majores ætate constituta et recepta deprehenditur. *Cap. 2. h. t.*

3. Immo ex legum intentione neque eodem gradu pœnæ plectendi sunt pueri ætate minores, quo majores ætate, idest post completum annum vigesimum primum puniuntur.

Titulus XXIV.

De Clerico venatore.

1. Juxta *cap. 1. h. t.* desumptum ex Concilio Agathensi (an. 506); non autem ex Concilio Aurelianensi prout legitur in Decretalibus Gregorii IX., venatio frequens interdicitur sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ, Episcopo quidem per tres menses, presbytero per duos menses, diacono autem ab omni officio. In *cap. autem 2. h. t.* et in *cap. 15.* Concilii Lateranensis IV. interdictio venationis ad omnes clericos extensa est.

2. Quidam contendunt titulum *'de Clerico venatore'* ex contrario usu fuisse abrogatum, expungendumque a corpore juris ecclesiastici. At male quidem. Sciendum est a Doctoribus distingui venationem *clamorosam* et venationem *quietam.* Clamorosa vel saltuosa venatio est, quæ fit magno armorum et canum apparatu, et quidem cum strepitu ad majores feras capiendas. Quieta est

ea, quæ fit absque strepitu, cum laqueis vel cum moderato armorum et canum usu, ordinato ad capiendas volucres vel minores feras.

Jamvero duo statui possunt puncta. 1°. Ex sensu Tridentini *cap. 12. sess. 24. De Reform.* ubi illicitas prohibet venationes, inferri potest Clericis interdici solummodo clamorosas venationes, præsertim si frequenter fiant. Tum quia Clericus mancipatus divino servitio non debet silvaticas vagationes frequenter inire, *cap. 2. h. t.* et scandalum fidelibus præbere, tum quia in clamorosis venationibus periculum adesse posset occisionis et mutilationis.

3. 2°. Pœna veterum canonum videtur abrogata, et relicta arbitrio Episcopi congrua punitio contra Clericum venatorem. Ita demonstrat Benedictus XIV. *De Syn. Diœc. lib. XI. cap. 10. nn. 8. 9.* Episcopus autem caveat a nimio rigore, præsertim pro prima vice, nec contra venatores Clericos statuat excommunicationem latæ sententiæ, aut privationem clericalis privilegii. Ita respondit S. Cong. Conc. in *'Asisiens.' 16. Mart. 1622.* in *'Eugubina' 16. Jan. 1596* et in aliis non paucis quæstionibus relatis a Lucio Ferraris. *Bibl. Can. v. 'Clericus' art. 6. n. 35.*

4. Cæterum quieta venatio honestæ recreationis gratia, corporalis exercitationis intuitu inita, si scandali periculum removeatur, licita clericis est, et in nostris etiam forsitan usus derogavit antiquis canonibus.

Titulus XXV.

De Clerico percussore.

1. In genere Clericis præsertim majoribus interdictum est a sacris canonibus, quominus propriis manibus aliquem delinquentem sive fidelem, sive infidelem percutiant. *Cann. 1. et 7. Dist. 45. Can. 25. Dist. 86.* et *cap. 1. h. t.* Clericus enim Christi imaginem maxime referre debet, qui cum percuteretur non percutiebat, cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. *Cit. cap. 7. Dist. 45.*

2. Tamen Clerici possunt inferiores et sibi subditos etiam Clericos correctionis gratia moderate percutere. Verum Episcopis prorsus interdictum est per seipsos percutere, ita ut si videat adhibendam esse verberationem debet per alium et quidem per Cle-

ricum non autem per laicum eam exequi. *Can. 23. Dist. 86.* et *cap. 24. 'De sent. excomm.'*

3. Pœna contra Clericos percussores est, ut pro qualitate criminis debeant corrigi et puniri juxta arbitrium judicis. *Cap. h. t.* Quod si una etiam percussio a Clerico facta lethalis sit vel saltem enormis deponendus est. Ita Glossa in *cap. 1. h. t.* et Doctores *arg. can. ult. Dist. 25. et cap. 2. h. t.* Indignus est enim statu clericali qui mansuetudine et modestia non decoratur.

Titulus XXVI.

De maledicis.

1. Maledicus ille dicitur qui 'absque justa causa de aliquo male loquitur'. Et quidem si mala locutio dirigatur contra Deum ejusque Sanctos appellatur blasphemia; si contra hominem absentem dirigatur dicitur *detractio,* dicitur autem *contumelia* si præsentem hominem afficiat.

2. In cap. 1. h. t. sermo est de Clerico, qui coram aliis Clericis verba injuriosa protulerat contra Romanum Pontificem, et quidem in depressionem officii et dignitatis ejusdem. Romanus Pontifex jussit illum severe puniri, quin tamen pœnam ipse designaret. Ex hoc cap. inferunt Doctores, eum qui contra Pontificem, Episcopum, Prælatum regularem ac principem maledicat, offendens dignitatem, qua persona decoratur, puniendum esse pœna arbitraria juxta qualitatem delicti. Quod si vero injuria afficiat solummodo personam, magis convenit si hæc injuria remittatur, imitando Christi mansuetudinem. *Can. 27. c. 3. q. 4.*

3. Antiquitus Clericus maledicus contra privatam personam cogebatur veniam exposcere, secus usque ad satisfactionem suspendebatur. *Can. 5. Dist. 6.* At abrogata per consuetudinem hac pœna, inductum est ut quicumque maledici tenerentur juxta *leg. 15. § 27. ff. De jurejur.* actione injuriarum et palinodiæ seu retractationis. Hæc vero actio personarum varia est, pro variis legislationibus et usibus locorum.

4. Huc referri debet in specie prohibitio *libelli famosi,* cujus antiqua pœna erat ut ejus auctores excommunicarentur, et verberibus cæderentur. *Can. 1. et can. 2. c. 5. q. 1.* Accesserunt Constitutiones Sancti Pii V. quæ incipit *'Romani Pontificis' 17. Mart.*

1572 et *Greg. XIII. 'Ea est rerum' 1. Sept. 1572.* in quibus auctores libelli famosi gravissimis pœnis subjiciuntur, et præsertim pœnæ infamiæ ipso facto incurrendæ. Verum hæ Constitutiones respiciebant directe, et proprie ditionem temporalem Sanctæ Sedis, nec undequaque observantur.

5. In cap. 2. h. t. agitur de blasphemia, et contra blasphemos statuitur 1°. pœnitentia publica per septem hebdomadas. 2°. Si noluerint hanc pœnitentiam suscipere interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ et privantur ecclesiastica sepultura. 3°. Puniuntur etiam mulcta pecuniaria. Clerici autem blasphemi juxta *can. X. caus. 22. q. 1.* deponebantur. At pœnæ hujusmodi obsolevere. Accessit inde Constitutio *'Supernæ Dispositionis' Leonis XI. in Conc. Lat. V. 5. Maji 1514* quæ graves et crescentes juxta pertinaciam in crimine statuit pœnas contra blasphemos. Hanc Constitutionem temperavit Julius III. sua Constitutione *'Multis' 1. Febr. 1554.* cui deinde accessit Constitutio Sancti Pii V. *'Cum primum' 1. April. 1566,* quæ regulam practicam contra blasphemos diu constituit. At inde in Tribunali Supremæ Inquisitionis in usu veteres pœnæ non amplius fuere, sed pœnæ sunt arbitrariæ pro qualitate blasphemiarum et personarum.

Titulus XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

1. Clericus qui non obstante depositione audeat exercere ordinem a quo dejectus est, excommunicatione plectendus est. *Cap. h. t.* Quodsi neque inde resipiscat, invocato brachio sæculari pœnis temporalibus et præsertim exilio puniendus est. *Cap. 2. h. t.* et *cap. 1. 'De off. jud. ord.'* et *can. 19. caus. 11. q. 1.*

2. 2°. Clericus violans censuram ecclesiasticam, idest si innodatus excommunicatione vel suspensione, aut interdicto, exerceat actum ordinis sui incurrit *a)* pœnam depositionis ab officio ex judicis sententia inferendam. *Cap. 3. h. t. b)* Incurrit pœnam privationis omnium beneficiorum. *Cap. 6. h. t. c)* Ipso facto contrahit irregularitatem. *Cap. 9. h. t. Cap. 1. § fin. 'De sent. et re jud.* et *cap. 1. § fin. 'De sentent. excomm.' in VI. cap. 20. eod. in VI. et capp. ult. et penult. h. t.*

3. Quærunt Canonistæ utrum etiam irregularitatem contrahat, qui est constitutus in minoribus ordinibus, et censura ligatus actum ordinis sui exerceat.

Nonnulli cum Navarro, Avila et aliis tenebant sententiam negativam, quia *cap. 1. h. t. et cap. 20. 'De Sent. Excomm. in VI.* videntur loqui de Clericis in sacris ordinibus constitutis. At Pirhing et Reiffenstuel h. t. et Fagnanus comm. *in cap. 'Si quis Presbyter' h. t.* affirmativam sententiam defendunt, et hic ultimus asserit talem etiam esse sententiam S. Pœnitentiariæ, et S. Congr. Concilii. Quidquid vero sit de veteribus canonibus, hodie dicendum est etiam ipsos Clericos minores violantes censuram contrahere irregularitatem. Nam id patet non solum ex stylo S. Pœnitentiariæ et S. Congreg. Concilii, sed etiam ex Epistola Encyclica Benedicti XIV. ad Pœnitentiarios et confessarios urbis pro Anno Sancto, scripta die 3. Decembris 1749 § IV. ubi hæc habet 'Quibus data est facultas dispensandi cum sacerdotibus, aut in sacris ordinibus constitutis super occulta irregularitate ob violationem censurarum contracta (nequaquam vetitum est) quominus eadem facultate utantur cum clericis, qui in minoribus ordinibus sunt constituti'.

4. Ceterum ut pœna irregularitatis incurratur necesse est 1°. ut clericus exerceat actum ordinis jam suscepti. Hinc si clericus ordinem quem non habet suscipiat, non fit irregularis si eum exerceat. Hinc etiam si exerceat actum solius jurisdictionis ex. gr. assistat matrimonio, non contrahit irregularitatem. 2°. Temere agere debet clericus et quidem ea temeritate, quæ peccatum lethale secumferat. Quare irregularis non fit si ex ignorantia invincibili agat, vel ex externa necessitate proximi, vel si sequeretur grave scandalum et infamia clerici, vel maxime si ex omissione actus ordinis sui manifestaretur crimen occultum ob quod censura ligatus est. Ratio est quia irregularitas procedit ex lege humana, et lex humana in hisce circumstantiis non obligat.

5. Tandem juxta cap. 7. h. t. qui celebrant officia divina in loco interdicto, si clerici sunt privantur suis beneficiis, si religiosi detruduntur in arctius monasterium. In Constitutione *'Apostolicæ Sedis'* inter interdicta latæ sententiæ reservata sub n. 2. legitur 'scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel a delegato Judice, vel a jure interdictis . . . inter-

dictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt competenter satisfecerint'.

Titulus XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

1. Si clericus exerceat actum ordinis, quem nondum susceperit, aut invalide susceperit pluribus pœnis punitur. 1°. Pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. *Cap. 1. h. t.*

2. 2°. Contrahit irregularitatem limitatam ad ordinem quem administrat et ad ordines superiores; nec non per biennium aut triennium, non autem ultra suspendi potest ab Episcopo in ordine immediate inferiori illo in quo temere ministraverit. *C. 2. h. t.* Hinc non suspenditur ab aliis inferioribus ordinibus.

3. In specie autem in Constitutionibus Pauli IV., Sixti V., Clem. VIII. et Urbani VIII. quas refert Benedictus XIV. in sua Constitutione *'Sacerdos in æternum' diei 20. Aprilis 1744.* pœna statuta est contra clericos non presbyteros missam celebrantes aut excipientes sacramentalem confessionem; ut nempe clericus taliter delinquens rite degradetur ab ordinibus ecclesiasticis, statimque tradatur curiæ sæculari debite puniendus. Neque huic clerico suffragatur privilegium ætatis minoris 25 annorum dummodo 20 annum expleverit. Ob abusus forsitan crescentes Benedictus XIV. in cit. Const. *'Sacerdos in æternum' 20. April. 1744.* prædictarum Constitutionum rigorem auxit statuitque: 1°. Extrajudiciales Epistolas Episcopi admitti ad probandum reum non fuisse ad sacerdotium promotum. 2°. Sub sua et sub prædictis Constitutionibus comprehendi etiam illos, qui absque gradu sacerdotali ausi fuerint celebrare etiam partem missæ, dummodo peregerint elevationem hostiæ et calicis. Quoad vero Clericum non sacerdotem ministrantem Sacramentum Pœnitentiæ, ait, nulla exceptione excusari, solumque ad pœnam mitigandam juvari, si nempe sufficienter probetur absolutionem non dedisse. In Constitutione autem *'Divinarum' 2. Augusti 1757.*, idem Pontifex statuit reis prædictis non amplius suffragari, quemadmodum antiquitus suffragabatur, confessionem Judici factam de crimine patrato.

4. Quod si laici attentent ministrare in ordine non recepto 1°. fiunt irregulares juxta dispositionem cap. 1. h. t. quæ generalis est. 2°. Pœna arbitraria etiam gravissima puniuntur.

Titulus XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

1. Collatio ordinis superioris non suscepto ordine inferiore valet, quia quælibet ordinatio tum ratione ritus, tum ratione deputationis personæ ad aliquod ministerium integra est et per se sufficiens. *Can. un. Dist. 32. et cap. un. h. t.* Excipitur autem Episcopatus, qui cum sit complementum et perfectio sacerdotii, essentialiter supponit presbyteratum. *Arg. cap. 10. 'De excessibus Prælatorum' in fin. et Glossa in cap. un. h. t. v. 'De misericordia'.*

2. Clericus promotus per saltum est ipso facto suspensus ab ordine suscepto. Ipse enim contra regulam statui ecclesiastico debitam, conditionem superiorem invasit. Potest vero dispensare in hoc defectu Episcopus licet culpabili et notorio, postquam clericus per saltum promotus suscepit ordinem omissum et dummodo idem Clericus in eodem ordine per saltum suscepto non ministraverit. *Conc. Trid. sess. 23. De Refor. c. 14.* ubi Patres concedunt Episcopis facultatem dispensandi cum clericis promotis per saltum. Si enim clericus ordinem per saltum susceptum exercuerit ante dispensationem, fit irregularis ob violatam censuram suspensionis. *Cap. 1. De sent. et re jud. in VI.* Unde si casus sit publicus solus Papa dispensat. Si vero casus sit occultus potest etiam Episcopus dispensare. *Trid. sess. 24. De Refor. cap. 6.*

Titulus XXX.

De eo qui furtive ordinem suscepit.

1. Furtive ordinatus dicitur ille qui sine licentia proprii Episcopi, et sine prævio examine temere se fecit ordinare, vel simul eodem die duos ordines majores suscepit. Ordinatio valida est quia elementis essentialibus non caret, at furtive ordinatus, est suspensus ab exercitio ordinis furtive suscepti, non autem ab exercitio ordinis inferioris, legitime suscepti, nec potest promoveri ad altiorem ordinem. Episcopus autem potest super utroque defectu dispensare. *Cap. 12. et 3. h. t.*

2. Diximus validam esse ordinationem furtive receptam. Quid vero si Episcopus vel per edictum, vel per allocutionem

quam ejus nomine habet archidiaconus, vel alio modo declaravit se intentionem non habere ordinandi Clericos, aliquo impedimento ligatos, vel furtive sese immiscentes inter alios?

Animadvertimus Episcopis interdictam esse intentionem hanc conditionalem in sacra ordinatione conferenda. Sequi enim debet Episcopus formam simplicem Pontificalis Romani. *Sac. Congreg. Concilii 13. Febr. 1682.* Sed si constat de hac intentione non ordinandi impedimento ligatos, vel furtive se immiscentes, ordinatio vacua est effectu. *Ita S. Congreg. Concilii in ead. cit. Resolut. Cf. Benedictus XIV. 'De sacrificio Missæ lib. 3. cap. 10. n. 6.* Si vero dubia est intentio, interrogandus est Episcopus, et quoties dubium perseveret, iteranda est ordinatio sub conditione. *S. Congreg. Conc. in 'Aprutina Ordinum' 11. Febr. 1710; in 'Ugentina Ordinum' 3. Augusti 1743.*

Titulus XXXI.

De excessibus Prælatorum et Subditorum.

1. Pluribus modis Prælati possunt excedere limites potestatis suæ in præjudicium aliorum et agere contra leges. Præcipuos juxta scopum tituli assignabimus. 1°. Juxta caput 1. h. t. Episcopi excessum committunt si novas indebitas exactiones imponant, vel censuras injustas contra subditos infligant, vel clericos ita deprimant ut laicis aspernabiles reddantur ceu viles et indignæ personæ. Contra istos Prælatos, Pontifex comminatur justam sed sane gravem pœnam. Ait enim 'vos taliter puniemus, quod timore pœnæ vestræ ceteri a similibus abstineant'. Huc facit can. 7. dist. 95. qui ita se habet 'Esto subjectus Pontifici tuo, quasi animæ parentem suscipe, sed Episcopi sacerdotes se esse noverint non dominos, honorent clericos, quasi clericos, ut et ipsis a clericis quasi Episcopis honor deferatur'.

2. 2°. Secundus excessus Episcopi est si Ecclesiam prælato inferiori subjectam ab ejus subjectione tamen eximat, vel prælati inferioris lædat immunitatem, et privilegia acquisita sive concessione Pontificis, sive ex consuetudine, sive alio titulo legitimo. *Cap. 2. h. t.* Vel etiam si in genere privilegia impediat etiam in suis subditis. Quo in casu subditi etiam sub comminatione censuræ obedire non tenentur. *Capp. 5. et 7. h. t.*

3. 3°. Tertius excessus Episcopi est si beneficia suæ liberæ collationis sibi ipsi Episcopus conferat, vel sibi retineat. *C. 3. h. t.*

4. 4°. Quartus excessus si beneficia conferat indignis. *Cap. 11. h. t.*

5. 5°. Si Prælatus præsumat Regularibus et aliis exemptis aliquid præcipere, interdicere aut prohibere contra tenorem privilegiorum, excedit limites potestatis suæ. Modi quibus Episcopi et alii Prælati possint in religiosos excedere numerantur in *capp. 16. et 17. h. t. In Clem. un. h. t.* gravioribus verbis injungitur Prælatis ne invadant provinciam Religiosorum exemptorum.

6. Etiam Prælati inferiores excedere possunt limites suæ potestatis. Excedunt vero 1°. Si absque consensu Episcopi vel uniunt Ecclesias sibi subjectas, *cap. 8. h. t.* vel nova ædificent monasteria. *Conc. Trid. sess. 25. De Regul. c. 3.* ubi traditur non posse erigi nova monasteria in Diœcesi absque licentia Episcopi; vel etiam si ædificent nova monasteria contra formam in suis Constitutionibus descriptam. 2°. Si concedant indulgentias, vel publicas imponant pœnitentias, absque peculiari privilegio, hæc enim ad Episcopum pertinent. 3°. Si videant causas matrimoniales, quæ videri possunt a solo Episcopo vel Prælato Nullius, qui jurisdictione plena et quasi Episcopali gaudeat.

7. Subditi autem et privati homines non possunt sese in collegium et publicam societatem constituere, et sigillum, seu publica insignia assumere collegii absque licentia superioris. *Cap. 14. h. t.* 2°. Vicarius qui vindicat sibi personam et titulum rectoris principalis ceu infamis a suo officio removendus est. *Cap. 6. h. t.* 3°. Si privati negent Prælatum vel Episcopum esse dominum suum aut trahunt ad judicem sæcularem, excessum committunt, et si clerici fuerint sunt deponendi. *Cap. 15. h. t.* 4°. Rei sunt excessus homines privati, quoties rident censuras ab Episcopo proprio latas, vel non observent dies festos ab eodem indictos. *Cap. fin. h. t.*

Titulus XXXII.

De novi operis nunciatione.

1. In cap. 1. h. t. Pontifex scribit 'sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur'. Unde canonistæ inferunt prin-

cipium 'jus canonicum et civile sibi ipsis opitulantur invicem, ita ut quod in uno jure desideratur, debeat per aliud suppleri'.

2. Quare nil mirum si legislatio canonica in re ecclesiastica titulum retulerit de *nunciatione novi operis,* qui est proprie civilis. In re nostra nunciatio novi operis nil aliud est quam inhibitio ædificandi aliquam Ecclesiam in præjudicium alterius præexistentis. Præjudicium hoc multiplex esse potest. Siquidem Ecclesia existens potest ab alia quæ vult ædificari præjudicium timere sive ob propinquitatem ædificii, sive quia nova Ecclesia occupat fundum alterius, sive quia jurisdictio prioris intervertitur, sive quia pati potest prior Ecclesia imminutionem in oblationibus fidelium. *Cap. 1. et 2. h. t.* Effectus nunciationis est ut qui novum opus aggreditur, debeat desistere, secus probata justitia nunciationis, suis expensis, tenetur demolire quod inde constructum est.

Titulus XXXIII.

De privilegiis et excessibus privilegiatorum.

1. Privilegium est 'jus vel indultum singulare et stabile in alicujus personæ vel causæ gratiam a Superiore constitutum'. Additur in definitione adjectivum *stabile.* Privilegium enim natura sua permanens est, et distinguitur a *facultate* quæ datur ad unum alterumve actum exercendum.

2. *Divisio privilegiorum.* Præcipua divisio privilegiorum est duplex. 1°. Privilegia alia sunt *clausa in corpore juris,* alia procedunt ex *speciali rescripto Principis.* Prioris generis privilegia ad modum legis concipiuntur. Hinc judex ea non debet ignorare, et si aliquid contra privilegia injungat vel decernat nullum est et privilegiatus non tenetur parere. *Capp. 5. et 7. 'De excess. Prælat.'* Hinc etiam sortiuntur ordinarie benignam interpretationem ad casus similes. Privilegia vero ex speciali rescripto principis concessa, a judice præsumuntur ignorari, quia considerantur tamquam facta particularia; hinc primo nisi monstrentur ea non tenetur judex revereri. *Cap. 7. h. t. in VI.* Secundo strictam ordinarie subeunt interpretationem, nec extenduntur ad casus vel personas non expressas.

3. 2°. *Divisio.* Privilegia dividuntur in *realia, personalia* et *mixta. Reale* privilegium est illud quod concessum est contem-

platione *rei, officii, dignitatis,* ita ut successores in officio, re, dignitate eo ipso privilegium obtineant. *Personale* privilegium est illud quod personæ conceditur intuitu personæ, ita ut deficiente persona, et ipsum deficiat privilegium. *Reg. 7. Jur. in VI. Mixtum* privilegium de utroque participans, illud est, quod morali corpori aut collegio personarum seu communitati conceditur, quod proinde non cessat deficientibus membris, sed successoribus etiam competit.

4. Quæritur quibus modis privilegia acquirantur.

Acquiruntur privilegia *concessione, communicatione* et *consuetudine* seu *præscriptione.*

5. 1°. *Concessione* acquiruntur privilegia cum primum ab ipso Superiore concedantur. Concessio etiam oretenus facta privilegii per se subsistit. Nam nullibi coarctatur potestas Pontificis ut per scripturam debeat absolute suas concessiones facere. Immo in jure expresse fit mentio vivæ vocis. Sane in Extrav. *'Etsi' De Pœnit. et Remiss.* legitur 'considerans quod *plerumque contingit,* Suam Sanctitatem hujusmodi facultatem etiam *oraculo vivæ vocis concedere*' etc. Hinc certum est privilegia ex vivæ vocis oraculo concessa pro *foro interno* valere.

6. Verum quoad *forum externum* requiritur documentum scriptum, authenticum ad privilegium probandum. Ad probandum vero privilegium vivæ vocis oraculo concessum, admittitur testimonium authenticum officialium Curiæ, qui vi officii sui ista negotia tractant. Ita in Constitutione *'Alias felicis'* Urbani VIII. quæ est 141 in Bullario Cherubini.

7. At ex stylo Curiæ Romanæ, gratiæ Pontificiæ licet fuerint concessæ et signatæ a Pontifice per *'Fiat'* tamen ante expeditionem per analogas Litteras Apostolicas dicuntur *informes.* Hinc Reg. 27. Cancell. inscribitur *'De non judicando juxta formam supplicationis, sed Litterarum expeditarum'.* Immo in Reg. 52. dicitur *'ut nulli suffragetur dispensatio, nisi Litteris confectis'.*

8. 2°. *Communicatione* acquiruntur privilegia dupliciter: a) Quando Superior extendit ad alias personas vel causas, privilegia alicui personæ vel causæ concessa. b) Cum privilegia uni corpori morali concessa, eo ipso censeantur etiam aliis quibusdam corporibus moralibus concessa, eo quod inter hæc corpora moralia existit juridica communicatio privilegiorum. Citant Doctores Bullam

Leonis X. qua instituitur universalis privilegiorum communicatio inter mendicantes religiosos, quæ deinde ex aliis Bullis pontificiis instituta est etiam cum religiosis non mendicantibus. Hæc vero communio valet, dummodo privilegium uni ordini concessum cum aliorum ordinum regulari disciplina componi possit, et dummodo concessum non sit uni, cum expressa exclusione quoad alios ordines.

9. 3°. *Consuetudine* acquiruntur privilegia, seu melius præscriptione immemorabili. *Cap. 13. 'De Judiciis'* Sed et temporali *præscriptione.* Scilicet contra privatos 30 annorum et contra Ecclesiam 40 annorum spatio. *Capp. 4. et 18. 'De Præscriptionibus'.*

10. Quæritur quomodo cessent privilegia.

1°. Interitu personæ si privilegium sit personale, vel interitu rei, si sit reale. Non autem quilibet interitus rei privilegium extinguit, sed solum *finalis;* si nempe vel superior rem destruat, vel alioquin res destruatur ita ut spes restitutionis non adsit. Ceterum *morte concedentis* non extinguitur privilegium nisi illud dederit ad suum beneplacitum.

11. 2°. Amittitur privilegium *renunciatione expressa* dummodo sit in favorem particularem personæ, non autem si sit in favorem publicum, vel determinati cœtus personarum. *Cap. 12. 'De foro compet.' et 36. 'De Sent. Excomm.'*

12. 3°. Amittitur privilegium *renunciatione tacita* id est nonusu, aut usu contrario. Qua in re duo sunt in jure capita. *In cap. 6. h. t.* Alexander III. tradit Monachos Cistercienses amisisse privilegium non solvendi decimas per contrarium usum 30 annorum. In cap. autem *14. eod. tit.* Innocentius III. tradit Templarios idem privilegium amisisse per continuam solutionem decimarum spatio 40 annorum. In utroque autem capite Alexander et Innocentius præsumunt renunciationem tacitam. Unde videretur incohærentia juris existere quoad tempus præsumendæ renunciationis privilegii. Plures in hac re sunt sententiæ. Verius cum *Glossa in cap. 14. v. per 40 ann.* videtur esse, si dicatur spatium temporis 30 vel 40 ann. non constituere dispositionem juris circa tempus necessarium, sed referri ad partem narrativam. Scilicet in cap. 6. expositum erat Alexandro Monachos per 30 annos solvisse decimas; in cap. 14. autem expositum erat Innocentio Templarios per 40 annos solvisse decimas. Pontifices reposuerunt

'si ita res se habeant, merito præsumitur renunciatio'. Quare uterque Pontifex non ingreditur quæstionem de tempore definito ad præsumendam renunciationem privilegii.

Igitur quod tempus requiritur ad amittendum privilegium per *non-usum* vel *usum contrarium?*

13. Sciendum est quædam privilegia esse mere facultativa, quæ absque ullo onere et præjudicio tertii exercentur: ex. gr. facultas celebrandi Missam ante auroram; dispensandi in aliquo impedimento etc. In istis privilegiis solus non-usus, aut etiam contrarius usus non inducit præsumptionem tacitæ renunciationis; quare nisi adsint alia adminicula, quæ significent renunciandi voluntatem, hæc privilegia aut non-usu, aut usu contrario non amittuntur.

14. Alia autem privilegia tertii gravamen important ex. gr. privilegium exemptionis ab onere solvendi decimas. Hæc sine dubio legitima 30 vel 40 annorum præscriptione contraria amittuntur de qua supra. Sed probabili ratione ducti cum Glossa *in cap. 15. h. t. v. per 40 ann.* dicimus privilegia hæc amitti posse per non-usum, aut usum contrarium, eo spatio temporis, quod requiritur ad præscribendum contra jus commune, idest spatio 10 annorum. Ratio est quia privilegium est quodammodo privata lex, immo magis odiosa quam ipsa lex communis. Igitur cessabit privilegium, hac lege privata cessante.

15. Animadverti autem debet 1°. principium expositum non verificari quoties occasio non extiterit utendi privilegio; 2°. nec verificari quoties privilegiatus fuerit impeditus quominus privilegio uteretur.

16. Cessat privilegium si *eo abutatur* privilegiatus. *Cap. ult. 'De Immun. Eccl.'* vel si *incipiat secumferre grave detrimentum communitati. Cap. 9. 'De Decimis'* et *cap. ult. 'De Clericis non Resident.'*

17. Privilegium cessat cessante *causa finali,* seu melius immutata causa finali in contrariam, ita ut usus privilegii illicitus evadat. *Cap. 60. 'De Appellat.'* Si autem causa finalis simpliciter deficiat, non inde cessat privilegium. Nam privilegium utique pendet a causa finali in concessione, non vero pendet in conservatione. Factum enim legitimum retractari non debet, licet casus postea evenerit, a quo non potest inchoari. *Ita in Reg. 73. Jur. in VI.*

18. Cessant tandem privilegia *revocatione* facta a concedente, vel ab ejus successore. Privilegia enim censentur concessa sub tacita conditione *'donec, vel dummodo non revocentur' Glossa recepta in cap. 13. 'De Judiciis et ad Reg. 16. Jur. in VI.'*

Tituli XXXIV. et XXXV.

De purgatione canonica et vulgari.

1. Purgatio est 'modus a jure inventus quo homo infamatus et notabiliter suspectus de crimine, quod nequit probari, cogitur demonstrare suam innocentiam'.

2. Hæc purgatio alia est *canonica,* quia nempe recepta est ab Ecclesia, alia autem dicitur *vulgaris* quia nempe ex vulgi falsis opinionibus, immo ex superstitione populari, non autem legitimo titulo inducta fuit.

3. Purgatio canonica considerata est ceu medium juridicum quo scandalum ex imputatione alicujus honestæ personæ natum tolleretur, et honor debitus restitueretur. *Capp. 12. et 15. h. t. et 21. 'De accusat.'* Unde a judice competente poterat unice iudici. Quod si reus defecisset in purgatione, judex poterat considerare reum, ceu auctorem criminis impacti, eumque pœnis ordinariis plectere. *Cap. 7. h. t. et Cap. 11. 'De simonia'.*

Forma purgationis canonicæ antiquæ multiplex erat. Ex. gr. juxta *cann. 23. et ult. caus. 2. q. 4.* Sacerdos infamatus Missam legens, et laicus infamatus participans de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento si hæc verba protulissent 'Corpus Domini sit mihi probatione hodie' probata censebatur et manifesta eorum innocentia.

4. Deinde autem inducta est et communiter recepta forma seu solemnitas, qua infamatus præstet juramentum de propria innocentia, et insuper adducat honestas personas, plures vel minores numero juxta arbitrium judicis, quæ juramento deponant de credulitate, et testentur tuto fidem haberi posse depositioni infamati hominis. *Capp. 5. et 7. h. t.*

5. Purgatio vulgaris pluribus modis fiebat. Præsertim vero infamatus de crimine cogebatur tangere ferrum candens vel accensos carbones, vel inire duellum cum accusatore, ita ut exitus duelli haberetur ceu probatio vel culpæ vel innocentiæ. Hanc

purgationem reprobarunt canones, vel ut tentationem Dei, vel ut superstitione et cultu dæmonis infectam eam judicantes. *Can. 7. cap. 2. q. 4. et toto titulo præsente.*

Titulus XXXVI.

De injuriis et damno dato.

1. I°. *De injuriis.* Injuria in genere significat id quod non jure fit, idest contra justitiam. In sensu autem tituli injuria idem est ac contumelia qua dolo malo vilipenditur honor et fama alterius.

2. Præcipua divisio injuriæ est ut alia sit *verbalis,* alia *realis.* Verbalis injuria verificatur, quando per verba contumeliosa alienus honor læditur. Ad verbalem injuriam reducitur etiam *libellus* seu *carmen famosum.* Injuria realis dicitur ea, quæ aliquo facto infertur, quemadmodum si quis personam aggrederetur vel percuteret alapis aut verberibus, vel violenter alienam domum introiret, vel aliud ageret in contumeliam, et in contemptum alienum.

3. Ad sarciendam injuriam datur *actio injuriarum* quæ civiliter instituitur, si injuriam passus exposcat summam pecuniæ ad suum privatum commodum, præcise ex titulo toleratæ injuriæ; criminaliter autem instituitur si invocetur judicis auctoritas ad reum debita pœna mulctandum.

4. Cessat actio injuriarum 1°. *condonatione* vel *expressa* vel saltem *tacita.* Ex. gr. si injuriam passus redeat in pristinam familiaritatem cum adversario suo. 2°. Morte *alterutrius* vel *inferentis* injuriam ante litem contestatam, vel *patientis.* Quia actio injuriarum considerata est ceu actio ex delicto, idest pœnalis, quæ ordinarie ad hæredes non transit. 3°. Actio injuriarum criminalis perimitur ex *præscriptione unius anni. L. 5. Cod.* '*De injuriis*' recepta a Doctoribus. Interest enim Reipublicæ ne odia civium diu perseverent. 4°. Cessat actio injuriarum *retorsione,* idest si eædem injuriæ retorqueantur. — Quoad cessationem actionis injuriarum ex condonatione, animadvertimus eam non verificari si injuriatus alterius potestati subjectus ipse solus injuriam condonet, sed requiri etiam condonationem superioris.

5. II°. *De damno dato.* In titulo nomine damni intelligitur illud damnum, quod quis alteri infert absque proprio commodo et utilitate. Ex. gr. si quis domum alienam incendat, vestes laceret etc. Hoc damnum jure romano sarciebatur actione legis Aquiliæ.

6. Relinquentes civiles dispositiones hac in re, ea quæ sunt juris nostri breviter exponemus. Juxta *cap. ult. h. t.* non solum ille qui dolo alteri damnum intulit, sed etiam qui ex sola culpa tenetur satisfactionem congruam præstare damnificato. Concordant *capp. 6. et 7. h. t.* Quod si aliquis omnem diligentiam adhibuerit ne damnum inferretur, vel saltem absque sua injuria, et negligentia damnum sequutum est, non potest obligari ad sarciendum damnum. Damnum enim in hypothesi ex infortunio potius repetendum est. Nemo autem de infortunio tenetur, quod vel prævideri non potuit, vel prævisum non potuit removeri.

Titulus XXXVII.

De poenis.

1. In titulo præsenti agitur de pœnis, in sequenti titulo de pœnitentiis et in titulo 39. de censuris ecclesiasticis. Profecto hæc tria differunt inter se. Nam 1°. relate ad illos quibus fit applicatio, differentia adest. Siquidem pœna applicatur ordinarie etiam invitis. Pœnitentia applicatur volentibus. Censuræ autem statutæ sunt contra contumaces et temerarios ad frangendam contumaciam. 2°. Effectus proprius pœnæ est reintegratio ordinis læsi. Effectus autem proprius pœnitentiæ est correctio fidelis, qui ut reconciliationem obtineat libens sese subjicit operibus satisfactoriis. Censuræ autem diriguntur ad frangendam contumaciam illius, qui deliquit, nec reparare vult scandalum, aut etiam in crimine insordescit.

2. Hisce positis pœna definitur 'Vindicta criminis ad disciplinæ publicæ emendationem inducta'. Nam propria indoles pœnæ est reparatio ordinis læsi ob crimen. Hinc natura sua pœna dirigitur contra delinquentem, qui disciplinam publicam offendit. At indirecte etiam tertias personas pœna afficere potest, quemadmodum est pœna, quæ bona delinquentis percutit, quo in casu etiam alii, nempe hæredes delinquentis effectum pœnæ sustinent. Ita etiam interdictum locale, quod est utique censura, sed induere potest indolem pœnæ. Siquidem ob aliquod delictum commissum in loco interdicitur locus, et personæ ibi commorantes effectum interdicti sustinere debent, licet non omnes deliquerint.

3. Pœnæ canonicæ proprie dictæ in specie sunt:

1°. Inhabilitas ad beneficia, dignitates et officia ecclesiastica. 2°. Privatio beneficiorum. 3°. Depositio. 4°. Degradatio. 5°. Infamia. 6°. Irregularitas. De singulis breviter.

1°. *Inhabilitas* est pœna qua quis fit ineptus ad assequenda beneficia vel officia ecclesiastica. Unde ipsa collatio beneficii si fiat inhabili, nulla est ipso jure ante omnem sententiam judicis. Subjectum enim ipsum collationis censetur abesse, eo quia incapax.

4. 2°. Secunda pœna est *privatio beneficiorum* vel *subtractio fructuum*. Hæc potest infligi ab ipso jure; aliquando autem inferenda præcipitur per judicis sententiam. Procul dubio si pœna hæc inferenda dicitur per sententiam judicis, non obligat neque in conscientia ante sententiam. Hinc quis potest et beneficium retinere, et fructus percipere, quin teneatur resignare beneficium, vel tradere teneatur superiori, aut in pias causas erogare fructus, donec sententia sequatur. Sed etiam in priori casu obligatio in conscientia ordinarie non urget saltem ante sententiam judicis declaratoriam facti, qua scilicet judex declaret Clericum reum esse determinati criminis cui adnexa est pœna privationis beneficii vel subtractionis fructuum. *Cap. 2. 'De Hæreticis' in VI.* Pœna enim, quæ requirit externam executionem non obligat ordinarie ante sententiam saltem declaratoriam, quia prudenti judici possent fortasse præsto esse circumstantiæ, quæ æquam et favorabilem interpretationem suaderent. Dixi *'ordinarie'*. Nam si Canon in aliqua causa in specie dixerit pœnam esse incurrendam ipso facto etiam ante quamlibet sententiam judicis declaratoriam, procul dubio obligatio in conscientia illico exurgeret. Exempla in re nostra habemus in *Extravag. 'Ambitiosæ' 'De rebus Eccl. non alien.'* et *in Trid. sess. 23. cap. 1. De Ref. v. 'Si quis autem'* ubi agitur de pœna privationis fructuum contra Episcopos et Parochos non observantes legem Residentiæ, et Concilium decernit, delinquentes amittere beneficii fructus in conscientia ipso facto, et ante omnem sententiam judicis.

5. 3°. Tertia pœna est *depositio*, quæ est pœna qua Clericus in perpetuum privatur ordine, idest exercitio ordinis et munere clericali. Depositio semper secumfert privationem beneficii. At non ejicit personam e statu clericali. Quare depositus remanet clericus, licet depositio natura sua sit perpetua, tamen Episcopus potest dispensare si crimen fuerit adulterium, vel aliud crimen minus, ob quod fuit depositio inflicta. *Cap. 4. 'At si Clerici',*

'De Judiciis'. Animadvertimus vero depositionem non esse intelligendam, nisi crimen commissum fuerit enorme, et causa gravis scandali. Ex. gr. homicidium voluntarium, adulterium, stuprum violentum, furtum sacrilegum, vel fornicatio continuata. *Arg. cap. 6. De cohab. Cler. et Mulier. et sess. 22. Trident. in Decreto de observand. in Sacr. Miss.*

6. 4°. Quarta pœna et *degradatio,* quæ est pœna ecclesiastica, qua Clericus ob criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem, per sententiam judicis authentice et solemnitate adhibita privatur ordine, idest exercitio (non autem charactere), beneficio, officio et statu ipso clericali seu omnibus privilegiis, ita ut Clericus reddatur ad statum laicalem, et ad instar laici puniatur a laica potestate secundum suas leges. Degradatio est vel *verbalis,* vel *realis, verbalis,* qua sententia degradationis edicitur, *realis,* qua perficitur ipsa degradatio per ritum statutum. *Cap. Degradatio h. t. in VI.* Juxta autem *cap. 'Novimus' 27. 'De verb. signif.'* Ecclesia adprecari debet auctoritatem civilem præsentem in reali degradatione Clerici, ut eum mitiori ratione pertractet. Hæc degradatio realis nonnisi ab Episcopo fieri debet. *Conc. Trid. sess. 23. c. 4.* Fit autem ob crimina in jure expressa. Præcipue sunt crimina hæreseos, falsificationis Litterarum Apostolicarum, insidiarum contra proprii Episcopi vitam.

7. 5°. Quinta pœna est *infamia.* Infamia alia est *facti,* alia est *juris.* Facti est, quæ oritur in populo ex delicto scienter admisso, vel alio defectu manifesto, ita ut nullatenus quis possit sese excusare, quin apud honestas personas contrahat notam et patiatur boni nominis imminutionem. Infamia juris est quæ auctoritate legis ob certa crimina infertur. Hæc autem duplici modo infertur et decernitur a lege a) ut ipso jure et ipso facto incurratur, hæc porro infamia incurritur solummodo quando crimen est notorium, b) ut pœna infamiæ incurratur solum per sententiam judicis.

8. Inter infamiam juris et infamiam facti duplex est præcipua differentia. 1ª. ut infamia juris proprie sit pœna criminis, non autem infamia facti. 2ª. ut infamia facti redimi possit per bonam opinionem, quæ oritur ex publica et notabili emendatione. Infamia autem juris per se redimi non potest, scilicet perpetua est. *Can. 7. cap. 3. q. 3.* Tolli vero potest auctoritate principis, aut ex contraria sententia judicis, quæ vel innocentiam personæ pronunciat, vel

saltem in relatione ad infamiam irrogatam, primam sententiam modificat et corrigit.

9. 6°. Sexta pœna est *irregularitas*, quæ contrahitur ex delicto, et est 'impedimentum juris ecclesiastici ad susceptionem ordinum, et ad executionem actuum ordinis jam suscepti.' Contrahitur vero ex reiteratione absoluta baptismi, ex violatione censuræ ecclesiasticæ, ex indebita susceptione ordinum, ex crimine hæresis, et aliis criminibus, ex quibus oritur infamia juris, ex homicidio, vel mutilatione voluntaria. Animadverti autem debet irregularitatem ex crimine pœnam esse solummodo improprie et indirecte.

Titulus XXXVIII.

De pœnitentiis et remissionibus.

1. Pœnitentia definiri potest 'Alicujus laboriosi operis frequentatio ab Ecclesia imposita illis, qui post delictum vel culpam admissam, volunt iterum assequi jura quæ amiserant'.

2. Pœnitentia alia est *sacramentalis* et privata, quæ in foro interno imponitur, alia est publica, quæ in foro externo imponitur præsertim ad reparandum scandalum ortum ex crimine.

3. Licet antiqua pœnitentia canonica jamdudum cessaverit, tamen dici nequit omnem prorsus pœnitentiam publicam cessavisse. Trid. enim in *sess. 24. cap. 8. De Refor.* mandat ut peccatoribus publicis et cum scandalo, publica etiam et pro qualitate culpæ pœnitentia infligatur. Episcopus autem videre debet utrum expediat pœnas publicas in specie irrogare.

4. Relate ad pœnitentiam sacramentalem duo animadvertimus. 1°. In *cap. 12. h. t.* præcipi annualem confessionem et communionem Sanctissimæ Eucharistiæ saltem tempore paschali. Qui autem temere et sine rationabili causa, ac proprii Parochi consilio seu licentia alterutrum omittunt, vivi ab ingressu Ecclesiæ arcentur, defuncti privantur ecclesiastica sepultura.

5. 2°. Commemoratione digna est Constit. *cap. 13. h. t.* In hac Constitutione animadvertens Innocentius corporales infirmitates non raro ex peccato provenire, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ jubet medicos admonere debere infirmos ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant.

6. Accessit Bulla S. Pii V. *'Super gregem' 8. Mart. 1568.* in qua S. Pontifex renovat constitutionem Innoc. III. relatam in cap. 13. cit., et statuit ut medici vocati ad infirmos jacentes in lecto eosdem admoneant, ut Confessario peccata sua confiteantur, neque tertio die ulterius visitent, nisi longius tempus confessarius concesserit; aut nisi constiterit de peracta confessione ex fide Confessarii in scriptis relicta. Contra medicos transgressores vero decernitur pœna statuta in *cap. 13. h. t.* 2°. Infamia. 3°. Privatio gradus medicæ facultatis. Hanc Constit. ajunt DD. etiam juxta inductam consuetudinem, esse intelligendam de morbo periculoso. *Ita Hengel. h. t. n. 10.*

7. Verum accessit deinde Decretum Benedicti XIII. in Conc. Romano sub *tit. 32. c. 1.* et subsequens declaratio secretarii ejusdem Concilii impressa in Append. Concilii sub n. 28. Porro in Decreto Concilii 1°. renovatur dispositio Piana. 2°. excludi videtur necessitas periculi ut Medicus vel Chirurgus teneatur admonere infirmum de confessione sacramentali peragenda. Etenim pro quovis morbo præcipitur servanda dispositio Piana, exceptis solum morbis arctritis. 3°. Medicis vel Chirurgis transgressoribus imponitur pœna excommunicationis, latæ sententiæ. 4°. Confessariis sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ ab excipiendis confessionibus præcipitur ut post exceptam ab infirmis confessionem fidem de eadem faciant scripto, et documentum domi relinquant. Porro in pagellis pro confessionibus audiendis solet ab Ordinariis hæc pœna suspensionis infligi. Duo in hac re animadvertimus 1°. interdictum ab ingressu Ecclesiæ medicis comminatum *cap. 13. h. t.* esse ferendæ sententiæ. Non enim apposita est Clausula *'ipso facto'*. 2°. Juxta Benedictum XIV. *Inst. Ecc. 22. n. 17.* decreta Pontificia superius descripta de infirmo relinquendo non obligant quando morbus est ita gravis ut sine ope medici periculum adsit.

Titulus XXXIX.

De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti.

1. Titulus præsens agit de censuris. Censura, ita dicta ad exemplum pœnarum quas ad emendationem civium censores populi Romani infligere solebant, definitur 'Pœna spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci per

potestatem ecclesiasticam aufertur usus bonorum spiritualium'. Aliquo sub respectu censura est pœna quia ob delictum vel culpam inflictam secumfert aliquam malitiam propter privationem jurium seu bonorum spiritualium. Non infligitur autem censura ad publicam vindictam criminis, sed potius ad correctionem rei; hinc dicitur pœna medicinalis.

2. Per auctoritatem ecclesiasticam fertur censura, idest nedum infligitur a Romano Pontifice, Episcopis et Abbatibus nullius, *Cap. 1. et 16. 'De Offic. Ord. Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. De Ref.* sed etiam ab aliis judicibus. Uno verbo infligi potest censura ab illis, qui in foro externo et contentioso habent jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam. Tales sunt Legati Sedis Apostolicæ. *Cap. 'Noviter' 'De Offic. Legati'* et *cap. 2. eod. in VI°.'* Superiores regulares quoad suos subditos regulares. *Cap. 10. 'De Majorit. et Obed.' cap. ult. 'De statu monach. et cap. 33. De simonia'.* Vicarius Generalis Episcopi et Vicarius Capitularis. *Cap. 7. h. t. in VI.* Judices delegati. Tandem Concilia et Capitula regularium. Et ratio est quia potestas ferendi censuras pertinet ad potestatem jurisdictionis in foro externo. Censura enim est privatio usus bonorum publicæ societatis christianæ. Hinc Parochus ferre censuras non potest. Infligitur autem censura in solos subditos.

3. Ut autem excommunicatio major, plena suspensio et interdictum infligantur, requiritur delictum externum, quia Ecclesia de internis non judicat. *Cap. 33. 'De simonia'.* Scilicet tale facinus requirit quod secumfert culpam gravem. *Arg. can. 39. caus. 11. q. 3. et Conc. Trid. sess. 25. De Ref. c. 3.* Hoc vero intelligi debet de excommunicatione majori, de suspensione ab officio et a beneficio vel ab alterutro et de interdicto. Nam excommunicatio minor incurritur seu incurrebatur etiam ex culpa levi, quemadmodum etiam potest infligi suspensio ab aliquo actu officii. Ita DD. Necesse autem non est ut sit publicum et notorium. Hinc datur etiam censura ex informata conscientia.

4. Requiritur etiam contumacia, quæ consistit in contemptu auctoritatis ecclesiasticæ, quæque verificatur sive quando quis Superiori legitime imperanti resistit, sive quando quis sciat aliquid prohiberi ab Ecclesia sub censuris, et nihilominus non dubitat illud agere.

5. Quare a censura incurrenda excusat 1°. ignoratio tum juris tum facti. Hinc licet quis sciat actum prohibitum ab Ecclesia,

ignoret autem prohibitioni adjectam esse censuram, ignorantia hæc excusat a censura, nisi ignorantia fuerit supina et crassa, et eo magis si fuerit affectata qua nempe quis dubitans cuidam actioni censuram esse adnexam nolit investigare, ne cognoscat. *Cap. 2. 'De Const.' in VI.*

6. Quin immo si censura inflicta fuerit contra illos, qui ex consulto scienter vel temerario ausu egerint, vel qui agere præsumpserint, vel sub simili modo loquendi, etiam crassa et supina ignorantia excusat. Quia positiva scientia censuræ necessaria videtur ad ipsam incurrendam.

7. Quid vero si ignorantia hac hypothesi fuerit affectata?

Magnæ notæ Doctores dicunt, ignorantiam hanc excusare a censura, tum quia positiva scientia non verificatur, tum quia qui vult ignorare legem aut censuram, adhuc aliquam reverentiam conservat erga auctoritatem, cujus voluntatem ideo non vult inquirere, ne eam violet. Certe rationes istæ suo non carent pondere. At communior est aliorum sententia qui docent non excusare, quia hæc ignorantia in jure dolo æquiparatur. Ideo enim ignorans non vult rite cognoscere legem et pœnam eidem adjectam, quia vult pro libitu agere, idest contra id, quod prævidet cum fundato dubio a lege sub censura prohiberi. Quoniam vero quisquis diligens esse debet in negotio animæ suæ, quod a lege regitur, hinc affectans ignorantiam legis vel censuræ proprie legem non reveretur, sed potius eam despicit, et ex fraude sua vult eam ignorare. Dixi tamen *'quod prævidet cum fundato seu vere probabili dubio'* quia dubium hoc constituit agentem in mala fide. Hinc non versaretur in ignorantia affectata ille, qui solum de existentia legis vel pœnæ dubitaret.

8. Excusat 2°. a censura metus gravis juxta Reg. 4. Juris. Non enim præsumitur Ecclesia prohibitione sua positiva velle adstringere fideles qui tali necessitate premantur, nec contumaces videntur esse qui agunt morali eaque gravi coactione impulsi. Excipiunt autem DD. casum quo violatio legis etiam sub metu, cederet in contemptum fidei, vel in dedecus auctoritatis Ecclesiæ. Ratio est quia in hisce casibus lex Ecclesiæ obligat etiam sub metu. *Cap. 5. De his quæ vis vetusque causa fiunt.'* Idem dic si de actione ageretur quæ posita in publici boni præjudicium cederet.

9. 3°. In foro conscientiæ excusat persuasio propriæ innocentiæ, quamvis in foro externo crimen juridicis probationibus constet. Quo tamen in casu saltem ad scandalum vitandum, fidelis tenetur sese gerere coram societate ceu censura ligatum.

10. Hoc vero dicendum non est quando censura etiam in foro externo nulla sit et prorsus invalida. Nam censura isthæc nullum parit effectum. Invalida autem est censura a) si Prælatus, qui eam infligit caret jurisdictione necessaria relate ad personam, sive quia absolute censuras ferre nequit, sive quia post sententiam censuræ omnino notoriam, appellatio legitima interposita fuerit. *Cap. 20. h. t. in VI°.* b) Si causa ob quam censura lata est notorie sit falsa et injusta. Ex. gr. si ob actum revera et notorie licitum fuerit inflicta.

11. c) Si forma substantialis neglecta fuerit in judicio. Porro substantialis forma potest esse duplex: 1°. Forma potest esse specifice substantialis, quando nempe in lege, quæ pœnam censuræ decernit, designetur modus servandus in eadem pœna infligenda. 2°. Forma generice esse potest substantialis.

12. Quod ut intelligatur sciendum est censuram aliam esse a *jure,* aliam ab *homine.* Ab homine quidem fertur censura quando Prælatus vel judex contra contumacem censuram decernit, vi suæ auctoritatis, quin aliquo in canone contra hujusmodi contumacem, mentio specialis fiat de aliqua pœna censuræ. Exemplum reperitur in *cap. 'Odoardus' 'De solutionibus'.* Si autem de censura in canone vel Constitutione caveatur, a lege procedere dicitur.

13. Rursus censura hæc alia est *ferendæ sententiæ,* alia *latæ sententiæ.* Ferendæ quidem sententiæ est, quando lex vel præcipiat, vel facultatem tribuat Episcopis, Prælatis, ut censuram decernant. Latæ sententiæ vero est censura, quando ipsa lex censuram infligat, et ipsa lex quodammodo ministerium judicis punientis exerceat. Hinc posito facto criminoso cum contumacia conjuncto, delinquens censura ligatur.

14. Hisce positis si censura excommunicationis procedat a jure, et sit latæ sententiæ, ipso facto incurritur, nec ulla monitio necessaria est. Utique locum habere potest in ista censura sententia judicis declaratoria, at sententia hæc profertur solummodo contra reum ut ab aliis videatur, quia reus jam ligatus fuerat

vinculo censuræ ab ipsa lege. *Cf. Fagn. in cap. 'Non potest' De sent. et re jud. n. 18. et seqq.* Hinc prævia monitio non requiritur, sed solum requiritur citatio rei, si factum non fuerit notorium, quia causa est discutienda. *Clem. 3. de censuris et Clem. 2. de Pœnis.* Secus vero si factum fuerit notorium; nam juxta communia principia juris, citandus non est ille, cui notorie non competit defensio. Notorium enim pro certo habetur, nec ulla indiget probatione. Quod si censura procedat a lege, sed sit ferendæ sententiæ, vel ab homine feratur, requiritur prævia monitio, quæ etiam dicitur comminatio censuræ. *Capp. 26. De appell. 24. h. t capp. 5. 9. et 13. h. t. in VI°.* Etenim in judicio constare debet de contumacia delinquentis, qui si congrue satisfecerit, censura ligandus non est. Porro hæc monitio saltem ad inferendam censuram excommunicationis absolute requiritur. *Cf. cit. cap. præsertim 9. h. t. in VI°.*

15. Monitio hæc triplex esse debet cum competente intervallo dierum, aut saltem debet esse una, quæ tres monitiones complectatur. Fieri autem debet scripto, et intimari delinquentibus coram testibus, si possit. Quod si delinquens delitescat vel fugiat monitio triplex vel una tribus æquivalens fieri debet in domo ejus, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in aliquo publico loco est affigenda. *Cap. 5. § 'Porro' ut lite non contest. 'Clem. 3. De electione etc.'*

Hisce positis si sententia excommunicationis feratur absque trina monitione, vel una saltem tribus æquivalente; sententia nulla est et despici potest.

16. Excipiunt Doctores casum quo crimen non solum, sed etiam contumacia delinquentis sit notoria. Quando enim excessus delinquentis est notorius, novis probationibus non indiget. *Cap. 9. 'De electione etc. et cap. 23. eod.'*

17. Quæritur quibus infligi potest censura. Censura est actus potestatis seu jurisdictionis Ecclesiasticæ. Hinc infligi potest solummodo in homines *baptizatos*, *doli capaces* et *subditos*. Solet etiam addi *viatores*, quia excommunicatio contra mortuos, vel absolutio ab excommunicatione non excommunicatio proprie est, vel absolutio, sed declaratio de eo quod fieri debuisset, si in vivis agerent, et solummodo adhibentur pro effectu sepulturæ ecclesiasticæ, et pro precibus, vel suffragiis publicis peragendis vel non. Quoniam vero juxta concretam formulam regiminis ecclesiastici, potestas et

relativa subjectio respiciunt territorium et personas, hinc censuræ participant simul de qualitate pœnæ localis vel personalis. Quare 1°. si censura sit lata contra aliquod crimen in una Diœcesi, si subditus idem crimen patraverit in alia Diœcesi non contrahit censuram. Immo si censura sit ferendæ sententiæ, et subditus patraverit factum criminosum in Diœcesi, ac deinde ad aliam transierit Diœcesim, Episcopus non potest sententiam excommunicationis ferre contra delinquentem. Nam extra territorium jus dicenti impune non paretur. *Cap. 2. De Constit. in VI°.* Verum si subditus absens a Diœcesi, eo ipso quod absens delinquat ex. gr. quia non residet, nec muneri suo satisfaciat, si vocatus renuat redire, et contumax constituatur, subjici potest censuris, quas in eum ferat Episcopus.

18. 2°. Peregrinus, qui legibus locorum per quæ transit non obligatur, non subjacet censuræ, quæ per legem generalem in Diœcesi contra aliquod crimen lata est. Dixi per *legem generalem.* Etenim quoniam quis ratione criminis sortiri potest forum proprium in loco criminis, hinc Episcopus contra peregrinum in sua Diœcesi delinquentem procedere potest, eique congruas pœnas infligere, non exceptis censuris.

19. Tradunt communiter DD. saltem ex usu et consuetudine introducta, non posse Episcopum censuram infligere contra Imperatorem, Regem ob horum excellentiam et dignitatem. Tandem notandum sub generali dispositione legis censuram inferentis, non venire Episcopos, nisi specialiter de illis mentio fiat. *Cap. 4. h. t. in VI°.*

20. Quinam absolvere possint a censuris?

Absolutio a censuris concedi potest nedum ex potestate ordinaria, sed etiam ex delegata. Est enim actus jurisdictionis, qui per se delegari potest. Hoc posito si censura lata fuerit ab homine, absolvere potest 1°. Rom. Pont., quicumque fuerit, qui eam inflixerit, sive censura ab alio lata, inflicta fuerit ex auctoritate et motu proprio, vel applicatione dispositionis legis decernentis censuram ferendæ sententiæ, 2°. potest absolvere, qui eam tulit, et ejus successor, necnon ejus superior, si ad eum causa censuræ in gradu appellationis fuerit delata, vel si sermo sit de Archiepiscopo, potest hic in actu visitationis Diœcesis suffraganei sui, absolvere ligatos censura a suo suffraganeo. 3°. Quilibet sacerdos in articulo

mortis potest ab omnibus censuris absolvere. Quod si tamen infirmus convaluerit, tenetur superiorem adire, non quidem ut absolutionem iterum recipiat, sed ut obedientiam præstet, et congruam præstet satisfactionem, si superior illi imponat.

21. Quid vero si a lege generali constitutione feratur censura?

Si censura nemini fuerit reservata in foro interno potest ab ea absolvere, quicumque potest delinquentem absolvere a peccato lethali.

22. Si autem fuerit reservata 1°. in articulo mortis quilibet sacerdos potest absolutionem dare, ita tamen ut si infirmus bonam valetudinem iterum acquisierit debeat adire superiorem ut supra. 2°. Romanus Pontifex pro sua in tota Ecclesia potestatis amplitudine. 3°. Auctor legis vel ejus successor. Hinc in censura reservata Pontifici Maximo virtute potestatis propriæ nullus Episcopus potest absolvere. Verum circa censuras reservatas Romano Pontifici plura sunt animadvertenda.

23. 1°. In Constit. '*Apostolicæ Sedis*' distinguitur inter excommunicationes latæ sententiæ, *speciali modo* Summo Pontifici reservatas et alias eidem *simpliciter* reservatas. Jamvero vis hujus distinctionis secumfert ut in censuris primi generis solummodo illi possint absolutionem concedere, qui specialem facultatem ab iisdem absolvendi acceperint a Romano Pontifice. Quare sub mandato vel indulto generali absolvendi a censuris papalibus non venit facultas absolvendi a censuris speciali modo Summo Pontifici reservatis.

24. 2°. Si censura sit occulta, nec ad forum contentiosum deducta, Episcopi possunt in ea absolvere in foro conscientiæ sive per se, sive per Vicarium specialiter deputatum suos subditos in propria Diœcesi, excepta tantum hæresi, a qua per seipsos absolvere possunt *(ita cap. 6. sess. 24. Refor. in Trid. 'Liceat Episcopis in irregularitatibus etc.')*. Verum hæc dispositio aliquatenus immutata est a Constit. '*Apostolicæ Sedis*' in qua circa finem legitur 'Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *(sess. 24. De Reform. c. 6.)* in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac nostra Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo declaravimus reservatas'.

25. 3°. Episcopi absolvere possunt a censura Papæ reservata, quando necessitas et impedimentum adsit, quominus Summus Pontifex adiri queat. Ita Doctores, ex præsumpta delegatione S. Pontificis, cui potestas data est in ædificationem et non in destructionem. Unde adagium *'Casus Papalis fit casus Episcopalis'*. Circa hanc opinionem advertimus eam neque probatam neque rejectam fuisse a S. Pœnitentiaria. Eam fundari præsertim in ratione difficultatis itineris suscipiendi, ut persona ad S. Sedem accederet, et præsens absolutionem reciperet. In more enim positum est S. Sedis, ut recursus per Epistolam recipiantur, et vel detur absolutio ab ipsa S. Sede in forma gratiosa, vel facultas absolvendi delegetur Ordinario loci, vel Confessario ipsius personæ, quæ censura ligatur. Ceterum accessus ad Sanctam Sedem per Epistolam facilis hodie admodum est.

26. Tandem duo sunt præ oculis habenda 1°. absolutionem a censuris esse actum jurisdictionis. Hinc concedi potest sive ex potestate ordinaria, sive ex delegata. 2°. Absolutionem pro foro sive externo sive interno dandam esse juxta formam in Rituali Romano descriptam. Et quidem pro absolutione ab excommunicatione in foro interno sufficit ipsa formula absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ adhibenda. *'Misereatur' 'Indulgentiam' 'Dom. Nost. Jesus Christ.' etc.*

27. Breviter de censuris in specie.

1°. *De Excommunicatione.* Excommunicatio est 'censura ecclesiastica, qua homo Christianus a communione fidelium, et bonis spiritualibus quæ fideles inter se communicant excluditur'. Alia est *major* alia *minor*. Major est qua homo Christianus totaliter a communione fidelium excluditur. Hæc, si solemnitatibus adhibitis, infligatur ad terrorem aliorum, et præsertim quando rei emendationis spes non affulgeat solet appellari anathema. Dum hoc infligitur 12 Presbyteri debent assistere Episcopo et lucernas ardentes in manibus tenere, quas post pronunciatam decreti formulam, seu sententiam projiciunt et pedibus proculcant simulque maledictiones pronunciantur ad indicandam execrationem personæ in delictis suis inique contumacis.

28. Quæritur quinam sint effectus excommunicationis majoris.

Resp. alios esse remotos, alios proximos. Remoti sunt 1°. Irregularitas, si violetur, exercendo ordines.

2°. Suspicio de hæresi, si quis per annum insorduerit in ea, idest non curaverit absolvi.

3°. Privatio beneficiorum post triennium ex sententia judicis condemnatoria.

Effectus proximi sunt 1. privatio sacramentorum, active et passive; 2. divinorum officiorum; 3. suffragiorum Ecclesiæ; 4. sepulturæ ecclesiasticæ; 5. inhabilitas ad beneficia; 6. privatio jurisdictionis ecclesiasticæ; 7. communionis forensis; 8. societatis civilis, quæ solos vitandos respicit.

Quoad privationem sacramentorum activam, nota in casu extremæ necessitatis peti posse etiam a vitando, baptisma, pœnitentiam, eucharistiam et extremam unctionem.

Quoad privationem jurisdictionis, nota quod actus excommunicati tolerati sustinentur nisi ei objiciatur exceptio excommunicationis; idem est de actibus forensibus.

29. Minor est qua homo christianus separatur a communione ceterorum fidelium solummodo quoad usum passivum sacramentorum et privatur voce passiva in electione.

30. Contrahitur vero ob communicationem illicitam cum excommunicatis nominatim, vel cum notoriis percussoribus clericorum. *Const. Mart. V. 'Ad evitanda'.* Hæc excommunicatio in foro interno absolvi potest a quolibet sacerdote approbato ad confessiones excipiendas. In foro autem externo absolutio concedenda est ab eo qui facultatem habet. Porro cum vitandis communicare non licet per verba, litteras, salutationem, convivia, contractus, neque orationibus in sacrificio Missæ, in sacramentis.

31. Extra divina licet communicare cum excommunicatis vitandis, si una ex rationibus verificetur in versiculo expressis *'utile, lex, humilis, res ignorata, necesse'. Utilitas* temporalis et spiritualis, tum excommunicati tum communicantis. *Lex* matrimonialis vinculi vi cujus conjux innocens potest cum excommunicato vitando omnem habere communicationem, quemadmodum ante excommunicationem habebat, debita obedientia filiorum erga parentes, subditorum erga Superiorem et viceversa. *Ignorantia* sive juris sive facti. *Necessitas* quæcumque sive animæ, sive corporis, sive famæ, sive fortunæ, sive excommunicati, sive communicantis, sive etiam tertii.

32. An adhuc vigeat excommunicatio minor.

Affirmativa sententia ab aliquibus tenebatur sed negativa prævaluit quæ eo innititur quod Bulla *'Apostolicæ Sedis'* simpliciter asserat se recensere omnes censuras latæ sententiæ, ideoque cum nullam mentionem faciat excommunicationis minoris, censenda est per præteritionem abrogata. Et hæc sententia recepta est apud Supremum Tribunal S. O. Romanæ et Universalis inquisitionis. Nam die 10. Dec. 1883 proposito dubio 'An hæc sententia (docens excommunicationem minorem vi Const. *'Apostolicæ Sedis'* abolitam esse) tuto doceri possit in Seminario', responsum est affirmative. Ideoque in praxi tenendum est excommunicationem minorem esse abolitam. Vide *Acta S. Sedis vol. XVII. fasc. XI. pag. 556.*

33. II°. *De suspensione.* Suspensio est 'censura Clericum privans usu potestatis, vel juris ecclesiastici'. Alia est ab *officio,* seu *ordine* et *ministerio,* alia est a *beneficio,* alia est ab *utroque.* Potest vero una ab alia separari, ita ut una non secumferat necessario aliam. Si suspensio feratur a judice per modum censuræ, contra contumacem, requiritur monitio. *Arg. cap. 'Reprehensibilis' De Appell. et Abbas. ibid. n. 5.*

34. III°. *De interdicto.* Interdictum est 'censura privans usu omnium divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum, ac sepulturæ ecclesiasticæ'. Dixi aliquorum sacramentorum. Nam tempore interdicti administrari possunt Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Pœnitentiæ. Prohibetur etiam benedictio nuptialis, licet matrimonium contrahi possit. Administratur etiam Eucharistia ægrotis et extrema unctio infirmis. *Cap. 11. 'Quod in re' 'De Pœnitentiis'.* Interdictum est aliud *locale,* quod scilicet directe locum afficit, aliud est *personale,* quod scilicet directe afficit personas, aliud *mixtum*, quod scilicet personas et loca afficit. Aliud est *generale locale,* quod nempe vel integram civitatem, vel integrum regnum respicit; aliud *locale speciale* quod nempe unum locum ex. gr. templum respicit; aliud *personale generale,* quod afficit omnes personas unius communitatis; aliud *personale speciale* quod afficit unam vel aliquas determinatas personas; aliud *totale* quo interdicitur usus omnium bonorum spiritualium de quibus in definitione, aliud *partiale* quo prohibetur usus tantum unius vel alterius rei, ex. gr. ingressus in Ecclesiam.

35. A lege generalis interdicti excipiuntur Dies Natalis Domini, Paschatis, Pentecostis, Assumptionis B. M. Virginis. *Cap. 'Alma mater' h. t. in VI.* Et hæc suspensio interdicti a Martino V. et Eugenio IV. concessa est etiam quoad totam Octavam Corporis Christi.

36. Interdicto affinis est cessatio a divinis, quæ tamen non est censura, sed prohibitio facta Clericis ut abstineant ab officiis divinis, ab administratione sacramentorum, et ab ecclesiastica sepultura in loco determinato.

Alia est a jure, alia ab homine; prima existit ipso facto cum Ecclesia polluitur vel execratur, altera fertur ab habente jurisdictionem in foro externo.

Imprimatur
pro IV. et V. Decret.

Fr. Augustinus Bausa Ord. Præd.
S. P. A. Magister.

Index rerum.

Titulus I.

De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.

pag. 5—12.

1. Objectum hujus libri.
2. Accusatio quid?
3. Ejus requisita.
4. Denunciatio quid?
5. Inquisitio.
6. Generalis, specialis, specialissima.
7. Quinam accusare regulariter prohibeantur.
8. Crimina excepta.
9. Qui accusare, et judicialiter denuntiare prohibentur.
10. Quando judex inquirere valeat.

De modo procedendi extrajudicialiter, ex informata conscientia.

11. Jus concessum a Tridentino.
12. Episcopus hoc jure utens, non tenetur manifestare motiva suæ sententiæ, neque ab ea datur appellatio nisi in devolutivo ad S. Sedem.
13. Lex Tridentina complectitur et arctatos ad ordines; sed tunc non susceptio ordinum, eis non nocet.
14. Tamen nequit applicari ob crimen publicum.
15. Jus Decretalium pro Clericis sæcularibus et regularibus.
16. Tridentinum extendit ad Clericos sæculares jus jam constitutum pro regularibus, pro delictis occultis tantum.
17. Analogæ declarationes S. C. C.
18. Quandonam crimen dicatur occultum.
19. Suspensio lata ex informata conscientia est censura, et ejus violatio importat irregularitatem, etsi interposita sit appellatio ad S. Sedem, vel lata sit ex falso supposito.
20. E contra, si lata pro crimine publico, quia invalida.
21. Ex informata conscientia Episcopus suspendere potest etiam ab officio.
22. Item et a beneficio.

Titulus II.

De calumniatoribus.

pag. 12—13.

1. Quid calumnia.
2. Pœnæ antiquæ et recentes contra calumniatores.
3. Calumnia præsumitur in accusatore vel denunciatore, qui deficit in probando; sed admittitur purgatio calumniæ.
4. Pœnæ in injuste accusantes confessarios de sollicitatione.

Titulus III.

De simonia. pag. 13—38.

1. Simonia dicta est et hæresis.
2. Definitur.
3. Pretium triplex.
4. Non admittit parvitatem materiæ.
5. Sed parvitas relativa materiæ aliquando excludit animum simoniacum.

Divisio simoniæ.

6. I. Juris divini et ecclesiastici.
7. Hujus præcipuæ species.
8. IIª. Divisio simonia mentalis.
9. Conventionalis.
10. Realis.
11. Confidentialis.
12. Hæc in beneficiis habetur præsertim Iº. per accessum.
13. IIº. per ingressum.
14. IIIº. per regressum.

De pœnis contra simoniacos.

15. Pœnæ sunt contra realem et confidentialem.
16. Et in electione Pontificis etiam contra conventionalem.
17. Speciatim Iº. in collatione ordinum.
18. Antiquæ censuræ, quæ non continentur in Const. Apostolicæ Sedis, non vigent quamvis verbis generalibus renovatæ in Concilio Tridentino.

    Prob. 1º. ex scopo Summi Pont. Pii IX., limitandi censuras.
19. Confirmatur ex S. C. C.
20. Prob. 2º. ex eo quod Pius IX. confirmet censuras a Tridentino latas.
21. Prob. 3º. ex censura contra simoniam realem in beneficiorum collatione.
22. II. De simonia in collatione beneficiorum. Iº. Collatio est ipso jure nulla.
23. Nocet etsi admittatur a tertia persona, nisi expresse contradicatur, vel in fraudem commissa sit.
24. IIª. pœna est perpetua inhabilitas ad illud beneficium.
25. IIIª. est inhabilitas ad quælibet beneficia post sententiam declaratoriam.
26. IVª. est privatio ceterorum beneficiorum, ex sententia Judicis.
27. Vª. depositio.
28. VIª. Excommunicatio.
29. VIIª. non prodest regula Cancellariæ Apostolicæ, de triennali possessione.
30. Excipe quando admissa a tertia persona, nobis ignorantibus.
31. Excepta prima pœna, ceteræ non incurruntur ab ignorante simoniam admissam a tertia persona.
32. Quoties temporale datur ex pacto, adest simonia.
33. Item si ut motivum.
34. Item titulo gratuitæ compensationis.
35. Secus si post factum, ex mera gratitudine.
36. Simonia in resignatione beneficiorum.
37. Item in permutatione.
38. Speciatim de redimenda injusta vexatione.
39. Licet cum jus plene quæsitum est.
40. Speciatim de regio exequatur.
41. Ejus injustitia.
42. In genere non licet morem gerere guberniis.
43. Sed ad mala majora præcavenda, toleratur.
44. Sed difficilius pro Episcopis.
45. De vexa redimenda quoad primam vel plenam acquisitionem juris spiritualis.
46. In actu collegiali simonia unius inficit integrum actum.

47. Non licet vexam redimere quando ordinem dicit ad ipsam primam vel plenam assecutionem juris spiritualis.
48. Idest cum redimitur vexa relate ad eos qui non modo obesse sed et prodesse possunt.
49. Secus si tantum obesse injuste.
50. Est enim etiam justa defensio.

De pœnis contra simoniam confidentialem.

51. 1°. Excommunicatio.
52. 2°. Privatio omnium beneficiorum et pensionum.
53. 3°. Inhabilitas ad quælibet beneficia.
54. 4°. Beneficium fit reservatum S. Sedi.

De simonia ob ingressum in religionem.

55. Admissio ad religionem fieri debet gratis.
56. Sed titulo extrinseco potest aliquid temporalis exigi.
57. I°. titulo sustentationis novitii.
58. Per se hic titulus porrigi posset et ad tempus post professionem.
59. Sed jure ecclesiastico prohibetur pro monasteriis virorum.
60. Quoad moniales admittitur titulus dotis.
61. Pœnæ contra simoniam in admissione ad religionem.

De simonia in administratione sacramentorum, sacramentalium et aliis actibus ministerii ecclesiastici.

62. I°. Licet aliquid accipere titulo honestæ sustentationis, seu stipendii.
63. Etiam a Clericis aliter provisis.
64. Tamen ministerium ecclesiasticum præstandum est absque pacto stipendii.
65. Tamen Episcopus debet compellere fideles ad laudabiles consuetudines servandas.
66. II°. Licet aliquid temporalis accipere titulo laboris extrinseci, dummodo alias non debiti.

De restitutione facienda in materia simoniæ.

67. Restitutio beneficii vel juris beneficia afficientis facienda est ante quamlibet sententiam.
68. Restitutio rei temporalis simoniace acceptæ in beneficiis, facienda est Ecclesiæ respectivæ, ante sententiam.
69. In ceteris casibus, certo restituenda est, si læsa justitia.
70. Secus, non.

De judicio in materia simoniæ.

71. Est crimen exceptum.
72. Suspectus de hoc crimine impeditur ab ulterioribus juribus acquirendis.

Titulus IV.

Ne Prælati vices suas, seu Ecclesias, sub annuo censu concedant. pag. 38—39.

1. Connexio tituli.
2. Pœnæ in contravenientes.
3. In beneficiis pleno jure conjunctis vicario adsignatur congrua.
4. Fructus beneficii locari possunt.
5. Pensio constituta in signum antiquæ subjectionis.

Titulus V.

De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi. pag. 39—46.

I°. De Magistris.

1. De antiquo Magistro grammaticæ.
2. De Seminariis.
3. De magistro theologo.
4. Canonicus theologus.

5. Ejus electio.
6. Ejus officium.
7. Alicubi admissum fuit eum explicare theologiam dogmaticam vel moralem in Seminario, vel præesse conventibus Cleri pro casibus theologiæ moralis.
8. Sed Gregorius XVI. primitivum ejus officium sacræ scripturæ explicativæ inculcavit.
9. Resolutiones quasi uniformes S. C. C.
10. Exceptio ex licentia S. Sedis.
11. Si Canonicus Theologus non sit idoneus ad legendum, potest et debet ponere substitutum.
12. Si idoneus, ex mente Tridentini tenetur legere per se; sed ex rigore juris non repugnat legere per substitutum.
13. Verum locus est prudenti Episcopi arbitrio.
14. Jura Canonici Theologi. Non est dignitas aut personatus, sed officium.
15. Diebus quibus legit dispensatur a choro, et lucratur distributiones.
16. Iis exceptis, quibus obstat testatorum voluntas.
17. Idem est si legat in scholis legitime.
18. Indultum a choro, concessum docentibus theologiam et discentibus.
19. Confirmavit Tridentinum.
20. Ex Declarationibus S. C. C. extenditur ad docentes Jus Canonicum aut Civile.

IIa. pars tituli Ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

21. Antiqui abusus.
22. Consequens dispositio tituli.
23. Sed consuetudo temperavit.
24. Attendenda statuta particularia.
25. Favendi pauperes.

Titulus VI.

De Judæis et Saracenis et eorum servis. pag. 47—50.

1. Connexio tituli.

De Judæis.

2. Prava ipsorum indoles.
3. Prohibita Hebræis cohabitatio cum christianis et habitus identitas.
4. Sed concessa iis libertas cultus, legum, laudabilium consuetudinum, et cœmeterii.
5. Onera et limitationes.
6. Protectio Hebræis conversis debita.

De Saracenis.

7. Justitia bellorum sacrorum contra saracenos.
8. Leges latæ circa communicationem et commercium cum saracenis.

Titulus VII.

De Hæreticis. pag. 50—63.

1. Definitio hæresis.
2. Pertinacia necessaria.
3. Quotuplex hæresis; 1°. materialis, et formalis.
4. 2°. Formalis interna et externa.
5. 3°. Externa occulta et publica.
6. 4°. Tolerata et non tolerata (divisio civilis).
7. Pœnæ contra hæreticos. Tantum contra externam credentes, receptores, defensores et fautores.
8. Pœnæ aliæ spirituales, aliæ temporales.
9. I°. Pœnæ spirituales; 1°. Excommunicatio latæ sententiæ, reservata Papæ.
10. 2°. Irregularitas.
11. 3°. Inhabilitas ad beneficia et officia.

12. 4°. Privatio beneficiorum et officiorum.
13. 5°. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ.
14. II°. Pœnæ temporales quæ olim vigebant.
15. Speciatim de solutione juramenti et fidelitatis erga principes hæreticos.
16. 1°. Explicatio theologica, I°. ratione juramenti.
17. II°. Ex natura societatis catholicæ.
18. Sicut Ecclesia est infallibilis in principiis moralitatis statuendis, ita est auctoritativa in eis applicandis.
19. Utilitas interventus Ecclesiæ.
20. 2°. Explicatio historica.
21. Ecclesia protegebat non modo populos sed et principes.
22. Jure publico dirimebat quoque quæstiones internationales.
23. De Judice criminis hæresis. Est tantum Judex ecclesiasticus.
24. Episcopus est Judex ordinarius in sua diœcesi.
25. Item Vicarius Capitularis, in non exemptos.
26. Inquisitores delegati a S. Sede.
27. De prohibitione librorum.
28. Tres classes.
29. 1°. Libri hæreticorum.
30. 2°. Mali libri catholicorum, et 3°. anonymi.
31. et 34. Speciatim de imprimentibus.
32. Item de legentibus.
33. De retinentibus.
35. Defendentes.
36. De prohibitis donec corrigantur.

De communicatione et disputatione cum hæreticis.

37. Antiqua disciplina et mitigatio Martini V.
38. Prohibitiones speciales pro Urbe.
39. Disputatio de jure est prohibita laicis.
40. Sed non Clericis.
41. Prædicatio autem exigit specialem deputationem.

Titulus VIII.

De Schismaticis et ordinatis ab eis. pag. 63—64.

1. Schisma rumpit unitatem communionis et regiminis in Ecclesia.
2. Schisma purum, seu disjunctum ab hæresi.
3. Schisma non purum.
4. Pœnæ contra schismaticos puros.
5. Quo sensu schismaticorum ordinationes dicantur vacuæ.
6. Pœnæ contra schismaticos non puros.

Titulus IX.

De Apostatis et reiterantibus Baptisma. pag. 65—67.

1. Quid apostata theologice.
2. Canonice triplex apostasia.
3. Pœnæ contra apostatas a fide.
4. Pœnæ contra apostatas a statu religioso.
5. Pœnæ contra apostatas ab ordine sacro.
6. Pœnæ contra reiterantes baptisma.
7. Conditiones ad has pœnas incurrendas.

Titulus X.

De his qui filios occiderunt. pag. 67—69.

1. Quid parricidium.
2. Pœnæ parricidii.
3. De abortu.
4. Constitutio Sixti V.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

5. Constitutio Gregorii XIV. Pœnæ.
6. Pœnæ speciales contra Clericos.
7. Executio talium pœnarum et relaxatio.
8. Censura lata a Pio IX.
9. De parentibus suffocantibus culpabiliter filios in lecto.

Titulus XI.

De infantibus et languidis expositis. pag. 69—70.

1. Quinam dicantur expositi.
2. Quando liceat exponere infantes et languidos.
3. Pœnæ, quando delictuose exponuntur.
4. Conditio expositorum infantium.

Titulus XII.

De homicidio voluntario et casuali. pag. 70—75.

1. Consideratur homicidium in ordine ad pœnas spirituales, præsertim ad irregularitatem.
2. Divisio.
3. De homicidio publico; 1°. in bello injusto.
4. 2°. In bello justo aggressivo.
5. 3°. In bello justo defensivo.
6. 4°. Inferendo pœnam sanguinis.
7. Speciatim de accusatore et denuntiatore.
8. Item de concurrentibus privatim et remote, atque de legislatoribus.
9. De homicidio privato; 1°. de necessario.
10. 2°. de doloso aut graviter culposo.
11. In dubio facti contrahitur irregularitas.
12. Non autem si culpa fuerit levis, attendendo operi licito.
13. 3°. de homicidio fortuito dando operam rei licitæ.
14. De eodem vacando operi illicito, sed de se non connexo cum periculo necis inferendæ.
15. De eodem, cum opus illicitum habet periculum necis inferendæ.
16. Irregularitas non sequitur ex mero vulnere.
17. Bene vero ex mutilatione.
18. Quoad dispensationem ab irregularitate, servandum jus Tridentinum.
19. Speciatim de dispensatione ab irregularitate ex mutilatione occulta.

Titulus XIII.

De torneamentis. pag. 75—76.

1. Primo prohibita fuere ob cædes.
2. Sed Joannes XXII. permisit, dummodo innocuis armis.
3. Prohibitæ et agitationes taurorum et aliarum bestiarum a S. Pio V.
4. Sed Gregorius XIII. relaxavit quoad laicos et milites regulares.
5. Et Clemens VIII. etiam quoad Clericos sæculares assistentes.
6. Et bulla Apostolicæ Sedis silet et quoad regulares.

Titulus XIV.

De Clericis pugnantibus in duello. pag. 76—77.

1. Duelli definitio et pœnæ.
2. Tridentini dispositio.
3. Constitutio Gregorii XIII.
4. Constitutio Clementis VIII.
5. Constitutio Benedicti XIV.
6. Constitutio Pii IX.

Titulus XV.

De sagittariis. pag. 77.

1. Antiqua disciplina.
2. Recens disciplina.

Titulus XVI.

De adulteriis et stupro. pag. 78—83.

1. Adulterium quid et quotuplex.
2. Pœnæ.
3. Quinam actionem instituere valeat.
4. Quis judicet.
5. Quænam probationes admittantur.
6. De stupro.
7. Simplex defloratio.
8. Pœnæ stupri.
9. De ceteris peccatis completis contra 6m. præceptum.
10. De fornicatione.
11. De concubinatu.
12. De incestu.
13. De sacrilegio.
14. De peccatis contra naturam.

Titulus XVII.

De raptoribus et incendiariis et violatoribus ecclesiarum. pag. 83—85.

1. Raptores personarum libidinis causa.
2. Raptores rerum.
3. Incendiarii.
4. Violatores Ecclesiarum.

Titulus XVIII.

De furtis. pag. 85—86.

1. Furtum necessitatis.
2. Furtum hominis.
3. Pœnæ in Clericos fures.
4. Difficultas theologica ex cap. 2. h. t.
5. Confessio non sacramentalis aliquando commissa diaconis.

Titulus XIX.

De usuris. pag. 86—95.

1. Lato sensu et stricto.
2. An liceant titulo intrinseco vi mutui.
3. Jure romano prohibebantur, sed ex pacto poterant constitui.
4. Jure naturæ quidam affirmaverunt licere.
5. Sed verius et communius negatur.
6. Jure divino positivo, attenta ecclesiastica traditione, dicendæ sunt prohibitæ.
7. Omnino autem vetantur jure ecclesiastico.
8. Sed licere possunt titulo extrinseco.
9. 1°. Lucri cessantis.
10. 2°. Damni emergentis.
11. 3°. Periculi sortis.
12. Neque obstat cap. ult. h. t.
13. 4°. Pœnæ conventionalis, ob moram in solvendo.
14. 5°. Titulo legis civilis.
15. Quidam negaverunt legitimitatem hujus tituli.
16. Sed affirmanda est.
17. Præcipue ex immutata societatis conditione.
18. Favorabiles resolutiones S. Sedis.
19. Quæ et futurum tempus respiciunt.
20. An taxa civilis possit augeri?
21. An abolita taxa civili, permitti possit privatis eamdem constituere.
22. Affirmatur.

De pœnis contra usurarios constitutis.

23. Incurruntur tantum a manifestis usurariis.
24. Enumerantur.

Titulus XX.

De crimine falsi.

pag. 95—97.

1. Quid crimen falsi?
2. I°. Committitur dicto.
3. II°. Scripto.
4. In specie de falsificatione litterarum apostolicarum.
5. III°. Committitur facto.
6. IV°. Usu.

Titulus XXI.

De sortilegiis.

pag. 97—98.

1. Definitio.
2. Sortes divisoriæ.
3. Consultoriæ.
4. Divinatoriæ.

Titulus XXII.

De collusione detegenda.

pag. 98—99.

1. In beneficiis.
2. Inter accusatorem et reum.
3. Judicium renovatur.

Titulus XXIII.

De delictis puerorum.

pag. 99.

1. Impuberes.
2. Infantes.
3. Puberes sed minores.

Titulus XXIV.

De clerico venatore.

pag. 99—100.

1. Frequens venatio antiquitus prohibita.
2. Nunc prohibetur clamorosa.
3. Pœna nunc est arbitraria.
4. Quieta venatio per se permittitur.

Titulus XXV.

De Clerico percussore.

pag. 100—101.

1. Percussio specialiter Clericis prohibita.
2. Sed correctionis causa et moderata licet, Episcopis exceptis.
3. Pœnæ.

Titulus XXVI.

De maledicis.

pag. 101—102.

1. Variæ species.
2. Maledicus contra Prælatos in detrimentum officii ac dignitatis.
3. Maledicus contra privatos.
4. Libelli famosi.
5. Blasphemi.

Titulus XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

pag. 102—104.

1. Depositus qui adhuc ministret excommunicandus est, et si adhuc ministret tradendus brachio sæculari, præsertim ut exilio mulctetur.
2. Censuratus violans censuras, præsertim fit irregularis.
3. Etsi exerceat ordinem minorem.
4. Requisita ad incurrendam irregularitatem.
5. Speciatim de celebrantibus in loco interdicto.

Titulus XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante. pag. 104.

1. Pœnæ; excommunicatio ferendæ sententiæ.
2. Irregularitas limitata.

3. Pœnæ speciales contra Clericos non presbyteros, missam celebrantes aut confessiones excipientes.
4. Pœnæ contra laicos exercentes ordines.

Titulus XXIX.

De Clerico per saltum promoto. pag. 105.

1. Ejus ordinatio est valida, excepto episcopatu absque presbyteratu.
2. Pœnæ.

Titulus XXX.

De eo qui furtive ordinem suscepit. pag. 105—106.

1. Pœnæ.
2. An et quando talis ordinatio sit valida.

Titulus XXXI.

De excessibus Prælatorum et Subditorum. p. 106—107.

1. Episcoporum — imponendo injustas exactiones, censuras etc.
2. Lædendo privilegia Prælatorum inferiorum.
3. Sibi beneficia conferendo.
4. Beneficia conferendo indignis.
5. Regularium privilegia lædendo.
6. Excessus Prælatorum inferiorum.
7. Excessus subditorum.

Titulus XXXII.

De novi operis nunciatione. pag. 107—108.

1. Ubi jus canonicum silet, supplendum jure civili.
2. Applicatio rubricæ tituli.

Titulus XXXIII.

De privilegiis et excessibus Privilegiatorum. p. 108—112.

1. Privilegii definitio.
2. 1ª. divisio, in clausa in corpore juris, et procedentia ex Rescripto.
3. 2ª. divisio, in realia, personalia et mixta.
4. Quibus modis acquirantur privilegia.
5. 1°. Concessione. Vivæ vocis oraculum sufficit pro foro interno.
6. Pro foro externo requiritur authenticum documentum.
7. Ex stylo Curiæ et regulis Cancellariæ, non est judicandum juxta tenorem litterarum informium.
8. 2°. Acquiruntur communicatione.
9. 3°. Consuetudine seu præscriptione.
10. Quomodo cessent privilegia. 1°. Interitu personæ vel rei, non autem concedentis, nisi sint ad ejus beneplacitum.
11. 2°. Renuntiatione expressa, dummodo sit in favorem privatum.
12. 3°. Renuntiatione tacita, idest non-usu.
13. In mere facultativis non sufficit simplex non-usus, nisi alia adsint adminicula.
14. Privilegia tertio onerosa, probabiliter cessant non-usu longi temporis.
15. Dummodo adfuerit occasio eadem exercendi, et nullum impedimentum.
16. 4°. Cessant abusu.
17. 5°. Cessant, si usus fiat illicitus.
18. 6°. Cessant revocatione.

Titulus XXXIV. et XXXV.

De purgatione canonica et vulgari. pag. 112—113.

1. Quid purgatio in genere.
2. Purgatio canonica et vulgaris.
3. Diversæ species purgationis canonicæ.
4. Præsertim per juramentum.
5. Purgationis vulgaris plures species.

Titulus XXXVI.

De injuriis et damno dato.

pag. 113—114.

1. Quid injuria in sensu tituli.
2. Injuria verbalis et realis.
3. Actio injuriarum.
4. Quomodo cesset.
5. De damno illato.
6. Ejus reparatio.

Titulus XXXVII.

De pœnis.

pag. 114—117.

1. Differentiæ inter pœnas, pœnitentias et censuras.
2. Definitio pœnæ.
3. Pœnæ proprie canonicæ; 1°. Inhabilitas.
4. 2°. Privatio beneficiorum; regulariter requirit sententiam judicis.
5. 3°. Depositio.
6. 4°. Degradatio.
7. 5°. Infamia; alia juris, alia facti.
8. Differentiæ inter infamiam juris et facti.
9. 6°. Irregularitas ex delicto.

Titulus XXXVIII.

De pœnitentiis et remissionibus.

pag. 117—118.

1. Definitio pœnitentiæ.
2. Sacramentalis seu privata.
3. Publica, canonica vel non.
4. Præceptum annuæ confessionis et communionis.
5. Obligatio medicorum quoad infirmos, jure Decretalium.
6. Item ex constit. S. Pii V.
7. Item ex Synodo Romana sub Benedicto XIII.

Titulus XXXIX.

De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti.

pag. 118—128.

1. Definitio Censuræ.
2. Quis inferat censuras.
3. Requisita 1°. delictum externum grave, generatim loquendo.
4. 2°. Requiritur contumacia.
5. Excusant a censura, 1°. ignorantia tum juris tum facti, invicibilis.
6. Immo et supina ac crassa, si censura lata sit in eos qui scienter vel ausu temerario procedunt.
7. Et tunc probabiliter excusat etiam ignorantia affectata.
8. 2°. Excusat metus gravis.
9. 3°. in foro externo excusat persuasio propriæ innocentiæ.
10. Excusatur quis et in foro externo, quando sententia sit irrita vel ex defectu jurisdictionis, vel ex causa notorie falsa et injusta.
11. Vel ex defectu substantialis formæ.
12. Censura ab homine et a jure.
13. Ferendæ vel latæ sententiæ.
14. Quando necessaria monitio.
15. Monitio oportet sit triplex, et in scriptis.
16. Exceptio.
17. Quibus infligi possint censuræ.
18. Quid de peregrinis.
19. De Regibus et Episcopis.
20. Quinam absolvere valeant a censuris.
21. Quid de censuris generalibus non reservatis?
22. Speciatim de censuris reservatis.
23. De reservatis speciali modo Papæ.
24. De reservatis sed occultis.
25. Quando adest impedimentum adeundi S. Sedem.
26. Adnotanda.

De censuris in specie. I°. De Excommunicatione.

27. Definitio et divisio in majorem et minorem.
28. Effectus excommunicationis majoris.
29. Speciatim de minori.
30. Vitandi et tolerati.
31. Quæ excusent a communicatione cum vitandis.
32. An excommunicatio minor adhuc vigeat?

II°. De suspensione.

33. Quid et quotuplex.

III°. De interdicto.

34. Quid et quotuplex.
35. Dies excepti ab interdicto generali.
36. Cessatio a divinis.

Index titulorum.

Titulus.		Pag.
I.	De accusationibus, inquisitionibus, et denunciationibus	5
	De modo procedendi extrajudicialiter, ex informata conscientia	8
II.	De calumniatoribus	12
III.	De simonia	13
	De divisione simoniæ	16
	De pœnis statutis contra simoniam	19
	De pœnis contra simoniam confidentialem	31
	De simonia in ingressu ordinis religiosi	32
	De simonia in administratione sacramentorum, sacramentalium et actuum muneris sacri	34
	De restitutione facienda in materia simoniæ	36
	De judicio in materia simoniæ	37
IV.	Ne prælati vices suas seu Ecclesias sub annuo censu concedant	38
V.	De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi	39
	De magistro Theologiæ	40
	De modo electionis Canonici Theologi	41
	De officio Canonici Theologi	—
	De juribus Canonici Theologi	44
	Ne aliquid exigatur pro licentia docendi	45
VI.	De Judæis, Saracenis et eorum servis	47
	De Judæis	—
	De Saracenis	49
VII.	De Hæreticis	50
	Quotuplex sit hæresis	51
	De pœnis contra hæreses statutis	52
	De pœnis spiritualibus	53
	De pœnis temporalibus	54

Titulus.		Pag.
	De prohibitione librorum	58
	De communicatione et disputatione cum hæreticis	61
VIII.	De Schismaticis et ordinatis ab eis	63
	De pœnis contra Schismaticos	—
IX.	De Apostatis et reiterantibus baptisma	65
	De Apostatis	—
	De pœnis contra Apostatas	—
	De reiterantibus baptisma	66
X.	De his qui filios occiderunt	67
	De parricidis	—
	De procuratione abortus	—
XI.	De infantibus et languidis expositis	69
XII.	De homicidio voluntario et casuali	70
	De homicidio publico	71
	De homicidio publico quod ex publica auctoritate completur	—
	De homicidio voluntario	72
XIII.	De torneamentis	75
XIV.	De Clericis pugnantibus in duello	76
XV.	De sagittariis	77
XVI.	De adulteriis et stupro	78
	De adulterio	—
	De stupro	80
	De fornicatione	81
	De concubinatu	—
	De incestu	82
	De sacrilegio	—
	De criminibus contra naturam	—
XVII.	De raptoribus, incendiariis et violatoribus ecclesiarum	83
	De raptoribus	—
	De incendiariis	84
	De violatoribus Ecclesiarum	—
XVIII.	De furtis	85
XIX.	De usuris	86
	De titulo legis civilis	91
	De pœnis contra usurarios statutis	94
XX.	De crimine falsi	95
XXI.	De sortilegiis	97
XXII.	De collusione detegenda	98

XXIII. De delictis puerorum 99
XXIV. De Clerico venatore . . . . . —
XXV. De Clerico percussore 100
XXVI. De maledicis 101
XXVII. De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante 102
XXVIII. De Clerico non ordinato ministrante 104
XXIX. De Clerico per saltum promoto 105
XXX. De eo qui furtive ordinem suscepit . . . . . —
XXXI. De excessibus Prælatorum et Subditorum 106
XXXII. De novi operis nunciatione 107
XXXIII. De privilegiis et excessibus privilegiatorum 108
XXXIV. et XXXV. De purgatione canonica et vulgari . . . 112
XXXVI. De injuriis et damno dato 113
XXXVII. De pœnis 114
XXXVIII. De pœnitentiis et remissionibus 117
XXXIX. De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti . 118

Index alphabeticus.

Primus numerus romanus indicat librum Decretalium; secundus romanus, titulum; tertius, arabicus, est numerus marginalis. Liber et titulus subintelliguntur iidem si alias non notatur.

Abbas, V. Prælatus, et officium judicis ordinarii.
Abortus, V. X. 3. et sqq.
Abrogatio, I. II. 40.
Acatholici, quoad legem Tridentinam matrimonii, IV. III. 59. et seqq.
Accusatio, V. I. — contra matrimonium, IV. XVIII.
Actor, II. I. 3. 15. et sqq.
Actus interni an cadant sub lege, I. II. 13. et sqq. — præteriti, 17. et sqq.
Adulterium, ut impedimentum matrimonii, IV. VII. — ut delictum, V. XVI.
Aegrotans, III. VI.
Aetas præficiendorum, I. XIV.
Affectio, papalis, III. V. 54.
Affinitas illicita, IV. XIII.
Affinitas licita, IV. XIV. 14. et sqq.
Alienatio bonorum Ecclesiæ, III. XIII. — facta a Guberniis XVII. 25. et sqq. — judicii mutandi causa, I. XLII.
Allegationes partium, I. Proleg. 17.
Aperitio oris, II. XXX. 11.
Apostatæ, V. IX. — a religione, III. XXXI. 46.
Apostoli libelli, II. XXVIII. 20. et sqq.
Appellatio, II. XXVIII.
Approbatio in forma communi, et in forma speciali, I. XXXI. 159. 160.
Arbitri, I. XLIII.
Archidiaconus, I. XXIII.
Archiepiscopi, I. XXXI. 9. 152.
Archipresbyter, I. XXIV.
Assertio Papæ, II. XIX. 33. et sqq.
Attentata, pendente appellatione, II. XXVIII. 46. et seqq.
Attestationes, II. XX.
Auctorizabilis institutio, III. VII. 19. et sqq.

Baptismus, III. XLII. — ejus reiteratio, V. IX. 6.
Benedictio Ecclesiæ, III. XL. 2. 3.
Beneficium, III. V. 1. et sqq.; — perpetuitas 6. — manuale 7. — erectio 9. 38. et sqq. — divisio, 14. collatio 41. et sqq. — reservatio 48. et sqq. — affectio, 54. — pluralitas et incompatibilitas 76. et sqq. — unio 89. et sqq. — divisio, 100. et sqq. — dismembratio 103. — tempus ad conferendum beneficium, VIII. 20. et sqq. — sine diminutione conferendum, XII.
Bigamia, et ejus pœnæ, I. XXI.
Bona Ecclesiæ alienanda vel non III. XIII. — alienata a Guberniis XVII. 25. et sqq.

Cœmeterii immunitas, III. XLIX.
Calumniæ juramentum, II. VII.
Calumniator, V. II.
Camera spoliorum, III. XXVI. 32. et sqq.
Canonia, III. V. 5. 23.

Canonici, residentia, III. IV. 54. — distributiones, 80. — honorarii, V. 24. VIII. 14. et sqq.
Canonicus theologus, V. V. 4. et sqq.
Capellania laicalis, III. V. 10. — ecclesiastica, 30.
Capellæ Monachorum, III. XXXVII.
Capituli consensus vel consilium quando requiratur, III. X. — major pars, XI.
Cardinales — residentia III. IV. 38. — I. XXXI. 13. et sqq.
Cathedraticum, III. XXXIX. 6.
Causa, II. I. 4. — summaria, 13. — spiritualis, II. II. 6. — mixta, 7. — criminalis, VI. 10. — possessionis et proprietatis, II. XII. — Clericorum œconomice expedita, appendix lib. II.
Causæ matrimoniales, exclusive spectant ad forum Ecclesiæ, IV. I. 97. et sqq. XVIII. 7. et sqq.
Cautio, III. XXI. 11. 12.
Celebratio Missarum, III. XLI.
Censura, V. XXXIX.
Census, III. XXXIX.
Cessatio legis, I. II. 39. et sqq. — Rescripti, I. III. 32. et sqq.
Chrismatis custodia, III. XLIV.
Citatio, II. III. 4. et sqq. — edictalis, VI. 8. 9.
Civile matrimonium, IV. III. 49.
Civilis potestas quoad matrimonium, IV. I. 107. et sqq.
Clandestina desponsatio, IV. III.
Clausura mulierum III. XXXV. 17. et sqq. — virorum, 28. et sqq.
Clementinæ, I. Proleg. 10.
Clerici — qui, III. I. 1. et sqq. — ipsorum vitæ honestas 6. et sqq. — vestes 26. et sqq. — amissio privilegiorum, 32. et sqq. — artes eis prohibitæ, 39. et sqq. — cohabitatio cum mulieribus, III. II. 1. et sqq. — peculium, XXV, — Ne sæcularibus negotiis sese immisceant, L. — quoad matrimonium, IV. VI.
Clerici concubinarii, III. II. 5. et sqq.
Clerici conjugati, III. III. 1. et sqq.
Clerici excommunicati, depositi, interdicti ministrantes, V. XXVII.
Clerici, non residentes, III. IV. 1. et sqq.
Clerici ægrotantes, III. VI.
Clerici debilitati III. VI.
Clerici regulares, III. XXXV.
Clerici venatores, V. XXIV.
Clerici percussores, V. XXV.
Clericus non ordinatus ministrans, V. XXVIII.
Clericus ordinatus per saltum, V. XXIX. — furtive, XXX.
Clerici peregrinantes, II. XXIX.
Clericorum causæ œconomice expeditæ, V. Appendix lib. II.
Clerici exteri Romæ commorantes, I. XI. 64.
Clerici peregrini, I. XXII.
Coactio testium, II. XXI.
Coadjutor, III. VI. 4. et sqq.
Cognatio legalis, IV. XII.
Cognatio spiritualis, IV. XI.
Cognitionum ordo, II. X.
Collativa institutio, III. VII. 6. et sqq.
Collatio beneficiorum, III. V. 41. et sqq. 59. et sqq.
Collusio, V. XXII.
Commenda, III. V. 28. 29.
Commissoria lex, III. XVII. 15.
Commodatum, III. XV.
Communicatio cum hæreticis, V. VII. 37. et sqq.
Commutatio voti, III. XXXIV. 11.
Concilium provinciale, I. XXXI. 153. 5°. — plenarium, seu nationale, 161.
Concubina, aliquando significabat legitimam uxorem, III. II. 4.
Concubinatus, V. XVI. 11.
Conditiones appositæ in desponsatione et aliis contractibus, IV. V.
Conductum, III. XVIII.
Confessio judicialis et extra, II. XVIII.
Confirmatio Prælatorum, I. VI. 44.
Confirmatio utilis vel inutilis, II. XXX.
Congrua, Coadjutoribus, III. VI. 11. et sqq.

Congregationes, Cardinalium I. XXXI. 54. — S. Inquisitionis, 64; — Indicis, 73; — Episcoporum et Regularium, 83; — Super disciplina Regularium, 89; — Super statu Regularium, 89; — S. Concilii Tridentini, 90; — De Propaganda Fide, 94; — SS. Rituum, 102; — Consistorialis, 107; — Immunitatis Ecclesiasticæ, 112; — Indulgentiarum et Reliquiarum, 114; — Fabricæ S. Petri, 120; — Visitationis Apostolicæ, 125; — Negotiorum extraordinariorum, 129; — Studiorum, 133; Cæremonialis, 136; — Super examine Episcoporum, 139; — Super residentia Episcoporum, 143.
Conjugatorum Conversio, III. XXXII.
Consanguinitas, IV. XIV.
Consecratio Ecclesiæ et Altaris, III. XL. — Prælatorum, I. VI. 47.
Consensus Capituli quando requiratur, III. X.
Conservator judex, I. XXIX. 42.
Consilium Capituli quando requiratur, III. X.
Consuetudo, I. IV.
Conversio Conjugatorum, III. XXXII.
Conversio Infidelium, III. XXXII.
Constitutio, I. II.
Contestatio litis, II. V. — ea non facta, non proceditur ad testium receptionem neque ad sententiam definitivam, VI.
Contumacia, II. XIV.
Corpore vitiati, non ordinandi, I. XX.
Corpus juris canonici, I. Proleg. 4.
Criminis impedimentum, IV. VII.
Cultus disparitas, IV. I. 169. et sqq.
Custos, I. XXVII.
Custodia Eucharisticæ, Chrismatis et aliorum Sacramentorum, III. XLIV.

Damnum, V. XXXVI.
Debilitatus, III. VI.
Decimæ, III. XXX.
Decretales, I. Proleg. 8. et sqq.
Decretum Gratiani, I. Proleg. 5.
Delegatus judex, I. XXIX.
Denunciatio, V. I. 4.
Denunciationes, IV. III.
Depositum, III. XVI.
Depositus ministrans V. XXVII.
Derogatio legis, I. II. 40.
Desponsatio impuberum, IV. II. — clandestina, III. — Conditiones appositæ, V.
Devolutio, beneficiorum, III. V. 47.
Dies festi, II. IX. 4. et sqq.
Dignitas, III. V. 1.
Dilationes, II. VIII.
Diminutio beneficii prohibita. III. XII.
Dimissoriæ, I. XI. 34.
Dismembratio beneficiorum, III. V. 103.
Disparitas cultus, IV. I. 169. et sqq.
Dispensationes matrimoniales, IV. Appendix.
Dispensatio voti, III. XXXIV. 13. — legis, I. II. 41.
Disputatio cum hæreticis, V. VII. 37. et sqq.
Distributiones, III. IV. 80.
Divisio beneficiorum, III. V. 100. et sqq.
Divortium, IV. XIX.
Dolus, II. XIV.
Domus religiosæ, III. XXXVI.
Donatio, III. XXIV.
Donatio inter virum et uxorem, IV. XX.
Dos, IV. XX. 8. et sqq. — restitutio, 13. et sqq.
Duellum, V. XIV.
Duorum sponsa, IV. IV.

Ecclesiæ benedictio, et consecratio, III. XL. — execratio 5. — pollutio, 6. — ædificatio et reparatio, XLVIII. — immunitas XLIX. — violatores V. XVII. 4.
Ecclesiæ bona alienanda vel non, III. XIII.
Ecclesiæ receptitiæ, III. V. 8.
Ejecti a Religione, III. XXXI. 41. et sqq.
Electio, I. VI. — Summi Pontificis, 31. et sqq. — Prælatorum Regularium, 36. — Monialium, 37.
Emphyteusis, III. XVIII. 11. et sqq.

Emptio, III. XVII.
Episcopi, III. I. 2, 3. — concubinarii, II. 12. — residentia, IV. 20. — regulares XXXV. 10. — jurisdictio in domus religiosas, XXXVI. — electio, I. VI. — Confirmatio, 44. — Consecratio, 47. — postulatio, I. V. — translatio, I. VII. — Renunciatio, I. IX. — Renuncians qui adhuc ordinat, I. XIII. — I. XXXI. 103. et sqq.
Eremitæ — III. I. 5.
Error quoad matrimonium, IV. I. 135. et sqq.
Evictio, III. XVII. 23, 24.
Eucharistiæ Custodia, III. XLIV.
Exactio — III. XXXIX. 7.
Exarchæ, I. XXXI. 11.
Exceptiones, II. XXV.
Excessus Prælatorum et Subditorum, V. XXXI. — privilegiatorum, XXXIII.
Excommunicatio, V. XXXIX.
Excommunicati in judicio, II. I. 16.
Excommunicatus Clericus ministrans, V. XXVII.
Execratio Ecclesiæ, III. XL. 5.
Executio ultimæ voluntatis ad causas pias, III. XXVI. 73. et sqq. — sententiæ, II. XXVII. 20. et sqq. — Rescriptorum, I. III. 28. et sqq.
Expensæ judicii, II. XXVII. 18. et seqq.
Expositi V. XI.
Exteri Clerici Romæ commorantes, I. XI. 64.
Extravagantes Joannis XXII. I. Proleg. 11. — Communes, 11.

Falsi crimen, V. XX.
Famosus libellus, V. XXVI. 4.
Fatalia appellationis, II. XXVIII. 25. et sqq.
Feriæ, II. IX.
Festi dies, II. IX. 4. — quis indicet, 5. et sqq. — prohibita die festo, 9.
Feudum, III. XX.
Fides catholica, I. I. — Ejus professio, 3. et sqq.
Fides debita assertioni D. Papæ II. XIX. 33. et sqq.
Fides instrumentorum, II. XXI.
Fidejussio III. XXII.
Fornicatio, V. XVI. 10.
Forum, II. II. competens, ibi. — modi quibus quis sortitur forum, ordinarii, 9. et sqq. — extraordinarii 15. et sqq. — privilegiatum, 24. et sqq.
Frigidi, IV. XV.
Fructuum sequestratio, II. XVII.
Fugitivi a Religione, III. XXXI. 45.
Funus quoad quartam, III. XXVIII. 6.
Furtive ordinatus, V. XXX.
Furtum, V. XVIII.

Gradus supra episcopales, I. XXXI. 2. et sqq.
Gratiani Decretum, I. Proleg. 5.
Glossa, I. Proleg. 16.

Hæredis institutio, III. XXVI. 57. et sqq.
Hæretici, V. VII.
Homicidium ut impedimentum matrimonii, IV. VII. 4. et sqq.
Honestas publica, quoad impedimentum matrimonii, IV. IV. 23. et sqq.
Hypotheca, III. XXI. 2. et sqq.

Immunitas Ecclesiarum, Cœmeterii et rerum ad ea pertinentium, III. XLIX.
Impedimenta dirimentia, IV. I. 134 et sqq.
Impedimenta impedientia, IV. I. 126. et sqq.
Impedimenta matrimonii, exclusive ab Ecclesia constituuntur, IV. I. 103. et sqq. — Reservantur Papæ, 109. et sqq. — Subjectum horum impedimentorum, 116. et sqq.
Impotentia coëundi IV. XV.
Impuberum desponsatio, IV. II.
Incendiarii, V. XVII. 3.
Incestus, V. XVI. 12.
Incompatibilitas beneficiorum, III. V. 76. et sqq.

Indultum apostolicum vivendi in sæculo, III. XXXV. 15. et sqq.
Infames, V. XI.
Infidelium conversio, III. XXXIII.
Informata conscientia, V. I. 11. et sqq.
Injuriæ, V. XXXVI.
Innovatio, prohibita sede vacante, III. IX. — lite pendente, II. XVI. — privilegiorum. XXX. 12.
Inquisitio, V. I. 5. et sqq.
Instantia, II. I. 4. — perpetua, 5. et sqq.
Institutio, III. VII. collativa, 6. et sqq. — autorizabilis, 19. et sqq. — realis, 24. et sqq. — hæredum, XXVI. 57. et sqq.
Instrumenta, II. XXII.
Interdictum, V. XXXIX.
Interdictum Ecclesiæ quoad matrimonium, IV. XVI.
Interdictus ministrans, V. XXVII.
Interpretatio juramenti II. XXIV. 33. et sqq. — legis, I. II. 36. et sqq. — Rescriptorum, I. III. 13. et sqq.
Interstitia, I. XI. 15. et sqq.
Intestata successio, III. XXVII.
Investitura, III. VII. 24. et sqq.
Irregularitas, I. XVII., ex defectu natalium, 2. et sqq. — libertatis, XVIII. ex non redditis ratiociniis, XIX.; ex defectu corporis, XX.; — sacramenti, XXI.
Irregularitas, ex delicto, V. XXVII. XXVIII.
Irritatio voti, III. XXXIV. 8. — actus jurati, II. XXIV. 7. et sqq. — legis, I. II. 42.

Jejunium, III. XLVI.
Joannis XXII. Extravagantes, I. Proleg. 11.
Judæi, V. VI.
Judex, II. I. 3, 14; delegatus, I. XXIX.; conservator, 42.
Judicium, II. I. — ejus definitio. — divisio 9. et sqq. — effectus, 21.
Judicata res, II. XXVII. 12. et sqq.
Juramenti solutio, causa hæresis, V. VI. 15. et sqq. — interpretatio II. XXIV. 33. et sqq.
Juramentum, II. XXIV.; promissorium, 4. et sqq.; judiciale, 21. et sqq.
Juramentum calumniæ, II. VII. — testium, XX. 38. et sqq.
Juratoria cautio, III. XXI. 12. — purgatio, V. XXXIV.
Juris Canonici definitio I. Prolegomena, 1. 2. — divisio 3.
Jus patronatus, III. XXXVIII.

Læsio in contractibus, III. XVII. 9. et sqq.
Laica potestas quoad matrimonium, IV. I. 107. et sqq.
Languidi expositi, V. XI.
Legalis cognatio, IV. XI.
Legata, III. XXVI. 59. et sqq.
Legatus, I. XXX.
Legitimi, IV. XVII.
Leprosi quoad matrimonium, IV. VIII.
Lex, I. II. 2. et sqq. — ejus auctor, 5. et sqq. — materia, 12. et sqq. — promulgatio, 21. et sqq. — obligatio, 26. — subjectum, 29. — interpretatio, 36. — cessatio, 39.
Lex commissoria, III. XVII. 15.
Libelli oblatio, II. III.
Libellus famosus, V. XXV. 4. — apostoli, II. XXVIII. 20. et sqq.
Librorum prohibitio, V. VII. 27. et sqq.
Lis, II. I. 4. — litis contestatio, II. V. — lite non contestata non proceditur ad testium receptionem neque ad definitivam sententiam, II. VI. — lite pendente nihil innovandum, II. XVI.
Litteræ dimissoriæ, I. XI. 34. et sqq.
Litteræ testimoniales, I. XI. 40. et appendix ejusdem tituli.
Locatum et conductum, III. XVIII.

Magistri, V. V.
Major pars Capituli quid faciat, III. XI.
Majoritas, I. XXXIII.
Maledici, V. XXVI.

Maleficiati, IV. XV.
Male ordinati, I. XI. 57. — ordinantes, 52.
Manumissio servorum, I. XVIII.
Matrimonia mixta, IV. I. 180. et seqq. — XXI. 19. et sqq.
Matrimonium, IV. I. 71. et sqq. — legitimum, ratum, consummatum, 74. — publicum, conscientiæ et morganaticum, 75. conscientiæ, III. 23. et sqq. — verum, putativum, præsumptum, 76. — per procuratorem, 84. et sqq. — inter fideles sacramentum idem est ac contractus, 89. et sqq. — impuberum, II. 9. et sqq. — Forma substantialis post Tridentinum, III. 31. et sqq. — civile, III. 49. et sqq. — acatholicorum, 59. — vagorum, 82. et sqq. — Clericorum, IV. VI. 1. et sqq. — Voventium, 6. et sqq. — leprosorum, VIII. — servorum, IX. — Accusatio, XVIII. — testificatio contra matrimonium, 7. et sqq. — judex competens, 9. et sqq.
Matrimonium quatenus subjacet potestati laicæ, IV. I. 107. et sqq.
Matrimoniales causæ, exclusive pertinent ad forum ecclesiasticum, IV. I. 97. et sqq. XVIII. 8. et sqq.
Matrimonii impedimenta exclusive ab Ecclesia statuuntur, IV. I. 103. et sqq.
Menses papales, III. V. 52.
Metropolitæ, I. XXXI. 9. 152. et sqq.
Metus, I. XL.
Metus, quoad matrimonium, IV. I. 142. et sqq.
Minister validæ ordinationis, I. XI. 21. et sqq. — licitæ, 28. et sqq.
Missio in possessionem rei servandæ causa, II. XV.
Missæ, celebratio, III. XLI., stipendia, 6; — reductio, 7.
Monachi, III. XXXV. — capellæ, XXXVII. — Ne sæcularibus negotiis sese immisceant, L.
Monialium, electiones, I. VI. 37.
Mulieres in judicio, II. I. 20.
Mutuæ petitiones, II. IV.

Nati ex libero ventre IV. X.
Negotiatio Clericis et Monachis prohibita, III. L.
Negotia sæcularia, Clericis et Monachis prohibita, III. L.
Negligentia Prælatorum supplenda, I. X.
Non ordinatus, ministrans, V. XXVIII.
Nunciatio novi operis vel Novi operis nunciatio, V. XXXII.
Nuntius Papæ, I. XXX. 10.
Nuptiæ secundæ, IV. XXI.

Obedientia, I. XXXIII.
Obitus conjugis probandus, IV. XXI. 19.
Oblatio libelli, II. III.
Oblationes, III. XXX. 22. et sqq.
Obligatio legis, I. II. 26. et sqq.
Obligati ad ratiocinia, ordinandi vel non, I. XIX.
Occisio filiorum, V. X.
Officium, Archidiaconi, I. XXIII.; Archipresbyteri, XXIV.; Primicerii, XXV.; Sacristæ, XXVI.; Custodis, XXVII.; Vicarii, XXVIII.; Judicis delegati, XXIX.; Legati, XXX.; Judicis ordinarii, XXXI.; Judicis, XXXII. — Advocati, XXXVII.
Officium divinum, III. XLI. 8.
Ordinandorum qualitates, I. XI. 7. et sqq.
Ordinati ab Episcopo qui renunciavit, I. XIII.
Ordinati a schismaticis, V. VIII. 5. et sqq.
Ordinati per saltum, V. XXIX.
Ordinatus furtive, V. XXX.
Ordinationum tempus, I. XI.
Ordo cognitionum, II. X.
Ordo præficiendorum, I. XIV. 9.

Pacta, I. XXXV.
Pallium, auctoritas et usus, I. VIII.
Parochia, III. XXIX.
Parochus, concubinarius, III. II. 13. — residentia, IV. 50. — XXIX. — quoad matrimonium, IV. III. 68. et sqq. — ejus qualitas, 89. et sqq.

Pars major Capituli, quid faciat, III. XI.
Partus, purificatio, III. XLVII.
Patriarchæ, I. XXXI. 4. 147.
Patronatus — Vide Jus patronatus.
Pax, I. XXXIV.
Peculium Clericorum, III. XXV. — beneficiale, XXVI. 30. et sqq.
Pensio, III. V. 35. 36. 37. — XII. 13. et sqq.
Percussores (Clerici qui sunt), V. XXV.
Peregrinantes, II. XXIX.
Periculum rei venditæ, III. XVII. 19. et sqq.
Permutatio rerum, III. XIX.
Petitiones mutuæ, II. IV.
Petitorium, II. XII.
Pignus, III. XXI.
Pluralitas beneficiorum, III. V. 76. et sqq.
Plus petitio, II. XI.
Pœnæ, V. XXXVII. — contra male ordinantes, I. XI. 52. — male ordinatos, 57. et sqq.
Pœnitentiæ, V. XXXVIII.
Pœnitentiarius, I. XXVII. 5.
Pollutio Ecclesiæ, III. XL. 6.
Possessorium, II. XII.
Possessio, II. XII. — immissio in possessionem, rei servandæ causa, XV. — sequestratio, II. XVII.
Postulatio, I. V.
Postulare, I. XXXVII.
Præbenda, III. V. 1. et sqq. — vacans VIII.
Præficiendorum ætas, ordo et qualitas, I. XIV.
Prælatus, in quibus indigeat Capituli consensu vel consilio, III. X. — Ne committant vices suas sub annuo censu, V. IV. — Prælati in judicio, II. I. 18.
Prælatorum excessus, V. XXXI.
Prælatorum, electio, I. VI. — confirmatio, 44. — consecratio 47. — postulatio, I. V. — negligentia supplenda, I. X.
Præscriptio, II. XXVI.
Præsumptiones, II. XXIII.
Præstimonium, III. V. 34.
Præventio, II. II. 8.
Precariæ, III. XIV.
Presbyter non baptizatus, III. XLIII.
Primates, I. XXXI. 11.
Primicerius, I. XXV.
Primitiæ, III. XXX. 21.
Privilegia, V. XXXIII. — fori, II. II. 24. et sqq. — innovatio, II. XXX. 12.
Probationes, II. XIX. — contrariæ, 24. et sqq.
Procuratio, III. XXXIX. 11. et sqq.
Procuratores, I. XXXVIII.
Productio testium, II. XX. 33. et sqq.
Professio fidei, I. I. 3. et sqq.
Professio religiosa, III. XXXI. 11. et sqq. — invalida, 33. et sqq.
Prohibitio librorum, V. VII. 27. et sqq.
Promulgatio legis, I. II. 21. et sqq.
Proprietas, II. XII.
Publica honestas, IV. IV. 23. et sqq.
Pueri, quoad delicta, V. XXIII.
Purgatio canonica et vulgaris, V. XXXIV.
Purificatio post partum, III. XLVII.

Quæstio, II. I. 4.
Qualitates ordinandorum, I. XI. 7. et sqq. — præficiendorum, I. XIV. 19.
Quarta funeraria, III. XXVIII. 6. et sqq.

Raptores, V. XVII.
Raptus, IV. I. 153. et sqq.
Realis institutio, III. VII. 24. et sqq.
Receptitiæ Ecclesiæ, III. V. 8.
Reconventio, II. IV. 5.
Recusatio, II. XXVIII. 49. et sqq.
Redemptio voti, III. XXXIV.
Reductio missarum, III. XLI. 7.
Regulares quoad testamentum, III. XXVI. 53. et sqq. — sepulturam, XXVIII. 28. et sqq. — status Regularis, XXXI. — ingressus, 6. et sqq. — professio, 11. et sqq. — professio invalida, 33. et sqq. — transitus ad aliam Religionem, 37. et sqq. — ejecti, fugitivi et apostatæ, 41. et sqq. — promoti ad

episcopatum, XXXV. 10. — viventes in sæculo ex indulto apostolico, 15. et sqq. — clausura, 17. et sqq. — in judicio, II. I. 17. — Electio Prælatorum, I. VI. 36.
Reiterantes baptisma, V. IX. 6.
Relationes, II. XXVIII. 53. et sqq.
Religio, V. Regulares.
Religiosæ domus, III. XXXVI.
Reliquiæ, III. XLV.
Remissiones, V. XXXVIII.
Renunciatio, I. IX.
Reparatio Ecclesiæ, III. XLVIII.
Rerum permutatio, III. XIX.
Rescripta, I. III.
Reservatio, beneficiorum, III. V. 48. et sqq.
Res judicata, II. XXVII. 12. et sqq.
Residentia Clericorum, III. IV. — Episcoporum, 20. — Cardinalium, 38. — Parochorum, 50. — Canonicorum, 54.
Restitutio spoliatorum, II. XIII. — in integrum, I. XLI.
Revocatio alienationis, III. XIII. 20. et sqq.
Reus, II. I. 3. 15. et sqq.
Rubricæ Decretalium, I. Proleg. 12. 13.

Sacramenta non iteranda, I. XVI.
Sacrista, I. XXVI.
Sacrilegium, V. XVI. 13.
Sæcularia negotia Clericis et Monachis prohibita, III. L.
Sagittarii, V. XV.
Sanatio in radice, IV. appendix, 58.
Sancti, veneratio, III. XLV.
Saraceni, V. VI. 7. et sqq.
Schismatici, V. VIII.
Scrutinium, I. VI. 18. 38. et sqq. — in ordine faciendo, I. XII.
Secundæ nuptiæ, IV. XXI.
Sententia, II. XXVII. — ejus executio, 20. et sqq.
Sententia ex informata conscientia, V. I. 11. et sqq.
Sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, V. XXXIX.
Sequestratio possessionum et fructuum, II. XVII.
Servi, quoad matrimonium, IV. IX. — non ordinandi, I. XVIII.
Servorum manumissio, I. XVIII.
Sepultura, III. XXVIII. — Regularium, 28. et sqq.
Sextus Decretalium, I. Proleg. 9.
Simonia, V. III.
Solutio, III. XXIII.
Sortilegia, V. XXI.
Spiritualis cognatio, IV. XI.
Spoliatorum restitutio, II. XIII.
Spoliorum camera, III. XXVI. 32. et sqq.
Sponsa duorum, IV. IV.
Sponsalia, IV. I. — Effectus, 33. et sqq. — dissolutio, 43. et sqq. — probatio causæ dissolutionis, 67. et sqq. — impuberum, II. 1. et sqq. — conditiones appositæ, V.
Stipendium missarum, IV. XLI. 6.
Stuprum, V. XVI.
Subjectum legis, I. II. 29. et sqq.
Successio ab intestato, III. XXVII.
Successio filiorum in beneficiis patrum, prohibita, I. XVII. 14.
Summaria Decretalium, I. Proleg. 15.
Summi Pontificis electio, I. VI. 31. et sqq. — potestas, I. XXXI. 12.
Superscriptiones Decretalium, I. Proleg. 14.
Suspensio, V. XXXIX.
Syndicus, I. XXXIX.
Synodus diœcesana, I. XXXI. 173.

Tempus, ad conferenda beneficia, III. VIII. 20. et seqq.
Testamentum, III. XXVI. — forma canonica, 14. et sqq. — ad causam piam, 20. et sqq. — privilegiatum, 27. et sqq. — Regularium, 53. et sqq.
Testes, II. XX. — idoneitas, ibi; numerus, 16; scientia, 28. et sqq.; — productio, 33. et sqq.; juramentum, 38. et sqq.; examen, 45. et sqq.; coactio, XXI.
Testimoniales litteræ, I. XI. 40. et appendix ejusdem tituli.

Testificatio contra matrimonium, IV. XVIII. 7. 8.
Theologus canonicus, V. V. 4. et sqq. I. XXVII. 4.
Titulus ordinationis, I. XI. 42. et sqq.
Torneamenta, V. XIII.
Transitus ad aliam Religionem, III. XXXI. 37. et sqq.
Transactio, I. XXXIV.
Translatio Episcopi, I. VII.
Treuga, I. XXXVI.
Trinitas Summa, I. I.

Unctio sacra, I. XV.
Unio beneficiorum, III. V. 89. et sqq.
Ultimæ voluntatis executio ad causas pias, III. XXVI. 73. et sqq.
Usuræ, V. XIX.

Vacans sedes, III. IX.
Vacatio præbendæ, III. VIII.
Vagi, quoad matrimonium, IV. III. 82. et sqq.
Valor actuum juratorum, II. XXIV. 7. et sqq.
Venator Clericus, V. XXIV.
Venditio, III. XVII.
Ventre (ex) libero nati, IV. X.
Veneratio Reliquiarum et Sanctorum, III. XLV.
Vicaria, III. V. 25. et sqq.
Vicarius, I. XXVIII.; in divinis, 4; jurisdictionis, 16; generalis, 17; Urbis, 37; foraneus, 39; Capitularis, 42; apostolicus, 69.
Violatio, Ecclesiæ, III. XL. 6.
Violatores Ecclesiarum, V. XVII. 4.
Vis, I. XL.
Vis, quoad matrimonium, IV. I. 141.
Visitatio Episcopi quoad procurationem, III. XXXIX. 18. et sqq. — Archiepiscopi, 15. — Archidiaconi, 16. — Vicarii Capitularis, 17.
Visitatio Ss. Liminum, I. XXXI. 189.
Vitiati corpore, non ordinandi, I. XX.
Vota solemnia, III. XXXI. 1. et sqq. — de voti redemptione, XXXIV. — irritatione, 8. — dispensatione, 13. — commutatione, 11. — obedientiæ, XXXV. 1. — paupertatis, 2. — quoad matrimonium, IV. VI.

Editiones diversæ **Fr. Pustet Ratisbonæ, Neo Eboraci et Cincinnati:**

Agus, P. J., S. J., Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos analytice et logice explicata. 1888. 8°. 812 p.

Alberti Magni, B., de adhærendo Deo libellus juxta editionem Lugdunensem denuo excusus. 1880. 16°. 64 p.

Balan, P., Prælatus Domesticus S. S., Documenta Reformationis Lutheri ejusque Reformationis historiam illustrantia. Ex tabulariis S. Sedis secretis collegit, ordinavit, edidit. 1884. 8°. 616 p.

Ballerini, Ant., S. J., Jus et Officium Episcoporum in ferendo Suffragio pro Infallibilitate Romani Pontificis etc. Editio altera ab auctore correcta et aucta. 1870. 8°. 84 p.

Bartolini, Dom., S. R. E. Card., di S. Zaccaria Papa e degli anni del suo Pontificato. Commentarii storico-critici. 1879. 8°. 774 p.

Biblia sacra nunc novissime ad exemplar Vaticanum expressa cura Dr. Jos. Franc. Allioli. Cum Approb. Editio octava stereotypica. (Apposita est versio germanica.) 3 vol. 1891. 8°. (I. 1388 p. II. 1348 p. III. 932 p.)

Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ ab anno 1668 ad annum 1882 edita. Jussu et auctoritate Leonis XIII., Pont. Max. 1882. 8°. 604 p.

Deharbe, P. S. J., Examen ad usum Cleri in gratiam præcipue sacerdotum sacra exercitia obeuntium. Editio quinta, ab P. J. Schneider, S. J., correcta et aucta. 1883. VIII u. 260 p.

Jungmann, B., Ph. et S. Th. Doct. ac Profess. ord. in S. Fac. Theol. Universitat. cath. Lovaniensis, Dissertationes selectæ in historiam ecclesiasticam. 7 Vol. 1880/87. 8°. (I. 466 p. II. 466 p. III. 454 p. IV. 408 p. V. 512 p. VI. 492 p. VII. 480 p.)

— — Tractatus de Gratia. Editio V. 1882. 8°. 320 p.

— — Tractatus de Deo uno et trino. Editio IV. 1882. 8°. 388 p.

— — „ „ „ „ „ „ Brevis Analysis. 1874. 8°. 56 p.

— — Tractatus de Deo Creatore. Editio IV. 1883. 8°. 404 p.

— — Tractatus de Novissimis. Editio III. 1885. 8°. 348 p.

— — Tractatus de Vera Religione. Editio III. 1886. 8°. 264 p.

— — Tractatus de Verbo incarnato. Editio IV. 1884. 8°. 416 p.

Kleutgen, A. Jos., P. S. J., De ipso Deo — Institutiones theologicæ in usum scholarum. 1881. 8°. 760 p.

Leonis XIII., P. M., Inscriptiones et Carmina. Cum versione germanica. 1887. 4°. 207 p.

Liber Psalmorum cura **Dr. J. F. Allioli.** Cum versione germanica. Editio novissima stereotypica. 1891. 32°. 520 p.

Liguori, S. Alph. M. de, Liber de Cæremoniis Missæ etc., opportunis notis ac novissimis S. R. C. decretis illustratus, necnon appendicibus auctus opera G. Schober, Congr. Ss. Redempt. Editio altera. 1888. 16°. XXXVI. u. 368 p.

Rescripta authentica S. Congr. Indulg. sacrisque Reliquiis præpositæ necnon Summaria Indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum. 1885. 8°. 732 p.

Schneider, Jos., P. S. J., Lectiones quotidianæ de Vita, Honestate et Officiis Sacerdotum et Clericorum etc. 1870. 8°. 768 p.

— — Manuale Clericorum in quo habentur Instructiones asceticæ liturgicæque, ac variarum precum formulæ, ad usum eorum, qui in Seminariis clericorum versantur. Editio IV. emendata. 1892. 16°. 736 p.

Stentrup, F. A., S. J., Prælectiones Dogmaticæ de Deo uno. (Liber Manuscriptus.) (Œniponti.) 1879. 8°. 772 p.

— — Prælectiones Dogmaticæ de Verbo incarnato. Pars prior. Christologia. 2 vol. (Œniponti.) 1882. 8°. 1328 p.

— — Pars altera. Soteriologia. 2 vol. (Œniponti.) 1888/89. 8°. 1872 p.

Thesaurus Resolutionum S. Congregat. Concilii quæ consentanee ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris sanctiones prodierunt usque ad annum 1874 cum omnibus constitutionibus et aliis novissimis declarationibus Ss. Pontificum ad causas respicientibus. 1875/90. 4°. (Vol. I. 1168 p. Vol. II. 1142 p. Vol. III. 1462 p. Vol. IV. 1650 p. Vol. V. Fasc. 1—12.)